JOANNIS BISSELII, ... ILLUSTRIUM, AB ORBE CONDITO, RUINARUM, ...




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
9
4 B
5

Regum Israelitarum.

RVINAE

Messeniorum.

Regum Persarum.

Olympiad.

RVINAE

Phalaridis.

Philipp. Maced.

Ptolemæorum

Sennacherib.

IOANNIS BISSELII è SOCIETATE IESV


ILLVSTRIVM RVINARVM DECAS IV.

Seleucidarũ

Romanorum.

J. Sandrart

Sculp. Norimbe



JOANNIS BISSELII

è Societate JESV,

ILLUSTRIUM,

Ab Orbe Condito,

RVINARVM

DECAS IV.

QUADRIPARTITA;

Vsque ad Christum,

Cum Breviariis Capitum, & Indice generali.

Permissu Superiorum.

DILINGÆ,

Formis Academicis,

Apud IGNATIUM MAYER.

Anno M. DC. LXIII.



dus; *& montes excelsi Cervis*, ac *petra refugium Erinaceis*, fiant, contra silvestres bestias; & foramina petrarum columbis, adversùs accipitres; & ruinæ maceriarum cochleis, adversùs rostratos aquilarum ictus; *lepusculo* denique, *plebi* ruris *invalidæ*, (*b*) cavernæ rupium, ac spinosa fruticeta, contra venaticos canes. Ut adeò demum, ad eundem hunc modum, & cætera réliqui generis animalia, septa periculorum suorum alia, tanquam castella contra furias inimicas, sibi constituant.

Hominum porrò vel inprimis hoc studium & ingenium est. Quo fit, ut multi non *singulos* tantùm, sed & *multitudines* sibi conciliandas, & olim susceperint, & ne nunc quidem prætermittant; seu *togatæ* sint illæ, seu *ferro succinctæ*: quorum omnium favorem

sibi

ſibi benevolentiámq; circumdare laborent.

Quapropter & *Publ. Valerius* olim, cognomento *Publicola*, Romanorum Conſulum, poſt *Luc. Brutum*, facilè primus, (*c*) æmulorum appetitus calumniis; utì POPULO ſaltem purgaret approbarétq; ſuam integritatem: non modò *faſces* ei ſecuréſq;, ſui Magiſtratûs inſignia, ſed etiam *domicilium* ipſum in *Velia*, venerabundus ſubmiſit: ex *Omnium Judice Patronóq;*, *ſupplicem omnibus*, *Clientémq;*, ſeipſum efficiens. Eo modo capitis à ſe periculum amovit.

Caius quoque *Marius*, Senior, priuſquam ad Tribunatum Plebis, & hinc, multò pòſt, à primo Conſulatu, ſeptimas ad ſecures ac faſces evaderet; *nobilitatis*, infenſæ ſibi, pervicacem

invidiam perrupit: dum ad *Plebem*, hoc eſt, longè *maximam Urbis Romanæ partem*, ſe ſe recipit: *latiq; clavi* ſuperbum, ſed *rariorem*, ordinem, Quiritium ignobiliorum numeroſiore *multitudine* retundit.

Quis autem jam & eorum, ſeu numerum, inierit, ſeu nomina recenſuerit; qui ſinguli ſingulæq;, quantumvis in altis quidem fortunæ faſtigiis conſtituti, poſtquam tamen in his ipſis periclitari, vacillante felicitatis veſtigio, cœperunt; ad *multitudines*, non ſolùm *forenſes*, ſed etiam *ſagatas*, & ſub pellibus agitantes, ſeipſos, ſuíq; diſcriminis arbitrium, deferre non dubitaverunt?

Quid enim? ut vel ſub paucis omnes (*nam omnium eádem ferè cauſa fuit, quæ quorundam*) tanquam in imagine, proponam: nónne *Philippus Aridæus*

dæus Macedo, *(d)* post *Alexandri* fratris excessum, ab æmulis Regni, cujus ipse candidatus erat, circumsessus; contra *Perdiccam,* cæterósq; rerum turbatores, ad *Exercitum* fraternum, & invictam illam phalangem Macedonicam, decucurrit? Non & *Quintus Fabius Maximus,* cognomentô *Rutilianus,* Magister equitum, hostili conflictu felix ac victor, sed *Papyrij Cursoris,* *(e)* Dictatoris, invidâ Majestatis Legúmq; tutelâ, propter idipsum capitis accersitus; primùm ad *castra commilitonésq;,* demum autem & ad *Populum,* provocavit?

Nónne *Caius Octavius* (is, qui pòst, ex Octavio factus *Octavianus,* ac Cæsar, *Augusti* cognomentum primus sibi Romæ tulit) post avunculi Majoris, *C. Julii Cæsaris,* interitum,

Antonii Consulis exagitatus armîs & insidiis, ad *Legiones* patris veteranas, &,in his, nominatim ad *Martiam*, se fortunásq; suas trajecit; successu, quali nemo priorum posteriorúmq; secundiore potitus est? (*f*) Nónne *Claudius* quoque, *Drusi* filius, *Germanici* frater; post *Caium Caligulam* Imperatorem trucidatum, ab Senatu Proceribúsq; Romanis, pro recuperanda libertate tumultuantibus, in gremium *Exercitûs* Romani, *castráq; Prætoriana*, (*g*) supplicabundus confugit: ac,sub pennis tuteláq; *Militarium Aquilarum*, salutem Imperiúmque sibi constabilivit?

Fecerunt autem idem, quod melior sexus, etiam *fœminæ Principes*, in rebus suis arctis constitutæ. Sic *Semiramis Maior*, contra tumultuantem

Baby-

Babylone civium factionem: sic, post Semiramin Assyriacam, *Olympias*, Macedoniæ Regina, contra *Cassandri* satellitúmque conjuratorum vim, ex Epiro *Macedonicarum phalangum* fidem armatam implorãs, ac reposcens. *(h)* Sic, post Olympiadem, Ægyptii diadematis hæredem se ferens, *Arsinöe*, Cleopatræ *Puerique Ptolemæi* soror; tam suorum, quàm Cæsaris ab armis, sibi metüens, devolavit ad *Achillam (i) Ducem*, & ad *Exercitum* illius; quippe, sui studiosos: ut in portu spes suas collocaret.

Ad summam: ne, de solis utriusque sexûs *adultis*, hæc esse dicta, videantur; etiam *Infans*, *in cunis* adhuc crepundiísque se volutans, *Europus*, Philippi filius, Argæi, Macedonum Regis, Nepos, ab infestis *Illyriorum* armis regna-

 re pro-

re prohibitus: nullâ quidem *voluntatis*, aut *Rationis* (quippe, cujus uſus, in paucorum menſium ætatula, nullus eſſe poterat) certæ tamen *neceſſitatis* diſciplinâ monitúque, confúgit ad *multitudinem* ſuorum *Caſtrenſem*: quando, primam ante certaminis aciem, in *faſciis* collocatus, utrique iacuit *exercitui* memorandum ſpectaculum. Quo locô, cùm parvulas è cunabulis manus, laciniis conſtrictas, tendere *(k)* militi ſuo ſupplex nequiret; vagitum ei, rorantésque lacrymis oculos, ingeſſit: quibus quodammodo rogabat, utì bellantes victorésque, ſibi, ſuorum hoſtium cæde, *vitam*, Macedoniæq; *Regnum* ſervitute barbarorum, conſervarent.

Quæ cuncta, taliúmque ſimilia, quibus, brevitatis ſtudiô, conſultò ſuperſedeo, non aliò ſanè ſpectant; quàm, utì

palàm

palàm facerem: in *hominum* rebus dubiis aſperíſque, paratam miſeris opem ac præſidium eſſe, non magìs in *privatis, ſingulíſve* capitibus, quantumvis ſublimibus; quàm in *Totis* plurimarum manuum *Exercitibus*: Et, quod antiquitus *Ratio* mortalibus dictârit, id, quoties caſus fert, ne noſtrâ quidem tempeſtate vigere deſiiſſe. Nec id extra rationem: cùm ſæpenumero, qui *Plures* malunt, quàm *ſimplicem* tutelam *Unam*, ad vulgatum illud reſpiciant; Collectam vim eſſe fortiorem ſolere: frequentérque, *quæ ſingula minùs iuvarent*; *Univerſa, Coniunctáq;*, *rebus ambiguis inveniſſe ſucceſſum*.

Jam igitur, ſi, *Mortalibus* in copiis & agminibus, tam ingens repoſitum humanæ calamitati præſidium ſit; ut *Unum* caput imbelle, facilè *Multitudo* te-

do tegat *capitum galeatorum*, ac manuum armatarum: quantô (quæso) plus spei reíque sibi polliceatur, de *Militum immortalium* ope populosâ, Mortalis imbecillitas: quantumcunque contusa pridem, ac fracta; nec originis suæ primævæ dignitati respondens?

Nam (uti de cuncto genere loquar nostro) Divinorum auctoritate voluminum perspicuum est; illud, quod nos *Hominem*, Latinus *homuncionem* & *humi-stratum*, Hebræus autẽ *Adam*, hoc est, *Terram lutúmq; rubrum*, nominamus: æterni tamen *Numinis* selectum *opus* ac laborem esse. Dicam significantiùs: *Hominem*, esse *DEI simulacrum*; *mundi quoddam breviarium*; *Angelicæ dignitatis exemplar*; *Divinitatis adoptivam sobolem*; *Cæli candidatum*; *Terrarum rectorem*

fidu-

fiduciarium; hæredem æternæ Maiestatis; cohæredem Christi Servatoris; vocatum in admirabile lumen ac regnum; paulóque minorem nunc quidem Angelis effectum, at eisdem in multis aliquando parem æqualémq; pondere meritorum suorum, futurum. (l) Quæ cuncta, sicut in *Theologorum arcanis* extra dubium omne sunt; ità non minùs liquidum oculis humanis, experimentísque rerum, est: eundem illum, quem diximus, ac celebravimus, hominem, *Miserum* ac *Miserabilem* esse; paternô terrestris *paradisi* fundô pulsum, promissâ verò Cœlestium regionum Coloniâ proscriptum, ac, *Regem* quidem eum, ab ipsis quasi cunis, esse nominaríque; sed, *Mendicum*, & *Exulem*; *Nudum*, & *inopem*, ab ipsis fasciis fimbriísque natalitiis: quódque malo-

malorum omnium pessimum est; *bono-rum omnium* extorrem; vel, sicubi te-ctus ac coopertus est, *maledictione* ta-men, *(m) tanquam diploide*, spissóq; *vestimentô*, circumamictum. denique, præter hæc omnia, Tartareis hostibus inermem ipsum, à dextris & sinistris, a circumquaque, clausum, & obsessum quorum, in *Spiritalibus* quidem, *ne-quitiâ, Carne* verò tenus, *nequißimo-rum* (utì Paulus ait) *telis igneis (n* impetatur: & adeò potenter quidem, hostiliter; ut *frater fratrem non red-mat: (o)* ægréque jam singuli singul defendant; ideóque, quò pluribus inn tatur homo subsidiis, ad *multitudin* tandem ei, nec raro, devolandum sit.

Quo loco jam, utì *nunquam Nat-ra* suos fines & conatus, ità multò n nùs, *suum* O P V S (hominem) De

T

Ter Optimus Maximus, in *necessitatis articulo* destituit: cùm ei, tot circumsesso malis, tot cincto malorum auctoribus, vos, *ANGELICA robora*, jam indè, nascentium ab Origine sæculorum, submisit.

Vos enim, *vos* estis, Cælestes, non solùm SPIRITUS; sed, qui (Zachariâ teste) *Domino* MILITATIS, *euntes*, *(p) ac revertentes*. Vos, è Divi Lucæ præconio, *Militia Cœlestis Exercitûs*. (q) Vos, qui partim, jam olim *in Cœlo*, sub exortum mundi, *cum antiquo Dracone*, Draconísque Legionibus, animosè pugnâstis, ac prosperè; (r) partim etiam, ad supremam imponendam victoriæ manum, in exitu sæculorum ac temporum, adversùs eosdem, præliabimini. *Vos* denique MAHANAIM (utì Jacobus Patriarcha vos, obviàm sibi progressos

greſſos, alloquebatur) hoc eſt, CASTRA DEI, (s) vóſmet præſtatis. Quínam autem ſunt *hoſtes*, & noſtri generis, & veſtri, certiores obſtinatioréſque; quàm *diabolus* (ut à pravitate ſua nominatur) & *Sathanas, adverſarius* (t) *noſter*, & *transfuga veſter*; *perduellíſq; Dei*: *Leviathan, ſerpens* ille *tortuoſus*; (u) qui, caudæ ſuæ volumine, *tertiam* poſt ſe traxit *ſtellarum* è Cœlo *partem*, &, in his, auxilia *ſibi*, laborem *vobis*, perniciémque *nobis*? Qui, cum ſuæ conjurationis popularibus omnibus, & nunc coram tribunali Divino perdius atque pernox criminatur nos (x) & capitis accerſit: ac jam olim nos eoſdem, tametſi deſtinatos, *ad æternæ ſalutis hæreditatem* herciſcundam, & ad *Regnum*, *à conſtitutione mundi* nobis præparatum,

tum, capeſſendum, haud ſecùs, quàm *pupillos*, ac (y) parvulos, *tutore* deſtitutos, habet contemptui: quódque piè veréque canit Eccleſiaſticum carmen, *ardens invidiâ, pellere nititur, quos Cœlo Deus advocavit.*

His autem *Tartareorum latronum* quotidianis, adversùm *homines*, excurſionibus inſultibúſque, Sapientiſſimô bonitatis ſuæ conſiliô, Providentia Divina vos (*ANGELICÆ vires*) oppoſuit; &, quoad mundi ſtatus hic durabit, opponere nunquam intermittet: *prædonibus*, inquam, & *ſicariis Inferis*, MILITIÆ *Cœleſtis* agmina generoſa; quorum dignitati præſtantiæq; nulla Vis cóndita, conferri, nullus unquam æquari terreſtris ac ſubterraneus *Exercitus*, nobilitate gloriáque, poſſit. Quod (veſtrâ, quæſo, veniâ) breviter, &

à *me* monſtrari, liceat; & à *Vobis* æquis animis recognoſci, vacet.

Equidem ſic arbitror, ac decerno; QUATUOR eſſe potiſſimùm, in *Caſtrenſi* quavis *expeditione*, quæ *formidabilem* eam *hoſtibus*, & è diverſo *glorioſam* aſpectúque jucundam *amicis*, efficiant. *Fortitudinem*, inquam, *Multitudinem*, *Splendorem*, & *aciei* bene-compoſitum *Ordinem*.

Fortitudinis opinione, commendabiles ſe ſe præſtiterunt orbi, veterum *Iſraëlitarum* ſub Joſua Duce milites; *Macedonum*, ſub Alexandro Magno; *Romanorum*, ſub Scipionibus, ac Julio Cæſare; *Chriſtianorum* generatim, ſub Marco Cæſare Philoſopho; *Francorum*, ſub Carolo Magno, Godefredóque Bullionio. quas univerſim quis, ac meritò, *fulminatrices* dixiſſet,

invi-

invictíque roboris, legiones. Quibus addamus, licet, *Baráci Debboræq;* (z) (ne *mulieres* hinc in universum excludere videamur; aut, omne genus *Amazonum*, in *fabulis* ponere) *cohortes imperterritas*: in quibus, adversùs *Sisaram*, *nova bella*, fœminæ ductu pugnata, *Deus elegit*.

Multitudine verò, densísq; clypeatorum copiis, quis nescit; ingentem Asię Græciæq; terrorem incussisse *Xerxen Persam*: classiariorum myriadibus viginti tribus; terrestrium copiarum myriadibus cētum & septuaginta; cum equitum myriadibus octo, curribúsq; plurimis, in Europam effusis? (*Aa*) Longè verò pòst, copiîs quidem minoribus, haudquaquam tamen aspernandîs, *Rhadageisus Gothus*, supra ducenta millia: (*bb*) *Tamerlanes* autem

 Tar-

Tartarus, ſupra ſexcenta millia peditum, equitum verò trecenta millia, regionibus occiduis induxerunt.

Jam verò SPLENDOREM (quæ *tertia* præſtantis *Exercitûs* eſſe commendatio ſolet) non *fulgor* ille duntaxat exhibet; qui, vel per *ſtrategemata* nocturna diurnáve, de *facibus* erumpit *ſarmentorum*, ad bubula cornua (*cc*) deligatorum (quod Hannibalis ingenium fuit) vel, de tædis ardentibus phanaticorum, qui *flammis* & *anguibus* Romanas acies in pavorem conjecerunt; aut, *nitor* ille *Samnitum*, qui, ſuíſmet devoti dirîs, in prælia *linteati*, *(dd)* cum ſcutis *auratis argentatiſq;*, proſiliebant: nec denique *fulgor*, qui de *Gedeonis*, incluſô *Lagenis*, (*ee*) lumine reſplēdebat; quô perterriti *Madianitæ*, fugarentur: ſed, *iubar* illud longè ſpe-

ſpecioſius *armorum*;qui,fulgore *Solis* adverſi laceſſitus, ac vibrantium repercuſſione radiorum accenſus, flammeſcit. Id fit, quoties *aurô*, *gemmis*, & *argentô*, cultus omnis, & habitus, armatorum rutilat: idquod, non paucis in conflictibus ac præliis, accidiſſe, compertum habemus. Denſaret autem,&augeret in immenſum, *fulgoris* illam copiam; ſi,ſuper hæc omnia,præter micantes *gladios*, & *vaginas* eburneas,aureáſque *loricas*, & inauratas *galeas*, etiam *Clypei* multorum millium, ex *auro* ſolido conflati, tenerent, umbonibus cryſtallinis adamantiniſve, clauſam in ſe, *Solis* effigiem, *pyrópo* ſeu *carbunculi* grandi gemmâ, ductam: in quorum *Clypeorum* politiſſimas facies, ex adverſo, *Sol vivus* ac genuinus incideret, ardente radiorum luſu. Quo

 fieret,

fieret, ut jam non *Unicus* duntaxat ſupra tabernaculi faſtigium (velut in *Darii* quondam, adversùs *Alexandrum*, caſtrîs evénit) ſol promicaret; ſed è *ſingulis* inſuper, *tot militum* agminúmq; ſcutis, *Soles* innumerabiles reſplenderent, ac fulgurarent. Superi boni! quantus indè, quámque ſtupendus, emergeret, tot copiarum capitúmq; militarium, *Splendor?* cùm, etiam *Antiocho* quondam *Eupátore* contra *Judam Machabæum* aciem movente, tametſi copiîs haudquaquam immenſis inſtructam; *Sol* tamen *refulſerit in Clypeos aureos æreósq;*, quô *montes ab eis, lampadum ignitarum* inſtar, *per circuitum omnem reſplenderent*. (*ff*) Quanto jam igitur, ſexcentorum, aut mille, millium *Exercitus* talis, lumine, circumiectam aëris regionem ac loca mon-

montana, compleret? quantâ, *spectantes* admiratione, formidinéq; stupentem *hostem*, percelleret, & attonaret?

Accedat autem his, ad extremum, *ORDO* quoque *decens* (*quo nihil utiq; pulchrius in humanis est*) &, ex arte rationéq; militari compositus, *Aciei*, quasi modulus quidam, *& harmonía*. Cujusmodi, *Davidis* fuit, Jerosolymorum Regis, in bella ruituri, decor & *Ordo*: qui copias suas, è vetere legis Mosaicæ formâ vestigiísq; descriptas, in militem, Duces, Legatos, Tribunos, Præfectos, Centuriones, Decuriones, & in exercitûs sui robora, Cerethæas ac Phelethæas Legiones, partiebatur. Qualis item apud *Macedonas*, in *phalangem*, Prætorianos, Argyráspidas, equitúmq; florem illum, quem *Agéma* nominabant. Qualis demum apud *Romanos*



manos (ut gentes alias, ac *Persarum* præsertim *Immortales*, *Doriphoros*, divisionémq; reliquam, silentiô prætercam) in manipulos, ordines, legiones, ac vexilla, descriptio fiebat. in quorum castris erant, hastati; levis armaturæ milites; Principes item *(gg)* scutati, cum armis insignibus; antepilani, primipilíq; ; sub quibus, Accensi, rorarii, triariíque, continebantur: equestres verò turmæ, per alas suas, lateribus circumfusæ, vallandis adversùs hostem legionibus opponebantur. Quos omnes ii, *qui cum imperiis erant, ordinésq; ducebant*, in officio cõtinere, diversîs graduum nominibus, jubebantur: ut erant, Dictatores, equitum Magistri, Paludati Consules, Legati militares, peditum equitúmq; Præfecti, Quæstores, & siquæ præterea, *præcipientium cæteris*, sortes & ap-

& appellationes, vigebant: quibus, *exactiſsimus* diſciplinæ militaris *Ordo* conſtabat.

Hucuſque dixi, demonſtravíque; QUATUOR eſſe, fuiſséq; ſemper, florentis EXERCITUS ornamenta: *Robur, Multitudinem, Splendorem,* & *Ordinem.* quæ nunc ſingula, quis non videat, in *veſtra* prorſus (ô *Spiritus Angelici*) MILITIA, labore quidem nullo, præſtantiâ tamen incomparabilî, reperiri?

Primùm enim, quippe ni *Fortes* & ſitis, & habeamini; qui, *(hh) potentes virtute,* contra Tartareos cuneos & alas quotidie ſtatis in acie? *gladióq;* validi, ſed *Ore* validiores; hoſtium nullam non pertinaciam, unico tandem vocis veſtræ fulmine, perfringitis, ac diſſipatis; IMPERET TIBI DEUS? *(ii) recede Satan!* ROBUR autem *enſium* ve-

 ſtro-

ſtrorum, quo quondam *primogenitis* omnibus *Aegyptum*, & *Aſſyria* caſtra toto milite, regnúmq; *Davidis* ſeptuaginta millibus *indigenarum*, (*kk*) exhauſiſtis: nónne ſatìs innuit, quantùm *Manu* poſſetis; ſi, vel in orbis terrarum concuſſionem, vel in excidium denique mundi, ſub finem ruituri, participes laboris adoptaremini: quippe, quibus & alioquin, *Doctoris Angelici* judîciô, (*ll*) Deíque liberali munere, *cuiuſvis rei cónditæ, corporeæ*, vicaria *permiſſa* ſit *adminiſtratio*. Cæterùm, & aliunde quoque *Roboris veſtri Viriúmq;* conſtat fides. Nam, *Igne* quid potentius? quid acrius, voracius, & inſuperabilius; præter *Deum, qui* (quod Paulus Hebræis ingerit) *ignis conſumens eſt?* (*mm*) Et hic tamen, vindictam capturus è rebellium ſibi pernicie,

facit

facit & *Angelos suos, Spiritus*, (*nn*) pœnarum exactores; *&* *Ministros suos, Flammam-Ignis*, inimica castra perpopulantis. Videmus igitur, ac tantùm non manu tangimus, *Angelicæ Militiæ* Vires, atque *Robur*: cujus tantam, constat, *terroris* esse vim; ut, *stantis inter Cœlum & terram*, *Unius* etiam e *Angeli*, districtô gladio Judæos interficiẽtis, Majestatem, & aspectum, cæteroqui nudum, ne *fortissimus* (*oo*) quidem *David* sustinuerit. *Angeli* verò (qui *Sultánæ* quondam, *Iconiensis Reginæ*, tumulum, *Cruce lucidâ*, supra pyramidem defixâ, divinitus honorârat) terribilis præsentia, (*pp*) barbaros *Machometanos*, Crucem dejicere conatos, tonitruîs, fulgétris, fulminibus, & omni genere terroris, non sine multorum millium strage, prostravit.

Quid

Quid jam de NUMERO *militum* horum, MULTITUDINEq;, dicemus? *Numerat* quidem, in *Oliveti* monte, *Servator* noster, *Angelorum*, quos *æternus Pater*, in locum *discipulorum duodecim*, facili subsidio submitteret, *Legiones plusquam duodecim.* (qq). Joannes autem, Christo dilectus, in Apocalyptica *Patmo* sua, numerum vidit *exercitûs* Angelorum *equestris*, *vicies millies dena millia* (rr). Daniel autem, exul simul Satrapésq; Babylonicus, *millia millium* aspexit Cœlestium Geniorum, *ministrantium Antiquo-Dierum*, in throno rotísq; flammeis cum Majestate sedenti: *deciésq;* præterea *millies centena millia*, prope gloriæ Divinæ radiosum solium *aßistentium illi* (ss). Sed profectò, *pusillus & imbel-*

imbellis omnis est numerus, quisquis sub summam adhuc vocari potest, & iniri; præsertim, in *Cœlestibus*. Quapropter rectiùs (*tt*) *Baldad Suhites*, cùm apud *Jobum* Angelorum meminisset, ad *hyperbolen* decurrens; *Numquid* (interrogat) *est numerus Militum eius? & tamen, super quémnam illorum non fulget lumen eius*, hoc est, Regis-Angelorum?

Quibus verbis *Baldádus* hic non inficias it; *Angelicorum agminum*, stipendiarios singulos, *viritim* esse *numerabiles*, illi saltem Imperatori suo summo, qui condidit eos, & sub signis vexillísq; suis composuit: quippe, *qui numeret multitudinem*, tam *astrorum matutinorum*, cum assiduè *laudantium*; (*uu*) quàm *omnium universim* Angelicorum *siderum, ac stellarum*,

larum, *quarum* ſingulis & *omnibus nomina ſua* (*xx*) *vocat*. Sed videlicet, eô loquendi genere præludere *Baldádus* voluit illi Divi Doctoris Aquinatis ſententiæ: cujus hæc eſt ſumma. (*yy*) Cùm *Angelorum transfugarum*, ignis, aër, terra, maria, Tartarúsque, pleniſſimi ſint; quodammodóque redundare videri poſſint *innumerabilibus* inquilinîs: *tertiâ* tamen duntaxat *parte ſtellarum* hujuſmodi degenerũ Cœlo dejectâ; *bonos Genios multitudine, longiſsimè maiore*, quàm *malos*, perſeverâſſe: Deóq;, caſtrorum ſuorum Imperatori ſupremo, fidem Sacramenti cingulíque ſui retinere, ſemper inconcuſſam. Alioquin autem, *Angelorum numerum*, univerſim *collectorum*, idem ipſe Doctor Aquinas affirmat, *excedere numerum rerum omnium*;

mnium, corpore compactarum. (*z z*)

Quem proinde tot *Militum Dei Numerum*, numquid manifeſtum eſt, (è Divi quoque *Gregorii Magni*, beatæq; *Birgittæ Suecæ*, conjecturis) eſſe *quàm ampliſsimum*; (*A a a*) omnibúsq; regum omnium, qui caſtrîs & expeditionibus antehac terrarum orbem exterruêre, longiſsimè numero præſtare? Nec immeritò. Nam, *Hominum* erant illa, quandoque *periturorum*, agmina; quantumcunque *regum* eſſent ac *Monarcharum*: Iſta verò, *Dei, ſemper viventis, caſtra*; quod eſtis vos, ANGELI, *Militia Cœleſtis* Aulæ.

Quid autem de SPLENDORE jam *Exercitûs veſtri* dicere videbor incredibile; ſi dixero, *Terreſtrium Legionum omnium* FULGOREM, ad *veſtrum iubar* collatum, meras eſſe no-

ctes,

ctes, ſpiſsáſque tenebras, & opacum Avernum?

Nec jam mihi ſermo procedit hoc locô, de *fulgentibus* vulgò *formis vultibúsq;* veſtris; quoties conſpicuos voſmet, amicis præſertim Dei, præbetis: qualis nitor erat, *Gabrielis*, Danielem copiâ luminis propemodum exanimantis (*bbb*). qualis item, ejuſdem *lux* paſtores in ortu (*ccc*) Chriſti, *claritate Dei, circumfundentis* ſimul, ac territantis. qualis item Angeli *ſplendor*, Chriſtum redivivum nuntiantis; *cuius aſpectus erat ſicut fulgur, ac veſtimentum ſicut nix.* (*ddd*) qualis denique (ne ſingula conſectari cogar) illius Angeli *candor*; qui, *Petrum* Herodianîs è catenis, & excubiîs, eductu-rus, copioſo faciei ſuæ lumine, totum

noctur-

nocturni carceris *habitaculum* vertit in diem, ac theatrum *(eee)*.

Mihi verò, cum *iubare, Splendoréq;*, longè potiore, res hîc est: cum illo nimirum, quem, sicut *Moyses*, è *consortio sermonis Dei, cornutā* radiîs *frontem*, vultúmq;, reportabat; sic *Vos*, ex eo, quòd assiduò faciem contemplamini *Patris luminum*, tanquam à primævo proprióque claritatis universæ fonte, *fulgorem* colligitis, & *hauritis*. cujus beneficiô *Vos*, ab æterno præsertim Verbo, *matutinæ cognitionis radiis* illuminati, MENTES & INTELLIGENTIÆ *Theologis* appellamini *(fff)*; quin &, DEIFORMES: quia, quidquid cognoscitis, Intellectûs jubare comprehenditis, & assequimini, *Totum simul*, imitatione quadam *Dei*: non autem, *per Partes*, temporísq; successio-

cessionem *(ggg)*. Nec tamen *vobis solis*, & *intus* tantùm (ut sic dicam) *lucetis*; sed (quod princeps officii vestri ratio, præsertim *Custodibus* in *Angelis*, exigit) radiîs etiam foràs *(hhh)* erumpentibus, institutô Dei, *mortales* quoque, maximè verò, Curæ vestræ commissos, *illuminatis*: hoc est, perspicuîs animi documentîs, non de *Credendis* tantùm, sed & *Agendis* rebus, *(iii)* instruitis.

Quo fit, ut æterna Majestas illa Vos non magìs IGNEM URENTEM, quàm ILLUSTRANTEM etiam, à prima statim originè rerum conditarum, institu- erit. Quo tamen *Splendore*, non *Hominum* duntaxat, quorum *in ministerium mittimini*, mentes irradiatis; sed etiam, *inferioris gradûs Angelorum*, bono præsertim *Hominum*, quorum *Tuto-*

Tutoribus Vobis, excubiæ denuntiatæ ſunt. Id, quod locô non unô, Danielis ac Zachariæ vaticinia nobis inculcant; & Doctor Angelicus ſignatè tradit. (*kkk*). *In Lumine* proinde Divino, ſeu VERBO, *videntes Lumen*; & ipſi priùs radiîs, *ſine caligine (lll) falſitatis* (quæ felicis Angeli nequit *Intelligentiam* fuſcare) collucetis: ac ſubinde, *de montibus æternis*, etiam ad inferiora mundi deſcenditis, *Militum* inſtar; cum fulgidis ſcutis, & armorum habitu: quò reſplendeat, à veſtri tot millium aſpectu fulgurante, *terra*. Cujuſmodi quōdam *(mmm)* cultu candoréque circumfuſus, Cœlo ſe dimiſit *Apocalypticus* ille *fortis*, ac *poteſtate magnâ pollens*, *Angelus*: cujus à glorioſo fulgore *terrarum ambitum* univerſum colluſtratum eſſe, *Joannes* vi-

 dit,

dit. *Unius* autem, & *unici*, Cœleſtis *Militis* inceſſu lucidô ſi coruſcet terrarum Orbis; quantùm, quæſo, *tot myriadum* Angelicarum collucentium acceſſu reſplenderet? utpote, tot in ſidera *Soléſq;*, quot in Cœleſtes *Intelligentias*, partiente ſe claritudine mentium; Deo T.O.M. ſemper, ab Origine ſuî, præſentiam ſatellitiúmque præſtantium.

Sed nec hîc finis eſt admirandi ſuperum illum *Exercitum:* utpote, cujus ornamenta cætera coronet, etiam *illa*, *ſinè qua ſqualent omnia*; SERIES, inquam, & apta, locîs muneribúsq; ſuîs, militum ductorúmq; *Diſpoſitio*; cujus beneficiô, copiis hoſtilibus terrori fiat *Caſtrorum-acies*-ORDINATA. (*nnn*)

Quo loco, quamvis, doctiſſimorum judicio virorum, ANGELI, *ſinguli* pariter

ter & *universi*, non *Individuo̊* tantùm (ut in *scholis* loqui moris est) sed planè *specie* quoque, discriminentur; tamen insuper ORDINEM quisque suum, designatione Numinis, sortiti, (*ooo*) viritim eam, ac singillatim, arctiùs constantiúsque, *quàm suum unaquæque stella cursum officiúmque, tuentur & observant.* Cùm autem huius, quem dicimus, *Ordinis, tota ratio petatur in Angelis, ex ea, quâ Deo coniunguntur, propinquitate; propter eáque, Maiestati supremæ viciniores, gradum quoque sublimiorem, unà cum Lumine cognitionis clariore, nacti* (*ppp*) *sint:* hinc fit, ut *Militiæ Cœlestis*, universa *generatim* in *tres Hierarchias*, & particulariùs, *Novem* in *Ordines Chorósque*, Multitudo describatur; ideóque, sint *Angeli*, sint *Archangeli*;
 sint

ſint *Virtutes, Poteſtates, Principatus, Throni, Dominationes*; ſint denique *Cherubini*, flagrantésq; Divinâ charitate, *Seraphini* (qqq). Quorum omniū ſua quoque ſingulis ſic aſſignata munia ſunt; ut *Angeli* quidem (id, quod vocabulo præſeferunt) *Nuntii* mittantur, ad mortales *particulares*, privatim ferè dirigendos: ſic, ut, *Origenis* quoque vetuſtiſſimô teſtimonio, *cuiq; noſtrum,* (rrr) *etiam minimis, in Eccleſia præſentis temporis, Angelus ſuus bonus* (nam verba Doctoris illius genuina ponimus) hoc eſt, *Angelus Domini, præſtò ſit; qui regat, qui moneat, qui gubernet. Archangeli* verò, *celſioribus nuntiandis*, ac *provinciis* adminiſtrandis, deſtinantur; *Principatus*, ad univerſam naturam humanam; *Virtutes*, ad corpora tuenda; *Throni*,

regnis

regnis pacatè continendis, &, ut solium se *sedémque* quodammodo, quiescenti Deo præbeant: *Potestates*; ut diabolicas irruptiones retundant: (*sss*) *Dominationes* autem, ut ad Spiritus, Deo probatos, adjuvandos, operam impendant: *Cherubini* denique, qui Scientiâ Dei profundissimâ luceant; *Seraphini*, qui Divinitatis Amore calidissimo flagrent, instituti sunt. Et in his omnibus, quantò quisque gradu subiectiorem seipsum, & *Ordine* vel *Hierarchiâ* demissiorem, deprehendit; tantò promptiùs Superiorem sibi, vel Ordinem vel Angelum, *Illuminatorem* excipit, & admittit: *loquentémq;* sibi, per mentis suæ desideriíve declarationem, placidus auscultat. (*ttt*)

Vbi, quémnam mihi quis, *in Humanis*, dabit aut ostendet *Exercitum*;

qui deſcriptus exactiùs ſit in Duces, Legatos, tribunos, copiarum turmarúmque, vigiliarúmq;, Præfectos? In Centuriones item, Decuriones, Equitem, peditem, velitem, aut ferentarium: quàm hæc, ſub MICHAELIS, ductoris *Angelici*, vexillô, *Cœleſtis acies* conſtituta diſpoſitáq; ſit; ſub Lábaro, cujus titulus eſt, ac teſſera, QUIS, SICUT DEUS? Quæ tota demum *acies* expeditur, & in certamen aſſiduum educitur (*ſecundariô* ſaltem Numinis, ac ſuæ functionis, *inſtitutô*) quò, *pro ſalute mortalium*, Acheruntis vires expugnet. *(u u u)*

Et hic ORDO vobis, *beatiſſimi Spiritus*, hic agendi bellandíq; tenor, domeſticus ac firmus eſt; &, ad mundi finem uſque, trabalî quaſi clavô fixus; pérque Cœleſtium cuneos univerſos *conſonus*, atque *concors*. Cúmque ſæpe-

pe sæpius, *mortalium* in castris, *Ordinem*, quantumvis bene compositum, excubiarum inertium unica nox, & somnus, destruxerit; victoriæq; rationes omnes, cum dedecore cladéque, conturbârit: illius tanti mali, penès *vos* solos, *Angeli*, nullum fuit unquam, aut futurum est, periculum: quippe, qui, *custodes super muros Ierosolymorum*, hoc est, *(xxx) Ecclesiæ, constituti* sitis: qui, *noctibus æquè diebúsq;* pervigiles, & hinc OCULI quoque DEI (*yyy*) nominari digni; nec *laudes* Divinas unquam, neque classicum in prælia, *taceatis*. Hinc *vestrum*, tam *unanimem*, militaris harmoniæ *cōcentum*, ad quem alter alterum incitatis, quis unquam, *sopiturum* se, confidat? (z z z.)

Quæ proinde cuncta (*beatissimi Spi-*

ritus) cùm in hunc, quem expoſui, ſe ſe modum habeant, ut *militarium* ornamentorum nullum *Exercitui* veſtro deſit; imò potiùs, incomparabili quadam ratione ſuperabundet: habemus nos humiſtrati, *protoplaſtorum* filii, MILITIAM in *Vobis*, & *caſtrorum* ASYLUM; ad quod, dubiis ac duris in rebus, nos recipiamus, ut incolumes & illæſi perſtemus: quin & *læti*, ſub præſidiis veſtris, & *hilares*, agamus. Cuius lætæ fiduciæ non deſunt nobis cauſſæ multiplices. *QVID enim* (quod piè ſuavitérque mellitus *Bernardus* expendit) *ſub tantis* CUSTODIBUS *timeamus?* (*Aaaa*). *Nec ſuperari poteſtis*; quia Fortes: *nec ſeduci*, diſtrahíque; quia Multi: nec fraude nocturnâ circumveniri; quia quaquaverſum perſpicaces, ac Lucidi: nec diſturbari lancinaríque;

quia

quia *Castrorum acies Ordinatissima. Fideles* estis, *Prudentes* estis, *Potentes* estis. *Quid ergò trepidemus sub Vobis? Tantùm sequamur Vos; adhæreamus Vobis: & in Protectione Dei-Cœli commorabimur.* Revereamur Vos, cultu; qui, more majorum, ac sinè Numinis ulla contumelia, vos decet: &, *qui reverendi propemodum unicus ac supremus esse gradus solet, Obediamus* monitis vestris. Supplicemus Vobis, quod nemo nostrum non debet, *ut* (quod optimus quisque cum *Ecclesia* vos rogat) *nos defendatis in prælio: ne pereamus in* illo, quo *Virtutes quoque Cœlestes movebuntur, (b b b b) tremẽdo iudiciô.* Donîs præterea muneribúsq; *Vos*, ac monimentis, ceu proceres Aulæ supremæ, percolere meminerimus; pro cujusque nostrûm, aut fortu-

narum,

narum, aut ingenii, facultatibus, & impensis.

Et alii quidem mortalium, opulentíque præsertim Reges ac Principes, ingentis operis & magnificentiæ *templa* quondam, ac Basilicas, *Angelis* aut *Archangelis* exædificârunt. Nam, *MAGNOS* à *Magnis*, *non nisi magnificentissima, decebant*. Nos autem, quibus curta domi supellex, exiguáque res est, *Volumen* hoc; tenuis ingenii partum, ac scilicet, in hac *quarta Decade*, quâ Basilicarum, Regum, Regnorúmq;, Ruinas digessimus, pedibus vestris, ut *Rudera*, donariorũ instar, adsternimus: *Ruinas*, inquam, *ac rudera*, pulverémq; nunc, & *strages*; sed, grandium quondam operum, ac fabricarum: è quarum tamen, quantumvis *Jacentium*, plerísq; parietínis, poten-

tiæ

tiæ nominísq; *veſtri* fama, Cœlo terríſque celſiùs aſſurgat, & conſpicua magìs fiat.

Nam profectò (ne recedam ab *Illuſtrium* horum *caſuum* hoc ipſo *quarto* volumine) *veſtrum*, ô Cœleſtes Genii, *Veſtrum* opus ac labor fuit, religionis ſanæ retentus utrimque ſtatus, adversùs *vitulinum* Regum *Iſraëliticorum* Dei-cultum; utpote, per *Angelos*, tam *Eliæ*, quàm *Eliſæo*, familiares, defenſus, ac ſuſtentatus. *Veſtrum* fuit opus, *Sennacheribi* tot millium deleta militia; ſolius *unius Angeli* manu, contra pluſquam octodecim barbarorum myriadas: cùm alioqui (quod proverbiô fertur) *nec Hercules quidem contra duos*, aut tres, in acie ſtaret. *Veſtræ* dirigentis dextræ vulnus ac funus fuit, *tyrannorum* haud poſtremus, *Ho-*

Holofernes; qui *Juditha* viragini victima procubuit, cuius ipse prosternere muliebrem pudicitiam barbaricâ petulantiâ destinârat. *Vestra* curæ custodiæq; fuerunt, *Persarum*, & *Græciæ Macedoniæq;*, Reges ac Regna; si, quæ debet esse, *Danieli* fides est. *Vobis* absterrentibus, *Ptolemæus Philópator* inhibitus est, ab internecione generis Hebræi, per Ægyptum sparsi: quo tempore, Regis illius, de Cœlo *siderata*, mens, ipso Cœlestium aspectu spectrorum, emarcuit. *Vestra* flagella scuticęque fuerunt, plagæ *Syrorum* horribiles; &, in ærario templi vapulans, *Heliodorus*. Vester demum *gladius* fuit; quidquid, barbarorum victor, *Judæ Machabæi* fulminans *acinaces* absumpsit: quando solus Vestrî conspectus, plures *Vultu*, quàm *ferrô*, prostravit hostes. Acci-

Accipite proinde, quod jam antea tot titulîs *vestrum* est: RUINAS, inquam; quarum *Vos*, cùm, sortis vestræ felicitate, nullam *subieritis*, potentiæ tamen vestræ Majestate, non paucas *fecistis*. Cui rei testimonio sit, *Liber* hic; in talium enarratione cladium, multus: &, vestrarum quidem *laudum* PANEGYRICUS; rerum verò *gestarum*, fidus *explanator*. Hoc *omnibus universim* dictum esto, dicatúmque, Cœli *Geniis*.

TIBI verô *seorsim*, animæ meæ *tutor*, ANGELE, munusculum hoc, pignus ac *particula Solutionis* esto diversi generis *Debitorum*; quibus, obstrictum me tibi nexúmque, profiteor. Sit pignus ac pars *Didactri*, pro Magisterio meî, totiúsq; vitæ disciplinâ. Sit pars *lytri*, pro pietate; quâ me crebriùs hostium vinculis ac dolis expedîsti. Sit pars *manupretii*;

pretii; pro sæpius porrectâ mihi tuæ dexteræ sublevantis operâ. Reliquum est; ut, quod *hîc* solutioni plenæ deest, ad *sortem* summámq; numeratam; id ut *illic* exspectes, à me tibi persolvendum: ubi, patriam assecuti, *nemini quidquã*, nec Angelis homo, nec homini vicissim Angelus, *debeamus*; prẹterquã, *ut alteros alteri*, tametsi *naturâ* dispare, concordi tamen *affectu* mentis, & in unum confuso gaudio, *diligamus* (*cccc*). Ità demum, qui nunc *Innumerabiles* utrobiq; sumus, istic, UNUS OMNIUM SPIRITUS (*dddd*) efficiemur: *in Angelis, Homines*; *in Hominibus, Angeli.*

Dilingæ, die 20. Julii, reparatæ salutis M. DC. LXII.

Decadis hujus *Auctor.*

TESTI-

TESTIMONIA.

(A) *Psal. 103. vers. 17- & 18.* (b) *Proverb. 30. v. 26.* (c) *Livius lib. 2.* (d) *Curtius lib. 10. c. 7.* (e) *Livius lib. 8.* (f) *Appianus lib. 3.* ἐμφυλίων. (g) *Suetonius in Claudio.* (h) *Cornelius Nepos, in Eumene.* (i) *Cæsar lib. 3. de bello civili.* (k) *Iustinus lib. 7.* (l) *S. Thom. p. 1. q. 108. a. 2. ad 3.* (m) *Psal. 108.* (n) *ad Ephes. 6. n. 16.* (o) *Psal. 48. v. 8.* (p) *Zachar. 9. v. 8.* (q) *Luc. 2. v. 13.* (r) *Apocal. c. 12. v. 7.* (s) *Genes. 32. v. 2.* (t) *1. Petri. 5.* (u) *Isai. 27. v. 2.* (x) *Apocal. 12. v. 10.* (y) *S. Bernard. serm. de Angelis.* (z) *Iudic. 5. v. 8.*

(Aa) *Theodor. Zwingerus, in theatro, ex Herodoto.* (bb) *Carolus Stephanus, in Lexico Geographico.* (cc) *Cornelius Nepos, in Hannibale.* (dd) *Livius lib. 9.* (ee) *Iudicum cap. 7.* (ff) *1. Machab. 6. v. 39.* (gg) *Vide Livium lib. 8. Et Iosephum lib. 3. belli Iud. c. 3.* (hh) *Psal. 102. v. 20.* (ii) *Iudæ Epist. Canon. v. 9.* (kk) *2. Regum 24. v. 15.* (ll) *S. Thom. 1. p. q. 110. a. 1.* (mm) *ad Hebr. 12. v. 29.* (nn) *ad Hebr. 1. v. 7.* (oo) *1. Paral. 21. v. 30.* (pp) *Matthæus Paris, Rogerius, Baronius in annum Christi 1169.* (qq) *Matth. 26. v. 53.* (rr) *Apocal. 9. v. 16.* (ss) *Daniel. 7. v. 10.*

v. 10. (tt) *Iob 25. v. 3.* (uu) *Iob 38. v. 7.* (xx) *Psal. 146. v. 4.* (yy) *S. Thom. 1. p. q. 63. a. 9.* (zz) *S. Thom. 1. p. q. 50. a. 3. & q. 112. a. 4. ad 2.*

(Aaa) *vide Corn. à Lapide in c. 15. Lucæ.* (bbb) *Daniel. 8. v. 16.* (ccc) *Luc. 20. v. 9.* (ddd) *Matth. 28. v. 3.* (eee) *Actor. 12. v. 7.* (fff) *S. Th. 1. p. q. 54. a. 3. ad 1. & q. 79. a. 1. ad 3.* (ggg) *S. Tho. 1. p. q. 85. a. 5. in c. & 1. 2. q. 5. a. 1.* (hhh) *S. Thom. 1. p. q. 113. a. 5.* (iii) *S. Th. 1. p. q. 111. a. 1. ad 1.* (kkk) *S. Th. 1. p. q. 111. a. 1.* (lll) *S. Th. 1. p. q. 58. a. 5.* o. (mmm) *Apoc. 18. a v. 1.* (nnn) *Cantic. 6. v. 9.* (ooo) *S. Tho. 1. p. q. 108. a. 3. in c. & ad 2.* (ppp) *S. Th. 1. p. q. 106. a. 3. ad 1. & q. 107. a. 2. in c.* (qqq) *S. Greg. Magn. Homil. 34. in Euang.* (rrr) *Homil. 71.* (sss) *S. Tho. 1. p. q. 113. a. 3. in c.* [ttt] *S. Th. 1. p. q. 107. per* o. *&* q. *eâdem a. 1. per* o. [uuu] *S. Tho. 1. p. q. 113. a. 5. ad 2.* [xxx] *Isaiæ 62. v. 6.* [yyy] *Zachar. 4. v. 10.* [zzz] *Iob 38. v. 37.*

[Aaaa] *In Psal. 90.* [bbbb] *Luc. 21. v. 26.* [cccc] *Roman. 13. v. 8.* [dddd] *S. Gregorius Magnus in fine expositionis ps. pœnit.*

Ha

Hac

DECADE IV.

RUINÆ

continentur,

XXXI. Regum Israëliticorum.
XXXII. Sennacheribi.
XXXIII. Messeniorum.
XXXIV. Tyranni Phalaridis, & aliorum, eius generis.
XXXV. Regum Persicorum: & maximè Cyri, ac Cambysis.
XXXVI. Philippi Macedonis Amyntiadæ.
XXXVII. Olympiadis reginæ, matris Alexandri Magni.
XXXVIII. Domûs Ptolemæorum, Ægypti regum.
XXXIX. Domûs Seleucidarum, Asiæ Syriæq; Regum.
XL. Reipublicæ veteris Romanæ, in Pompeio.

RVINA XXXI.

Quæ fuit,

JEROBOAMI,

& aliorum,

REGUM ISRAELITICORUM.

BREVIARIUM CAPITUM.

I. *CHanaanitidem Regionem, ſpatiis ſatis amplis diffuſam; diu Capitis unius poteſtas gubernavit. In plura deinde capita diviſit eam, Salomonis, â Deo, defectio. Huic, ob id, iratum ſe Deus, eſſe, Prophetæ Abiæ aperuit. Abiæ occurrens Jeroboamus (cuius genus, patria, officium, ac mores, nonnullâ ſui parte, deſcribuntur) de turba ſeducitur, in agro: regnúmque Duodecim Iſraëlis tribuum, ſub allegoria pallii, in duodecim partes ſciſſi, promittitur; non ſine Abiæ, adverſùs Salomonem invectivâ, & ad Jeroboamum Paræneticâ, Oratione. Cæterùm, iſtud utriuſque ſermonum, inter ſeſe, commercium, & Jeroboami ad Regnum deſignatio; Salomonem incendit in Jeroboamum. qui interitum, ſibi paratum, fugâ declinat*

nat. Idem autem, post Salomonis obitum, reversus in Chanaanitidem: in Comitiis regni, unà cum populo pleróque, ab Roboamo, Rege novo, deprecatur duritiem tributorum, & jugi pristini. Repulsus autem ab asperè respondente Roboamo (cujus illic dicti factique indignitas, ex merito, reprehenditur) sese, unà cum Decem tribubus, abrũpit à Domo Davidica: communique suffragiô Rex ipse declaratus Israëlis; Roboamo, præter tribûs Judæ, & Benjamini, imperiolum, relinquit nihil. Quæ Pœna fuit, intemperantis verbi.

II. *Israëlitici Regni amplitudo proponitur: enumeratîs, per seriem, ditionibus; quas sub se singulæ Decem Tribuum habuerunt. Tres autem omnium eminentiores, erant, in Israëlis regno, Regiones: quæ deinceps, per ordinem, & cum cura, describuntur. Primò quidem ea, quæ postea Samariæ nomen accepit; à principe sui urbe. Cujus regionis ubertas, præsertim frumentaria pecuariáque, proponitur. Vrbes item regionis ejusdem, celebratiores; quarum capita fuerunt, primò Thersa; deinde, Samaria. Hujus postremæ, situs, amœnitas, pulcritudo, prospectus, mœnia, & ædificiorum magnificentia, adumbrantur. Post Samariam deinde, Galilæa (quæ gemina) expenditur. Primò quidem, Superior, sive gentium. Ejus situs, ac fines, sive limi-*

Ruina Ieroboami.

tes. Ibidem, & de Terra-Chabul; quænam, & ubi locorum, & cur hoc nomine, fuerit. Indè Galilæa Inferior, cum tribubus suis, ditionibus, urbibus memorabilibus, ac limitibus, depingitur. Galilæa tandem universim, quàm fertilis, amœna, habitata, culta, populosa, militarisq;, fuerit. Ideóque, Christianos, olim à Juliano Galilæos nominatos, opprobrium non esse: quia Religionis Christianæ præstantissimi quique plantatores Galilæi fuerunt. Christus, quatenus dici Galilæus possit: & de cura illius erga Galilæam universam. Peræææ *denique regionis descriptio, summaria. Ex quibus omnibus magnitudo potentiæ Regni Israelitici, conjectatur.*

III. *Sed hoc eversum est, priusquam Judaicum everteretur: scelere maximè Jeroboami Primi: cui populi peccata à divina Scriptura perpetuò impinguntur. Initium ei labis, ambitio sua fuit; & Aegyptiacum exilium: sicut multis aliis Peregrinationes obfuerunt; in terris præsertim religionis corruptæ. Erat autem Aegyptus, stabulum superstitionum Idololatricarum. Illic Apis, seu Serapis, bos vivus; pro Deo habitus. Eius accurata descriptio. Quo pacto hic reddere crederetur Oracula? Quomodo item Divinitate suâ tandem absolveretur; non sine luctu Aegyptiorum publicô. Subjungitur deinde, de alio Aegyptiorum Api, seu Serapi; à prio-*

remul-

Ruina Ieroboami.

re multùm distincto: qui & ipse paucîs describitur; déque hujus tandem eversione, & Oraculis. Apin porrò illum priorem, viderant in Aegypto Hebræi: qui proinde, ad exemplar illius, conflaverunt sibi Vitulum Aureum in Deserto; quem & Deos suos *appellârant. Post hos, idem fecit Jeroboamus: qui, ex conspecto, & utique etiam cultô, Api bove, vitalóve, Geminos fabricari Vitulos ex auro jußit: &, in Bethel ac Dan, urbibus suis, collocatos, proposuit adorandos. Detestabilis hujus consilii, quásnam habuerit rationes; Oratione illius, secum ipso institutâ, exprimitur. Cur illas ipsas urbes, præ aliis, delegerit, Idolis inquinandas? &, ubi sitæ fuerint illæ? Quàm callidè item, Adorationem Vitulorum suaserit populo: quem etiam fanîs insuper, ac lucîs montanis, ad Idolatriæ majorem licentiam pertraxit: Sacerdotibus institutîs, è fæce plebis. Discutitur quoque, per digreßionem; Cur in Vitulos potiùs ille, adorandos, quàm in alia fuerit Animalia, pronior? Vbi de Cherubinis: & ex Cornelio Tacito nonnulla. Paschæ sollemnitatem, tempus, mensem, ac diem, Jeroboamus mutat, ac transfert: & Sacerdotis ipse munere fungitur: neque Divinîs increpationibus, ac prodigiis, emendatur. Impietate denique suâ, plurimam, & vivus, & à morte suâ, stragem animarum edit.*

Ruina Ieroboami.

IV. *Vnde, per Digreßionem, adversùs Jeroboamum, meritò gravis Invectiva instituitur. Primóque omnium, Caussa fundamentalis, Impietatis tantæ susceptæ, indagatur: ejúsq; absurdißima indignitas exploditur. Exaggerantur deinde, ingentia, multipliciáq; divinæ Gloriæ detrimenta; quæ ex novatione Religionis tunc exorta sunt. necnon Decalogi prolapsa observatio: totáq; Israëlis terra flagitiis repleri cœpta. Multiplicatio deniq; Deorum. Posthæc Populi, ab eo tempore, in Idololatria pereuntis, multitudo inducitur. Ea, facilè colligitur, ex numero Virorum militarium; qui in Singulis Tribubus, temporibus diversîs, recensiti sunt. Ex quo terrentur; quicunquè secum multitudines in Interitum pertrahunt. Perstringitur verò summatim, etiam Impietas, & ingentia scelera, populi Israëlitici, sub Jeroboamo, cæterisq; post eum regibus: ejúsque, in malis, obstinatio. Reditur tandem ad exagitationem scelestißimi Jeroboami; qui, Machiavellistarum exemplar vivum, omnia alia post commodum lubidinémq; suam duxit: sicut hodiéq; multi ducunt, qui præsertim, ex humili surgentes in altum; ut ipsi sint in summo, cætera cuncta ponunt in infimo.*

V. *Hinc autem deinceps, ordine bipartito, transitur ad narrandas, & Regum Israëlis, & ipsiusmet* Populi,

Populi, Ruinas horrendas. A Regibus initiô factô; compendium vitæ morúmque Jeroboami ponitur. Eius, in malis, obstinatio; post complures, eásque prodigiosas, à cœpta Impietate, dehortationes. Prælium adversùs Abiam, Judææ regem; & luctuosissima clades. Filii eius morbus lethalis: & atroces ei, per Prophetam Abiam, denuntiatæ pœnarum minæ. Mors filii: paullóque pòst, etiam ipsius Jeroboami; infelix, horrenda, secundæque mortis inchoatrix.

VI. *Post Ieroboamum, qui proximè, nec tamen meliùs, imperârunt; breviter ob oculos ponuntur. Nadábus, eius filius; in obsidione Gebbethonis urbis occisus à Baasa. Baasa deinde, omni Ieroboami domo & cognatione excisâ; de cætero se totum exhibuit Ieroboamicum, moribus, & superstitione. Bellô regem Iudæ Asam persequitur: & quásnam ob caussas? Prophetam objurgatorem necat: & hinc, multîs à Deo cladibus punitur; tandémque naturali morte defungitur. Ela, filius Baasæ, post regni duos annos, ebrius interficitur. Zambris, occisor ejus, & successor; continuò pòst, obsessus ab Ambri, seipsum vivus exurit: postquam omnem priùs Baasæ familiam, ac propinquitatem, ferrô sustulisset. Ejus, ex S. Scriptura Epitaphium. Zambri succedere conatus Thebnis, à populo deseritur; & ab Ambri, æmulô, depellitur. Ambris regnat; & impiè. Samariam,*

Ruina Ieroboami.

regni sui metropolin, ædificat. unde Regno Samaritico nomen suum, & ab Iudaico regno discrimen. Post annos paucos morte, nec tamen illatâ, decedit, ad sui similes.

VII. *Ambri defuncto, filius succedit, Achabus: patre malò deterior. Hic, etiam Baalem colit, Phœnicum Idolum; Iezabelis instinctu, quam uxorem duxerat, regis Sidoniorum filiam. Iezabelis mores, in compendio. Cum ea rex Achabus Dei Prophetas dirè persequitur: & Pseudoprophetas magno numerô alit. Aedificationibus studet. Cum populo suo affligitur ingenti fame, per sesquitriennium: nec tamen cessat Prophetarum insectatio. Ad necem & Elias quæsitus, ultrò se sistit; in regem invehitur: cum Pseudoprophetis certamen, super vera Religione, init: vincit; ac victos interficit. Pluviam miraculò procurat. A Iezabele denuò quæsitus ad supplicium, propter jugulatos Idolorum popas; in montem Orebum fugit. Miser Israelis status, eo tempore. Reversus à fuga Elias, Elisæum, ac duos reges, ungit. Achabi, de Benadado Syro, victoria prima; per pedisequos Satraparum. Ejusdem, de eodem, victoria secunda; cum multò grandiore Syrorum, quàm antè, strage. Benadadum, temerè, nimisq; præcipitanter, recipit in fidem: ob idque reprehendi jussus à Deo; superbè furibundéque increpationem excipit.*

Ruina Ieroboami.

excipit. Post hæc efferatior, Nabothum, propter negatam sibi vineam, Iezabelis machinationibus læpidatum; gratè fert: sed ab Elia propterea, pro meritis, tractatur; internecione totius Achabææ stirpis ei denuntiatâ. Pœnitentiam Achabus indè concipit: sed non continuat. Idcircò, dum, adversùs Michææ Prophetæ consilium, Pseudoprophetis suis credulus, ad Ramotham urbem, cum Iosaphato rege, contrà Syros præliatur: Iosaphato salvò, ipse à sagitta, jactûs & auctoris incerti, perit in curru: mortéq; tam præsenti, quàm sempiternâ, scelerum suorum mensuram implet. cujus sanguinem, occasione mirâ, canes lingunt.

VIII. *Successor Achabi, filius Ochozias, æquè impius, ac genitor: etsi vitæ regniq; brevioris; à Deo, vivus adhuc, aliquoties malè multatur. Ab eo namque Moabitæ desciscunt. Classis ejus naufragiô eliditur. Ab Iosaphato quoque destituitur: &, lapsu dc cancellis cœnaculi, graviter alliditur. In eo morbo, mittit ad consulendum Dæmonis Oraculum: &, ob id, à Propheta Elia, tum absente, tum præsente, vehementer increpatur; cum præsagio mortis: quæ mox insecuta, regem impium abstulit, & illuc misit; ubi jam pater ejus sedebat. Post Ochoziam, Ioramus regnum capessit. Et Baalis hic quidem simulacra destruit: Vitulos autem Ieroboa-*

micos

Ruina Ieroboami.

micos retinet. Bellum deinde Moabiticum ingreditur; sociis expeditionis, rege Iosaphato, & Idumæo. Sitî milites, ac reges, torquentur: sed, Elisæi precibus, undisq; miraculosîs, refocillantur; in gratiam Iosaphati. Moabitæ, falsâ conjecturâ decepti, & incompositô agmine in Israelitas irruere ausi; magnâ clade mactantur: ac profligantur. Terra Moabitica fœdè vastatur. Vrbs regia obsidetur. Rex Moabites, frustra erumpens, in urbem rejicitur: in cujus urbis muris, consiliô crudelî, ferróq; crudeliore, filium suum mactat. Vnde tres reges hostes obsidionem, cum stomacho, solvunt. Hanc autem Tragœdiam nonnulli secus narrantes, exploduntur. Ioramus, domum reversus; novis aßiduò beneficiis à Deo, Elisæi ministeriô, afficitur: ut, curatione Naamánis; detectione insidiarum Syriacarum; Syrorum captivitate, licèt captis innoxiâ; famis & obsidionis gravißimæ depulsione: cujus totius rei gestæ series exponitur, cum caußis suis, & eventu. Indè Elisæi major apud Ioramum auctoritas: quem hic tamen aliquando cogitârat occidere. Nihilominus, immobilis in malo, Ioramus; ab Iehúse tandem sagittâ trajicitur: & malitiæ præmia refert, quæ Pater retulerat.

IX. *Iehúses, Iorami successor, quis, & unde, qualisque, ante susceptum regnum, fuerit; exponitur.*

tur. Rex divinitus inungitur, ad Achabææ domûs exſcidium. Ramótbâ Iezraelem ſe conferens, reges duos interficit, uno ſtatim impetu: dum fugam moliuntur. Iezraelem ingreſſus, à Iezabele reginâ convitiis excipitur: quam, ad ejus imperium in præceps datam, Canes dilaniant: fruſtra confiſam, ſe regiô titulô, ornatúq; meretriciò, tutam futuram. Idem Iebúſes, paullò pòſt, ſeptuaginta filiorum ac nepotum Achabi, à Samaritanis interfectorum, capita populo monſtrat. Omnem præterea domum & cognationem Achabæam, extinguit: cum Ochoziæ, Iudæi regis, quadraginta duobus fratribus. Beli quoque Sidonii Sacerdotes omnes, unà cum eorum templo, perdit; ad internecionem & ignominiam uſque. Ipſe nihilominus à Vitulis Ieroboamicis non recedit; eorum more, qui facta puniunt, & punienda faciunt. *Idcirco Deo faſtidium movet; &, adversùm ſe, Syri regis arma: quibus regni magnâ parte, ac non multò pòſt, vitâ, cedit; inter exſecrabiles & ipſe Reges Iſraelis numerandus.*

X. *Succeſſor Iebuſis, filius ejus Ioachazes; ob impietatem paternam retentam, à Deo, Syrorum hoſtilitate dirè caſtigatur: & ad virium opúmq; pudendam egeſtatem redigitur. A Deo tamen, poſt hæc, precibus flexô, nonnihil erigitur; ac promiſſionem*

Ruina Ieroboami.

nem accipit ſublevandi regni; ſed in Succeſſoribus implendam. Ipſe tamen, etiam poſt iſta, cum ſuo populo, ingratus ob beneficia Numini, ſubtrahitur in ſceleribus ſuis è vita. Poſt eum Joas *imperat, filius ejus; & impiè, contrà Ioſephi aſſertionem. Felix tamen bellò, Syros aliquoties profligat: Amaſiam, Iudæ regem, in acie capit: & ab Eliſæo moribundo victoriarum plurium prædictione animatur. Moritur tamen in peccatis ſuis, Deo ingratus. Quem, regni ſucceſſione,* Jeroboamus Junior, *filius ejus, excipit. Hic, æqualis temporum Ionæ Prophetæ, in impietate majorum perſeverat. Et tamen, Deo populi ſui miſerente, victoriis multîs, & urbium ereptarum receptione, claret: diúque admodum regnat; ſed in oblivione, tam Dei, quàm beneficiorum illius: ac talis obit. Succeſſorem accipit* Zachariam *filium: qui tamen, poſt ſex, ab adito regno, menſes, à Sellumo, ejúsq; conjuratione, opprimitur. Quot poſt Iebuſen, reges ex ejus ſtirpe, ſolium tenuerint? & quónam numeri myſteriô? exprimitur. Sellumus autem, Zachariæ interfector, non plus menſe imperat: à Manahemo jugulatus; tyrannus, à tyranno. Crudeliſſimus enim Manahemus, Sellumi ſucceſſor, inauditâ in Thapſenſes barbarie ſævit: & cur? Regum Aſſyriorum, poſt Sardanapalum, quónam modo ſucceſſio*

revis

revixerit; explicatur. Ex iis, Phales, à Manabemo, ingentis pecuniæ pensitatione, vel emitur, vel redimitur. Quanta ea summa fuerit: & à quibus pendi coacta? Mortuo Manabemo, Phacèas, filius, subrogatur: qui, post alterum regni annum, à Phaceja, & factiosis, occiditur. Phacejas autem, successor in regno, propter negatum Assyrio tributum, regni longè maximam partem amittit; unà cum populi multitudine, in vinculis abductâ, peregrinas in terras. Phacèas tamen, in impietate vivens, ac perseverans, etiam Iudææ regem bellò incurrit: Iudæorum multa millia trucidat: plura, captiva abducit; sed Prophetæ jussu, restituit, ac remittit. Iterum tamen, paullò pòst, unà cum Syro rege movet in Iudæam; oppugnátq; Ierosolymam: &, quo consilio? interseritur. Vterque tamen, ab Assyrio rege, ab obsidione abstrahitur; neutérq; sine grandi clade suâ. Et Syrus quidem ab Assyrio; Phacejas autem ab Oséa, interficiuntur. Nec tamen Oséas adhuc, plenâ cum potestate, Phacéæ succedit: variè aliunde impeditus.

XI. *Post novem autem annos, indulgentiâ Regis Assyrii, regnum init. Non est tam Impius, atque reges priores; sed iter Ierosolymitanum suis permittit. Et tamen in ejus caput Regni excidium exit. Cui malo, Tributorum negatione, caussam prabet;*

præbet; & Aegyptii regis societate, adversùs regem Assyrium, ambitâ. Vnde bis ab Assyrio, validis copiis, opprimitur. Regnum ejus vastatur. Samaria, post triennii obsidionem, capitur; &, in ea, Oseas: qui etiam, cum pleróq; populo, captivus in Mediam abducitur. Israelitarum plurimi diffugiunt, in terras vicinas. Abducti verò, diversissimis in regionibus collocantur; &, quænam illæ fuerint, accuratiùs disseritur, è selectis, abstrusisq;, libris. In patriam autem rari subinde, tardéque, revertuntur. Gentes barbaræ, coloniarum more, in terras Israelitarum missæ, depravant reliquias Israelis; Idololatriâ suâ, cum legis Mosaicæ cultu, commixtâ. Ex iis mortales improbissimi progenerantur, & Hæresiarchæ, Sectariiq; quique totum subinde Orientem turbârunt. Reliqui Israelitæ, per omnes sparsi terras; in pertinacia plerique hærent: sicut reges eorum, in Inferno.

XII. *Ostenditur porrò, tam Reges, quàm Populum, incurrisse mala sempiterna; Quia voluerint. Reges Ambitione, fluxiq; lucri cupiditate, à Deo recessisse: sicut & novissimis mundi temporibus Reges, ac Principes aliquot Christiani, ab antiquis moribus atq; Sacris recesserunt; suo quisque compendio inhiantes. Populum autem, Sacrificiorum Idololatricorum insanâ dulcedine illectum; libenter*

benter se cogi à regibus passum esse, ad Vitulos adorandos, & Excelsa frequentanda: quæ Imago quædam fuit hodiernæ Libertatis Acatholicæ. Subnectitur tandem comparatio Regum Iudaicorum, & Israëliticorum; quantùm attinet ad diuturnitatem imperii.

RUINA JEROBOAMI, & aliorum REGUM ISRAELITICORUM.

(I.)

REGIONIS, quam, appellatione CHANAANITIDIS contineri, dictum in superioribus libris est; fines antiquitus, atque terræ, tam cis *Iordanem* amnem, ad mare Phœnicium ac Palæstinum, quàm ultrà, versùs Arabas, expandebantur. Quarum, qui situs, amplitudo, distributióque: quæ præterea memorabiliores urbes, ac loca, fuerint; ab Josuæ Ducis temporibus, ad Christum usque, supremum

Imperatorem : DECADIS proximè præce-
dentis liber primus, in *Ruina Saulis*, descri-
psit; eâ mente, quò posterîs etiam in volumi-
nibus, quoties usus ferret, aut posceret, ad
eam illius Terræ *picturam* lectori, talium avi-
do, recurrendi facultas aperta staret. Et erit
sine controversia; cur is eò recursurus sit ali-
quoties; ac fortassis in hac ipsa, quam nunc
adgredimur, *Ruina*. Totam porrò, quàm lon-
ga latáque, trans *amnem*, & intrà, fuit, *Chanaa-
nitidem*, sub *unius* solius gubernantis capite
collectam : principiô quidem *Prætores*, Judi-
ciariæ potestatis titulô; deinde verò, *Regiô* jure
nominéque, *Saules*, Cisi filius; *David*, Jessê na-
tus, ac, Davide genitus, *Salomon*, administra-
vêre. Postea verò, *Salomonis* partim nequitiâ;
partim autem *Roboami*, successoris eius, ac fi-
lii, feroci stoliditate, factum est : ut, quod Re-
gnum fuerat *unicum*, bipartitum deinceps
bicépsq; fieret. Cuius ego fœdæ scissionis cau-
sas & ordinem, quàm potero, compendiosis-
simè (quoniam homini, *Sacris* in libris vel mo-
dicè versato, tritissima notissimáque res est)
aperiam : quò cuncta præsentis *Ruinæ* series,
suis ex originibus, magìs in conspicuo sit. Igi-
tur, posteaquam SALOMON, Davidis è Beth-
sabæ

ſabæa filius, *profligatâ, ſub illud ipſum tempus, quo mortales cæteri maturiores induere ſenſus ſolent, animi Sapientiâ;* quâ tamen *Iuvenis* olim, & adhuc pæne puer, *Senes* omnes anteceſſerat, in præceps deliriorum abiit: ſtultiſſimus virorum, ſuámet etiam confeſſione, factus eſt. Deſertô præterea, [fortaſſis autem, & penitùs ejurato] majorum ſuorum Deô; *ſine quo tamen, ſciebat, nec Sapientem ſe, nec Continentem, eſſe poſſe:* regnum, ac rempublicam Hebræam omnem, quà ſacram, quà civilem, diſturbavit; *libidinésq; ſuas mulieribus* exteris, ac genua DIs & Deabus barbaricis, adorator impius, *inclinavit.* (*A*) Ab eo proinde tempore, Numini Vero, quod ei diſplicere cœperat, invicem ipſe quoque, vindictâ meritiſſimâ, diſplicuit. Id ergò, regni veteris diſcindendi, non conſilium modò, ſed & impetum, concepit: &, quid in futurum decreviſſet, AHIÆ cuidam, Silonitæ civi, divinorum interpreti conſultorum, aperuit: quid item ipſe faceret, diceretque, præſcripſit. Erat, eâ tempeſtate, JEROBOAMUS, Hebræi generis, tribu genitus Ephraimiticâ, patriâ Saredæus: quod eſt oppidum, medio ferè, ſed obliquo tamen, Jordanem inter, ac Luzam, ſitu: patre *Nabatho*; matre [quæ,

viri morte,viduam tunc vitam agebat] *Sarvâ*, juvenis impiger, nec induſtriâ minùs, quàm ingenii ſagacitate, ſpectatus : eóque nomine, diu *Salomoni* percharus. Hunc is quæſtorem tandem,& exactorem,inſtituerat, cogendis ex Ephraimi Manaſsiſq; tribubus argenti gazis: quod rex, opibus exhauſtus, omni regno tributũ novum indixerat, quaſi regio ſplendori ſuſtẽtando neceſſariũ; & per cauſſam,*voraginis* illius *ingentis* , quæ Sionem Moriámque montes interjacebat, molibus & ædificiis explendæ : quam illi *voraginem* (valle poſtea, Civitatis Inferioris vicîs , ac radicibus amborum montium,æquatâ; paſsímque domiciliis occupatâ) *Mellònem* vulgò nominabant.Hæc, urbis Jeroſolymorum pars fuit, haud ignobilis: cùm interim, eiuſdem nominis,alibi quoque locus eſſet,& oppidum;prope Sichimam. id,quod in *Ruina* dictum eſt *Abimelechi* Tyranni,Decade ſecundâ. Dum autem tributis his, (quæ tempora Salomonis prima neſcierant; Davidica verò, ne cogitârant quidem) agendis intentus eſt *Ieroboamus:*reperit invitos paſſim quiritantéſque contribules ſuos. Et, quoniam non è ſolertia magis,quàm aſtutia,compactus totus erat: invitum ſe quæſturam obire

Ruina Ieroboami.

ire, tam insolitam, adsimulando; populum tacitis in querelas, tanquam justas, assensibus, obiter, ac velut aliud agens, in Regem inflammavit. ac Regi tamen nihilô segniùs stipem imperatam, quasi populi repressor ac sedator, adportabat. His, homo vafer, artibus, inter utramque partem intactus offensionum, incedendo: tum abundè Regi satisfecit, quasi minister, ex animi sententiâ fidus; tum etiam populi, (qui magìs imperiô tributi, quàm exactionibus eius coactis, exasperabatur) sese præjudiciis, ac studiis, insinuavit: donec, eodē suffragante vulgo, tandem eò pervênit amplitudinis; quò fortasse prima votorum illius ambitio, ne cogitatione quidem ausa foret aspirare. Progressu tamen temporis, cùm idem, manu fortis, intrepidus animo, consilióque bonus; affluente Fortunæ liberâlitate, potentiam sibi juxtà, divitiásque non inhonestas, comparâsset: quantùm regis in gratiâ, tantùm in oculis erat multitudinis. Cùm autem quondam solito stipatus comitatu *Ieroboamus*, (*b*) Jerosolymis egressus, Ephraimitas suos negotiorum causâ revisurus; per agros incederet: factum est, non tam casu, quàm dispositu Numinis; ut in eum *Abias* incideret, *Siloni-*

tes ille, quem dixi, vates. Hic, de turba comitum ſevocatum *Ieroboamum* (*c*) in partem agri, paullùm à via militari ſepoſitam abſtruſámque; conſiſtere ſecum aliquantiſper cogit. Mox, palliô quo rudî, recénsq; confectô, tectus *prophetes* erat, ſibi detractô; gladiolôque, quem in uſum quotidianum ſecum ferebat, in particulas *duodecim* diſſectô: mirantem, præſagio ſimul, & monitîs, aggreſſus; *HOC pallium*, inquit, *recens*, *Iſraëliticæ gentis Regni*, *quod inter Orientis univerſa regna noviſſimum*, *natúque minimum*, *exiſtit*, *Signum & effigies eſt*. Sciſſio *porrò pallii*, *regni diſſectionem*; ſegmenta *verò* duodecim, *totidem*, *in hoc regno*, *populi tribus*, *ac regiones*, *ſignificant*. *Has omnes*, *ſub* unius *huc uſque manu compoſitas*, *ac ſub* unius *capite regiô concordiſſimè collectas*; *Deus*, *flagitiorum ultor*, *diſrumpet*, *in* filio *Salomonis*. *Quod ditionum*, *ac partium*, *poſt numerum decimum ad uſque duodecimum*, *ſupererit*: *id eius Succeſſori*, *ſolum*, *nec amplius*, *hærebit*. Decem *autem regni portiones reliquæ*, *tui poſthac*, *Ieroboame*, *juris & poſſeßionis erunt*; *haud ſecus*, *ac nunc huius Pallii mei Decem pannuciæ*, *quas*, *juſſu Numinis*, *in te transfero*: *quáſq*; *propterea* tibi tollas, *licet*. *Nequitiâ Salomonis id fit*: *qui*, *Deô patrum excuſſô*, *Sacris eius profa-*

Ruina Ieroboami.

profanatis; legibus ac cæremoniis protritis; Deos Deásq; barbaricas adorandas, templîs, arîs, & exempli magisteriô, proposuit: hodiéque proponere, quantumvis absterritus, perseverat. Facinus, Hebræis & legibus, & Regibus, indignissimum! quòd Salomon, immemor institutorum, & innocentiæ, genitoris sui Davidis, qui veri Numinis cultui, purisq; religionibus, ex animo semper vacavit: incircumcisorum *obscœnis simulacris, ac nudi ventris spectaculô propudiosis statuis, Iovi, Veneri, Baccho, thus adolet! &, in hoc suffitu, flammam sibi sempiternam suscitat: domui verò suæ, miserisq; Ierosolymis, ruinas, vastitates, & incendia; Trojanîs illis calamitosiora. Pro quibus ille factis, ac pœnis talibus, quantùm in amoribus antea deliciisq; Superorum & hominum fuit,* Amabilis Domino, Pacificúsque, *dictus; tantùm posterorum deinceps in odio, detestationéq;, versabitur: quippe secum, in excidium unum, præsentes futurósq; trahens innumeros; tracturus autem pariter & universa: ni misericors mea Providentia (* dicit, *Rex regum,* Deus) *obsistat. Ego namq; ne cuncta simùl eradicent, Assyrios, Babyloniósq; Reges; ego, quod hostium propè, procúlq;, fremeret in Iudæã, coërcebo, differam, & emolliam. Nec id meritis tribuam Salomonis; quæ nulla, quin & potiùs in contrarium, sunt;*

Ruina Ieroboami.

ſed Davidis patris eius, mihi gratæ ſemper, memoriæ. Tribuam id & Ieroſolymis, ſacroſanctæ mihi nominiq; meo, Sedi. Tribuam tandem & Chriſto meo, *Filio Dilecto: cui, Divinitatem olim ſuam mortali Carne veſtituro, non aliunde, volo, matrem, & educatorem, quàm è Davidica contingere familiâ propterea q; Ieroſolymis, & in Regiæ Davidicæ reliquiis, ſucceſsionem Dominantium, aduſque Meſſiæ tempora, prorogari decerno. Nec deſinet unquam illa Domus, ſeu ſceptro diademateq;, ſeu virtutibus ſuorum, illuſtris eſſe: quáque* ſplendere *ceſſabit, saltem* ſcintillare *perget:* donec veniat, qui mittendus eſt, Exſpectatio longæva Populorum, *Chriſtus. Quanquam autem eatenus fauturus Davidicis ſum, ut non penitùs eos extinguam: Decem tamen Tribuum ab illis avulſio, fatalis eorum erit, irrevocabilisq; pœna. Iudæ Benjaminiq;, contiguis inter confusisq; tribubus, tanquam* unâ, *contenti regnanto. Ferant hoc, in gratiæ partem; de toto priſtini dominatûs aſſe, poſſeſſionis* unam unciam *retinere poſſe. Tuus autem eſto* Deunx. *nec tuus duntaxat, ſed & poſteritatis ſanguinisq; tui. Cujus annoſum diuturnúmq; faxo, tam regnum, quàm Succeſsionem: ſi tu, Ieroboame, poſteriq; tui, Davidis eſſe, quàm Salomonis, ſimiles, malueritis. Bene, de cultu Numinis, ſentientibus;*

Ruina Ieroboami.

tibus; benéq; regiminis habenas tractantibus: bene vicißim cuncta cedent; lætúmq; Coronæ Ieroboamicæ jubar, fulgore suo Davidicorum præstringet aciem: ad Oculorum usque lividum dolorem. Quæ verba, cùm, ex ore Numinis, *Abias auribus* hominis (nec enim *cordi* penitùs) ingessisset: è loco secretiore, declivíque, tandem consurgentes, & ad suum, uterque silentes, institutum, ac viam, digressi; non potuêre non aliquâ suspicionis parte *Ieroboami* comitatum aspergere, rerum earum, de quibus inter se sermonem instituerant. Auxit autem conjecturam & ipse per se *Ieroboamus* apertiùs; ab eo tempore (sicuti multis visum est) non modò de Regia tributorum exactione, sed & super designatâ, per oraculum, *Successione*, spargere voces ausus: &, hunc in modum, semina jactare, futuræ rebellionis; (*d*) longè, quàm anteà, profundiora: quia, *Ducem*, ostendebat, *& caput; sine quibus nulla Conjuratio pedem certum solidúmque figit.* Utrum autem & arma jam tum *Ieroboamus* movere cœperit; etsi sint, qui censeant: affirmare, pro mea parte, non ausim: Divini codicis auctoritate liquidâ destitutus. Nam, quòd eundem, etiam ante vaticinium *Abiæ*, fecisse conjurationem aper-

Ruina Ieroboami.

tam, & adversùs Salomonem palàm insurrexisse, Torniellus ac Tostatus, sentiunt; haud scio, quàm consequenter id opinentur: utpote, quibus, è Regum historia, notissimum sit; *Ieroboamum*, antequam ab *Abia* sevocaretur, Jerosolymis, & in oculis Salomonis, imperteritum, omnísque periculi securum, egisse: digressúmque posthæc, non, ut *Rebellem, in opere conjurationis deprehensum*, ac fugæ causså se proripientem; sed, ut adhuc fidum Regi suo ministrum, cogendis tributis imminentem. Verùm, utut hæc gesta sint; id constat: *Ieroboamum*, ex quo, designatum se Regem, intellexit; nec refugisse tantæ rei fastigium, per modestiam saltem simulatam, & ad Saulis exemplum: ac maturitati spei suæ non obscurè deinceps inhiâsse: quippe, *Virum* (quod sequentia facta docuerunt) *à Conscientiæ cura, quàm ab Ambitionis studio, remotiorem*. Quare, diu fallere Salomonem illius cogitationes nequiverunt: nec populus, ad defectionem sollicitatus, tacere. Celeriter igitur, ex amicitia summa regis, in summum eius odium incidit. quod & in necem illius & interitum erupisset; nisi *Ieroboamus*, cognitô Salomonis in perniciem suam consiliô; fugæ beneficiô salutem

ſalutem in Ægypto quæſiſſet. quam etiam, apud Seſácum, eius terræ Regem, invénit; omni, quo Salomon ſupervixit, tempore reliquo, ſub illius fide præſidióq; tutus. At idem, extincto tandem Salomone, minùs jam Roboamum, illius ſucceſſorem, velut imbellem, ac nullius conſilii virum, quàm olim patris ejus iram, veritus; in Chanaanitidem, nullâ morâ, reverſus eſt: populóque ſe denuò, non, ut aliàs per cuniculos, ſed palàm in circulis, & jam ex profeſſo, velut Rex, oraculô deſignatus, dare cœpit. Exſpectabant igitur, quotquot turbulentæ *Tribus* erant; quorſum ſe *Roboami* dominationis eſſent inclinatura principia? quorum è facie frontéque primâ conſtituerent, quidquam ſibi conſilii capiendum eſſet? Omnino verò, non jam *Regem* ſibi (quippe, pridem animo ſuo deſtinatum) ſed *Occaſionem*, quærebant, ſententiæ mentis aperiundæ. Cupiebant igitur, haud dubiè; Talem ut ſe *Rex Ieroſolymorum* novus populo præberet; qualis *antiquari* mereretur, & in ordinem redigi. Nec difficile fuit, aut longum, in hujuſcemodi rerum eventum intentis; ad vota ſua quàm celerrimè pervenire: vulgi tumidum pectus, & vetus animorum ulcus, Ro-

Ruina Ieroboami.

Roboami væcordiâ, tanquam unguibus infixis, rumpente. Cùm enim, per eos dies, recognoſcendæ ſuorum multitudini, vectigalibúſque Salomonicis etiam in poſterum urgendis, comitia regni Sichimîs haberet; urbe, Tribûs Ephræmiæ facilè tunc principe, de qua plura Decade ſecundâ diximus in *Abimelecho*; venerat eodem & *Ieroboamus*, à contribulibus ſuis evocatus: & *Regi* Roboamo, ſi difficilem ille ſe plebi præberet, utì certiſſimus *Regni ſubſeſſor*, oſtendendus. Is ergò, magis memor, à quàm multis foveretur, quàm, cui paternis ex odiis inviſus eſſet: Roboamô coràm, & *manum* ſe populo præbuit, & *linguam*; omniũ è Tribuum, quæ turbulentæ venerant, *ore* conquerens, *de gravitate tributorum*, ac, *niſi mox ad nutum ea dependiſſent, atrocitate flagrorum: quæ, Salomone nuper imperitante, tolerâſſent. Durô ſe Moſaicarum legum jugo, ſed Divinitus tamen impoſitô, gemuiſſe. Saulis dein, adhuc gravioribus preſſos decretis, illacrymaſſe: Proximi verò Regis imperatis, omnium intolerandiſſimis; inter Exactiones, ac Verbera, jam vix animam traxiſſe. Quare ſanè remitteret, ipſe ſaltem, acerbitatis utriuſque partem aliquam: ut, exhauſtis argentô roboréq; clientibus, humanior aliqua, ſi non* Liber-

Ruina Ieroboami.

Libertas, *at* Servitus, *eveniret: cui se, si modò conditione secum* hominum, *& non* belluarum, *ageretur, paratos ac promptos esse.* Videri debuit æqua postulatio, mortaliũ, aliud nihil, quàm Tyrannidem, deprecantium: quam, in populo, minimè tunc omnium gentium barbaro, sine controversia, non decebat, ne nominari quidem; nedum grassari. Cui namque bono *Pharaones*, & *Ægyptum*, evasissent olim Hebræi: si nunc in media, *Lactis ac Mellis divite, Regione*, nepotes eorum rursus eosdem essent oppressores, & famem, inventuri?

Sed apud Roboamum, pravæ mentis virũ, & infelicitati destinatũ; ne post *triduum* quidem, in quod postulata gentis rejecerat, aliquid æquitas caussæ valuit. Nam, mollia responsa suadentibus, prudentissimis quibusq; vetustissimisq; Curiæ Salomonicæ purpuratis, acquiescere dedignatus; sententiã amplexus est *Iuniorum*, & æqualium suorũ, hoc est, mentis, tam impotentium, quàm indigorum: déque talium Senatuscõsulto, *Ieroboamo* populóque, stato die comitium repetentibus, asperum habitu frontis, asperiorémque verbîs, ac minîs, se præbet. Confessus enim, *Dura fuisse patris imperia; sua, pollicetur, alterô tantô*

fore

Ruina Ieroboami.

fore truculentiora. Patrem,in populi terga ſcuticis ſæviiſſe. Se verò, deligatis ad taureas, cuſpidatis è ferro ſcorpionibus, eſſe bacchaturum. Dictum, (ſi quis verè rem æſtimet) non modò *Tyrannicum*,ac *Phalaridæum*; ſed planè belluinum: ac *Tauri* potiùs illius *ærei* mugitus, quàm hominis ſani vox! Quid enim? Anne rex,& quiſquis in alios imperium accepit, exuere debet hominem; quia privati ſortem exuit? An ideò,mortalem eſſe ſe,delebit è memoria; quia ſupra mortales *nonnullos* eſt? Idcircóne capita perſultabit eorum, quos regit; tanquam campi planitiem Parthus eques?pedibus,ore,dentibus, fremitu verborum, ſonitu verberum, tumore ſtomachóque minarum; quia, ſe putat habere, *contra quos* inſurgat; non habere, qui *contra ſe?* Tu, qui talis es, ignoſce mihi! Non *culmine* dignus es,ſed, *veſtibulo*:cujus tamen fortaſſe nec *portis* adhuc præſidere poſſis; ut, quæ *mitem* & ipſæ requirant *Admiſſorem. Privatis* aliquis capitibus,ac ſtipe corrogatâ victitantibus,dicere nou audeat; quæ tu cœtui, *populo*, multitudinibus;uti Roboamus. In penetralibus, ingeſta reprehenſio, nocentis etiam auribus, ac manifeſtè Rei; *vulnerat* tamen,ut plurimùm, ac nō tantùm *vellit*, au-

rem.

Ruina Ieroboami.

rem. Quid *populo* fiet ergo? *Pacatæ* quoque conciones, ac fora plebis, audiri pacatè debent: si justa petant. Si non penitùs æquo consona; clementer tamen, &, quoad ratio sinet, indulgenter. *Concitatis* autem, ac ritu maris effervescentibus, turbis, & regnis; quis, nisi maritimô more furens, concitatus occurret? & responsa, tanquam in scopulos, dabit? Rupi certè rupes impingetur: & caput unum, multa brachia comminuent. Nec minuet, casu tali, dominatricis asperitatis Invidiam, & offensionem, dictum ferox, nec tamen illico secutum ferox factum; quale sanè Roboami verbum fuit, sine scorpionibus, *reipsa* tergum lacerantibus, effusum. Interdum enim, (ne nescias) immò plerumque, profundiùs, *verbum aculeatũ, quàm gladii verutive cuspis, intrat in hominem. Multitudinum autem, si semel eas fauciaveris, immedicabilis esse plaga solet.* Hujus Doctrinæ meæ veritatem *Roboamus* est expertus: à cujus insanissima comminatione confestim *Decem-Tribus* Israëliticæ, ductu quidem *Ieroboami*, sed simùl & summâ sponte suæ voluntatis, abrupêre se: domóque Davidicâ, cum ignominia verborum reciprocâ, valere sibi soli, regnaréque, jussâ; discessêre, suam

Ruina Ieroboami.

ſuam quiſque domum. Mox, *Adurámum*, Quæſtorem regium, quem *Jeroboamo* quondam Salomon ſubrogârat, vectigalibus colligendis intẽtum; quòd eádem operâ, redigere populum ad vetus obſequium laboraret, lapidationibus exanimant. *Roboamum* regem in fugam, ac Jeroſolymam ſuam, compellunt: Ipſi, comitiîs aliîs, *Jeroboamum* ſibi, ſupra tribus omnes, extra Judam ac Benjaminum, creant. Regno nomen faciunt, *Iſraëlitico*: tum, quòd pars Iſraëlis longè potiſſima, maximáque, ſe profiteretur illius eſſe factionis; à qua proinde, *tanquam à potiore, Titulus ac nomen peti deberet*: tum etiam; ut à *Judaæ* deinceps regno, ſicuti finibus, ità vocis auctoritate, diſcriminaretur. Hic exitus fuit Impotentis, in *Roboamo*, linguæ: bicipitis gladii more, non corda tantùm, ſed & obſequia ſuorum, diſſecantis. Ac vix aliàs ulli tot *capitum* jacturâ ſtetit, unius *Oris* immodica libertas. Breviſſimæ vocis indomitus *unus* ſpiritus, *Decem* Imperia *diſflavit*.

II. Nam, nequis *Imperii* vocem, in populis illis, tam *Singulis*, quàm *Vniuerſis*, plus æquo grandem, ampullatámque, ſuſpicetur: fuit *Iudæ* quidem, ac *Benjamini*, terra, ſatis à fertilitate

Ruina Ieroboami.

tate commendata; balſametis celebris; ac ſuprà, quàm pro finium ſuorum amplitudine, populoſa: fortiſsimorum denique bellô virorum, abundans. Sed, ſi componeres *has duas*, ad *reliquas omnes* tribus: haud dubiè multùm, in plerisq; rebus, bonitate copiáq; cedens; latitudine quoque, procursúq; finium ſuorum, plurimùm *Iſraëliticis* terris *Judæa* ſolitaria ſuccumbebat. Ut enim, pro majori, tum luce narrationis ſequentis, tum æſtimatione Regni, quod à Deo *Jeroboamus* dono tunc accepit; *Iſraëlitici juris* oras in conſpectum compendiô ſemel conſtituam: omnes hæ quas ſubjiciam, terræ *Jeroboami* poſterorúmq; fuerunt. Cis Jordanem quidem, Tribûs Ephraimi, Dimidiæ Manaſsis, Iſſacharis, Zabuloniæ, Nephthalimitarum, & Aſeris, poſſeſsiones. Ultra Iordanem autem, *dimidium* alterum *Manaſsis*, & Gaditarum Rubenitarúmque terræ. Iam verò Ciſamnanæ *Tribus*, hæc habuere regna: non omnia quidem iis ipſis, quæ proferam, vocabulîs, jam tunc inſignita, cùm rerum *Jeroboamus* potiretur: progreſſu tamen annorum, ac temporum, ea nacta. *Samariam*, inquam, & *Superiorem Inferioremq; Galilæam*; *Phœniciæ Syrophœniciæq;* partem; *Amâthidem*,

ad Libani radices ; & *Ituræam* Occiduam. Transamnanæ verò *Tribus*, regionem tenuêre Trachonitidem, Husitidem, Bathanæam, Gaulonitidem, Gamaliticam, Gerasenam, Galaaditidem, Moabitidem, & universam *Peræam.* Harum aliam alia, diversîs terræ cœlique dotibus, aut antecellebat, aut sê præstantiorem agnoscebat. Præcipua verò *Samariæ*, *Galilæarum*, ac *Peræ*, bonitas & opulentia; cæterarum maciem suppleverunt. Et *Samaria* quidem, tractu, Galilæam inter ac Judæam mediô, sita Regio: quantùm montibus passim, rupibúsque saltuosis, suspenditur; tantùm campestribus locîs, propemodum ad æqualitatem interspersis, expanditur. Soli, cumprimis feracis, erat; & ad cultum facillimô labore tractabilis. Sata, propter & ingenium telluris, & Solis potentiorem radium, repercussu montium geminatum; haud alibi properantiùs ad maturitatem perveniunt: quippe, metentibus plerumque *Samaritis* eo tempore, quo cæteræ regiones finitimæ sationes ordiuntur. Pomorum illius cœli mira tum bonitas ac saporum, hortensium æquè sylvestriúmque fructuum est copia. Fontium quoque rivorúm

qu

que, quorum diductîs in plana ſcatebrîs, hortorumpratorúmque fertilitas adjuvetur, copia non deeſt. Et aquarum admirabilis, non ſolùm nitor & claritas, ſed ad guſtum dulcedo; videri poteſt, ad bibendum, non hominum modò pecorúmque, verùm & ipſius terræ, (multîs alioquin ac densîs cœli fervoribus exæſtuaturæ) ſitim,& aviditatem, exſtimulare. Quanquam interim, non *undîs* magìs, quàm *lacte*, Samaritæ, carnéque pecorum, præſertim *agreſtes*, beati ſunt: propter multitudinem ſylvarum, ac paſcuorum collium, omnî paſſim regione bubus, ovibus, caprîs; præcipuè verò, *vaccis pinguibus* & obesîs, opulentâ. Nam harum, præter cæterum Orientis morem, diſtentiſſimæ lacte mammæ, longè *Meſopotamicas* etiam Aſiæ juvencas, & *Helveticas* Europæ *boves*, antecedunt. (*e*) Indè ſuæ fuerunt,& incolis copiæ domeſticæ quotidiani victûs: & regibus apud ſubjectos, è caſei butyríque mercimoniîs ad finitimos,vectigalium ac tributorum, promptius obſequium. *Vrbium* porrò *Samaritiçarum* inſignes maximè fuerunt,olim quidem, &, ab Hebræorum in Chanaanitidem ingreſſu primô; Sichima, Thamnathsára,

Ruina Ieroboami.

Luza ſeu Bethel, Ephron, Acrabátane, The-
bes, Ephra, Gethremnon, Narbáta, Maged-
do. quæ Civitates, *tribuum* erant, *Dimidiæ
Manaßis, & Ephraimi.* Quibus adde; quæ tri-
bum Isácharis, & Inferioris Galilææ fines, ad
oram Auſtralem montium Gelboæorum
ſtringebant. Urbes, inquam, Bethsécam, Ra-
mótham Ciſamnánam, Tanácum, Jezraëlem
quæ regum Iſraëliticorum poſtea refrigerium
æſtivum, ac deliciarum receſſus, fuit. O-
mnium autem *Samariæ-regionis* urbium, ante
conditam in monte Semeróne *Samariam
urbem* (quæ regioni deinde toti nomen ſimul
& jura dedit) principatum aliquandiu, pri-
mùm quidem *Sichima*, quam *Jeroboamus*, ma-
gnificè reſtauratam, inſedit: deinde *Therſa* te-
nuit; excelſo ſita monte, non procul *Acrába-
tâ*, propiùs Orientem, ac Iordanis viciniam
in ea Chanaanitidis parte, quæ *Dimidiæ tri-
bûs Manaßis*, cis amnem, erat. Nam hanc *Re-
giam* ſibi *ſedem*, illi, qui Ieroboamo Primo (*
ſucceſſerunt, *reges Iſraëlitici* fecerant: ad
Ambrin uſque; qui *Thersâ* civibus relictâ ſui
primus ipſe *novam* ſibi, poſteriſq; ſuis, *urbem*
erexit: cui *Samariæ* primùm; deinde, tempo-
ribus Herodianîs, *Sebaſtæ* (quaſi dicas, *Augu-
ſtæ*

Ruina Ieroboami.

ctæ) nomen eſt impoſitum. Nihil hac urbe, iam tum ab origine ſui, pulcrius, & amœnius: nihil adversùs hoſtilem vim & incurſum munitius: nihil denique ſplendore domiciliorum, platearum, & operum, poſt Ieroſolymam, magnificentius, ac ſumptuoſius eluxit. Imprímis enim in excelſi montis ſita verticibus Arx regia; circùm, & infra ſe, generis omnis ædificiorum, per clivi prona ſurgentium, in coronæ modum circumductam ſeriem, quaſi munitionem, & caſtra, cernebat: ac, tanquam è ſupercilio deſpectans ſuô, mirabatur tot molium culminúmque multitudinem, atque nitorem, incredibilem. Renidebat igitur, tanquam in Perſide *Suſa* quædam; aut in Medorum montibus *Ecbátana*, ſic è vertice ſuo, Samaria. *Proſpectus* quoque, de ſumma Regia, montéque, cui Samaria fuit impoſita, plenus erat amœnitatis; & ad omnes Solis plagas apertiſsimus. Refulgebant enim ſpeculantibus, è longinquo quoque, meridiem versùs, Ieroſolymorum ora montana: Ramatháque Samuelis. ad Zephyrónotum verò, Ioppe, maritimus Philiſthæorum portus. Ab occiduo dein marî, fines, & urbes, Antipatris, Turríſque Stratonis;

Ruina Ieroboami.

tonis; Carmelus, Eliæ mons; ora Ptolemaidi
& ipſum univerſum mare Phœnicium; Sol
cadentis fulgurante jubare purpuratum. A
Eurónotum autem, Ephræmiorum ſaltuum
montiúmque, viridantia quercceta, mulce
bant oculos: & ad Septentriones, Gelboæ
montes, & Hermonii, longiùs iturum aſpe
ctum, objectu jugorum ſuorum opacô, ca
ſtigabant. Iam verò domeſticas urbis illius
ac ſuburbanas, delicias; quis, præ multitudi
ne copiáque, percenſeat? fontium, horto
rum, nemorum, olivetorum, cæterarúmqu
ventris & oculi voluptatum? Accedebat a
hæc, tot vitæ præſentis bona, bonorum eo
rundem, & ipſius vitæ, ſolers ac ſecura cu
ſtodia, quoad Deus ſineret: *firmiſſimi*, putà
muri, foſſæque duplices: murorum ambitu
ampliſsimus, *viginti* nonnunquam; aliàs e
iam *Octoginta*, ſtadiorum circuitu. Propu
gnacula denique creberrimæque turres, va
lidiſsimæ. Sed omnem aliam urbis Samari
ticæ gloriam, majeſtatémque, poſt ſe relin
quebant, ædificia, palatia, Curiæ, plateárum
que porticus; quas peregrini marmoris co
lumnæ, totâ paſſim urbe, tollebant in cœ
lum, & ſuſtentabant ſupra terram. Earun

poſte

Ruina Ieroboami.

posterîs tempestatibus repertæ reliquiæ ruinarúmque jacentia rudera; molis, cujusmodi nusquam alibi, stupendæ plurimùm, & operosæ sunt: ac loquuntur adhuc; quanta *Samariæ* veteris pompa fuerit præ recentioribus, ac post illam demum excogitatîs, Operibus. Stabant etiamnum, post circumactos, à Christo nato mille trecentos, plus minùs, annos, (*f*) ambitu clivóque *montis Samaræi* totô, pilæ marmoreæ prægrandes; testudinum olim tectorúmque fulcra: qualia vel Romæ postea, sub Cæsaribus, admirationi fuissent. Ea, qui viderunt; calamum, quo notarent hæc, habuisse se, confitentur: facundiam, quâ pro dignitate describerent illas, negant, habuisse. (*g*) Satis hæc, de *Samaria*. *Galilæas* nunc videamus. Harum antiquissimũ esse nomen; temporibúsque jam illîs viguisse, quibus Hebræi, Iosuæ ductu, Chanaanitidem insederunt: ex eiusdem Ducis sacro, quem in manibus habemus, commentariô docemur. Fuit autem (utì non semel est dictum) gemina; *Superior* sive *Gentium*: & *Inferior*: generatímque, pertinebat à Ptolemaidis finibus, & Carmelo monte, non ad Iordanem tantùm, & Meromæum, Gerasenúmque, lacus; sed,

 Iorda-

Ruina Ieroboami.

Iordanem tranſgreſſa, regionem etiam Gaulanitida; Gadarenam item, & Hippénem, ditiones tranſamnanas, ſub ſe numerabat. Utraque verò *Galilæarum*, Libanum inter & Samariam, ſitu medio jacebat. Iam verò *Galilæa* ſeparatim illa, quæ *Superior*, & *Gentium*, (ob earum viciniam ac mixturam) appellabatur; ad Libanum ac Septemtriones vergẽs, Nephthalæam, & Aſeris, terras, & ultra Iordanem, Gaulonitidem quoque continebat. Hujus fines, ad Aquilonem, Libanus, ac Cæſarea-Philippi, ſeu Paneas urbs: ad Auſtrum, urbs Capharnaum, & ora Zabuloniæ tribûs: ad Orientem Solem, Iordanes, ac Meromæum ſtagnum, &, ſiquid ultrà proclinat in Arabiæ Deſertæ propinquitatem: ad Occaſum denique, Ptolemaidis ac Tyriorum vicinia, cenſentur: eòque nomine *Phœnicês* etiam *pars*, hæc *Galilæa*, Terrarum deſcriptoribus nonnullis eſt habita. Spatium, tam latitudinis eius, quàm longitudinis, itineris unius diei, cum dimidio, menſuram explet. In quo tamen interim terrarum gremio, *viginti* jacebant illa, quę Tyriorum regi Salomon, aliquouſque fruenda, ſalvîs Galilæorum Sacris ac Religionibus, dedit, *oppida*. quæ, quoniam, ut *lutu-*

Ruina Ieroboami.

lutulenta sterilioráque, Tyrio displicuerant; *Terræ-Chábulis*, hoc est, *despectæ, spurcæ, Caninæq́;*, nomen tulerunt. Ea, *Tyrios* inter *montes*, & *Eléutherum* amnem, sita; siqua Iosepho fides est, ad Israëlitas, eorúmque possessionem, continuò redierunt. Quæ, sive nunquam penitùs ab Hiramo, rege Tyriorum, acceptata; sive post acceptationem postliminiò receptas; cultores posteri, nec in sterilitate siverunt, nec in appellationis infamiâ, sedulitate culturæ suæ perdurare. *(h)* Quæ porrò diximus: *Superioris* erant *Galilææ* propria. *Galilæa* verò, quam, à situ tractûs, ab Arcto vergentis ad Antarcticas Cœli plagas; aut etiam, à decliviore solo, dictam *Inferiorem* esse, suspicor: Issacharææ Zabuloniæque Tribuum terras; & ultra Iordanem, Gadaræam, & Hippénam, ditiones, sub se continebat. Quibus addas, licet, & *Mare*, quod vocabant, *Galilæum*; sic appellari suetum, propter *Lacûs* illius, *marium* æmulam, amplitudinem: & Magdalum, atque Tyberiadem (olim Ceneréthum dictam) ac Taricheam, oppida maritima: cum Scythopoli, (cui Bethsánæ quondam nomen) cæterísque nonnullis vicinæ continentis urbibus. Hujus *Galilææ* spatium est, longitudi-

Ruina Ieroboami.

nis, *viginti milliarium*, latitudinis, à ſtagno Tyberiadis, ad urbem Zabulonem, Ptolemaidi proximam, *quatuordecim*. Univerſim autem, hoc eſt, *utraq; Galilæa* (nam plerique Scriptorum, *unam* duntaxat ſine diſcrimine nominant) primùm quidem ingeniô ſoli mitiſſimô feraciſſimóque gaudebat olim. Et quoniam, præter aſſiduum, nec tamen operoſiſſimum, glebæ ſuæ cultum, jugibus fontium, ac torrentium, aquîs irrigabatur: omnium generum, quæ terra gignit, lætiſſimo proventu ridebat. Non illic frumenti copiam, non vini, nec olei; non pomorum omnis ſaporis ac bonitatis, deſideràſſes. Ipſa quoque prata, campíque, quibus frumenti ſata committebantur, in morem hortorum, ac nemorum, manu conſitorum, arbuſtîs, & vitibus, ac frequentibus palmetis, interſtincta luxuriabant. Erátque pars amœnitatis, non plebeiæ, ſed pænè regiæ; quam ſeu vernîs, ſeu meſſium & autumni temporibus, animi cauſsâ deambulantes, aut prætereuntes viatores, percipiebant. Cùm enim creberrimæ ſtarent, in quincuncem diſpoſitæ, *palmæ*; dactylis, ſæpe jam maturîs, gravidæ, comíſque ramorum flacceſcentibus pendulæ: nunc quidem umbrâ gratiſ-

Ruina Ieroboami.

gratiſſimâ, ponè ſe gradientes, tegebant, ac refrigerabant: aliàs autem, in folia flagelláq; *palmarum* Zephyrîs aut Euris influentibus, frementium ventô ramorum delicatiſſimus, ad concrepationem foliorum, ſuſurrus aures illabebatur, ac permulcebat. nares autem, hiantium ſenſim & apertorum, præ maturitate, *dactylorum*, dulciſſimus juxtà nobiliſſimúsque pervadebat odor; corpori pariter, animóque refocillando, penetrabilis. (*i*) Ad ſummam! *Galilæi* tunc ruris tanta benignitas erat: ut nunquam agricolæ ſuo, quævis in vota, ſua fertilitas deeſſet: & ideò viciſſim, nec agricola, parti telluris ulli, percolendæ. Quo fiebat, ut portio ſoli *Galilæi* nulla, vel à frugibus vacaret, hortenſibúſve plantis, vel ab arboribus, atque pomîs: vel à pecore denique, villaticíſque paſtionibus. Et talis quidem, *Jeroboami* tempore, diúque poſtea, *Galilæa*, fertilitate fuit. Indoles autem feracitatis, éadem nunc quoque, ſuîs in reliquiîs, etiam poſt illatam à barbarie Mahometanâ vaſtitatem, ſiqua teſtibus oculatis fides eſt, perennat. (*k*) Cæterùm, eâ ducti terræ clementiâ, pinguedinéque glebæ, *Galilæarum* incolæ; ſic univerſum ſpatii ſolum, jam antiquitus, occuparant: ut non

ut non modò nihil inculti quoquo modô fundi, ſed nec *habitatione* deſtituti, relinqueretur. Quo factum erat; ut vico vicus, pagóque pagus, & oppidum oppido, connecteretur: viderique quodammodo *Galilæa* (præſertim *Inferior*) non, ut erat, *Regio*, ſed *una* quædam *Vrbs* ingens, Civitásque, poſſet. Quódque magis admirarêre: tectorum, habitationúmque, multitudini, non reſpondebat modò, ſufficiebátque, civium & habitatorum frequentia; ſed etiam plurimùm ſuperaffluebat: quippe, conjugiorum, præ cæteris omnibus Syriæ populîs, inſigniſſimâ quadam fœcunditate, tanquam prolis æſtuariô quopiam, exundante. Vix, in hodierna mundi mortaliúmq; raritate, fidem inveniat, quod dicam. Sed dicam tamen, cum *Flavio Joſepho*, Galilææ quondam rectore; cum *Hegeſippo*, ſanctiſſimæ fidei vitæq́; viro; cæteríſque, quibus, id ex his exſcribere, cum *Adrichomio*, placuit. Eorum hæc eſt narratio. Cùm eſſent in *Galilæa*, jam paullatim defluente, multísq; poſt Chriſtum jam cœlô receptum, annîs; adhuc oppida pagíque *quatuor & quadringenti*: nullius tamen, ne *pagi* quidem, tantam fuiſſe ſolitudinem aut infrequentiam; quin, in bel-

in bella, *quindecim* exercitatissimorum *millia* colonorum emittere posset: *censendáq;* civium utriúsque sexûs *vicies mille* capita, de suis incolis, præbere. Fuerunt autem hi, nequaquam ignavum, aut imbelle, vulgus: sed, propter assiduos Syrorum, Phœnicum, & Arabum finitimorum, assultus, à puero militiam, tam docti, quàm experti. Quinimmo, ne *mulieribus* quidem, nisi *virilis* ac Martius *animus*; proli, cum mamma simùl, bellicos stimulos, & audaciæ disciplinam, instillabat. Quare, tantâ quondam, tum populositate, tum armorum nobilitate, gentis illius, per Orientem celebratâ: non est, quòd nostrum quisquam erubescat ex eo, quòd *Christianos* à defectore Juliano Cæsare, *Galilæos* legat identidem appellari suetos. (*l*) Nos enim, tantùm abest, ut pudore vox illa suffundere debeat: ut eam in trophæis potiùs, palmariaque gloriæ parte, ponere deceat. *Galilæus* enim erat, qui mundum universum, & simulacrorum insanum cultum, oppugnavit, *Petrus*, Ecclesiæ petra. *Galilæi* Joannes & Jacobus, Zebedæi filii; Solis alter Orientis, alter Occidentis, doctores. *Galilæi* fuerunt, Apostolorum cæteri, mundi lumina: *Galilæi*, Discipulorum pars maxima, si non

Ruina Ieroboami.

ut non modò nihil inculti quoquo modô fundi, ſed nec *habitatione* deſtituti, relinqueretur. Quo factum erat; ut vico vicus, pagóque pagus, & oppidum oppido, connecteretur: viderique quodammodo *Galilæa* (præſertim *Inferior*) non, ut erat, *Regio*, ſed *una* quædam *Vrbs* ingens, Civitásque, poſſet. Quódque magis admirarere: tectorum, habitationúmque, multitudini, non reſpondebat modò, ſufficiebátque, civium & habitatorum frequentia; ſed etiam plurimùm ſuperaffluebat: quippe, conjugiorum, præ cæteris omnibus Syriæ populîs, inſigniſſimâ quadam fœcunditate, tanquam prolis æſtuariô quopiam, exundante. Vix, in hodierna mundi mortaliúmq; raritate, fidem inveniat, quod dicam. Sed dicam tamen, cum *Flavio Joſepho*, Galilææ quondam rectore; cum *Hegeſippo*, ſanctiſſimæ fidei vitæq; viro; cæteríſque, quibus, id ex his exſcribere, cum *Adrichomio*, placuit. Eorum hæc eſt narratio. Cùm eſſent in *Galilæa*, jam paullatim defluente, multísq; poſt Chriſtum jam cœlô receptum, annîs; adhuc oppida pagíque *quatuor & quadringenti:* nullius tamen, ne *pagi* quidem, tantam fuiſſe ſolitudinem aut infrequentiam; quin, in bel-

in bella, *quindecim* exercitatiſſimorum *millia* colonorum emittere poſſet: *cenſendáq;* civium utriúſque ſexûs *vicies mille* capita, de ſuis incolis, præbere. Fuerunt autem hi, nequaquam ignavum, aut imbelle, vulgus: ſed, propter aſſiduos Syrorum, Phœnicum, & Arabum finitimorum, aſſultus, à puero militiam, tam docti, quàm experti. Quinimmo, ne *mulieribus* quidem, niſi *virilis* ac Martius *animus*; proli, cum mamma ſimùl, bellicos ſtimulos, & audaciæ diſciplinam, inſtillabat. Quare, tantâ quondam, tum populoſitate, tum armorum nobilitate, gentis illius, per Orientem celebratâ: non eſt, quòd noſtrum quiſquam erubeſcat ex eo, quòd *Chriſtianos* à defectore Juliano Cæſare, *Galilæos* legat ïdentidem appellari ſuetos. (*l*) Nos enim, tantùm abeſt, ut pudore vox illa ſuffundere debeat: ut eam in trophæis potiùs, palmariaque gloriæ parte, ponere deceat. *Galilæus* enim erat, qui mundum univerſum, & ſimulacrorum inſanum cultum, oppugnavit, *Petrus*, Eccleſiæ petra. *Galilæi* Joannes & Jacobus, Zebedæi filii; Solis alter Orientis, alter Occidentis, doctores. *Galilæi* fuerunt, Apoſtolorum cæteri, mundi lumina: *Galilæi*, Diſcipulorum pars maxima, ſi non

si non cœtus universus: ille præsertim, de quo cum admiratione, die *Pentecostes*, exclamatum est; *Numquid non, ecce, quotquot peregrinis hic linguis fantur,* Galilæi *sunt omnes? Galilæus* item, (*educatione* saltem.) Rex Regum, DEI Filius ac Mariæ, Christus JESUS; Sæculorum omnium Imperator, & ab *Galilæis* oriundus. Quô proinde titulô, nec ipse fraudatus est ab *Apostata* Cæsare; cùm illi nebuloni sacrilego, vel invito, confessionem expressit: ut, sauciatus in mortem, & in cœlum jactans cruorem, quo volam manûs impleverat, exclamaret; *Vicisse, Galilæum, vicisse!* (*m*) Denique, *Galilæum* dicere JESUM *Nazarenum* (si controversum adhuc foret, juréne sic appellandus esset) à *magisterio* quoque possemus; caussâ non minore, quàm, quâ Nicolaum, *Myrensem* dicimus, qui *Pataræus* tamen fuit: Aurelium Augustinum, doctorem *Hipponensem*; qui *Tagastæus* erat: Antonium, *Paduanum*; cui patria tamen *Olysippo* fuit Lusitanica: quòd hi, quos diximus, eadem illa loca, disciplinis quisque suis, ac sermonibus, erudiissent. Hoc eodem igitur jure, quo quis optimo, *Galilæus* & *Christus* fuit: qui *quadringentorum & quatuor*, uti dictum est, oppidorum, castellorum, & villarum,

larum, pagorúmque, lustrator assiduus; universam *Galilææ* regionem, *bis* intrà triennii spatium indefessè peragravit: Evangelicísque doctam Institutionibus, ac morborum omni genere liberatam, non generatim tantummodo, sed vicatim, & ostiatim, denique per singulos, *totam* permeando Regionem; *Episcopis* nostris, eorúmve *vices obeuntibus*, in hoc, exemplum documentúmque sollicitæ percursationis ovilium suorum, ac *diœceseon*, transmisit, atque proposuit. (*n*) Si *Galilæus* ergò *Rex noster*, & *Angelorum*, multis, ut dixi, nominibus est; & *Galilæus* quidem *Victor*, ac *Triumphator*; ne *Christiani* nos hac voce, sed Apostata potiùs *Julianus*, erubescat: quippe, qui, se *Thracem* ac barbarum *origine*, religionibus autem, ac *factîs*, *Græcum*, fateri compulsus (*o*); dignus non est habitus; qui de *Galilæis*, vel ortus esset, vel oriundus. Sed hoc nos, de *Galilæis*, eiúsque gentis dignitate, per *digressionem* hactenus exsecuti simus; nec *utilitate* fortasse, nec *pietate*, cassam. Recognoscere namque, decorum est, & expediens; à quibus originem traxeris, etiam *sanguinis*: quantò magìs, *Sacrorum*, atque *Cœlestem*? Atqui nobis, quotquot *Christi* nomine censemur, *Salus* quidem *ex Judæis*

Ruina Ieroboami.

Judæis est (p): *promulgatio* verò *Salutis*, è *Ga-lilæis.* (q)

Supereſt nunc, ut aliquid & de *Peræa* dicam Regione trans Iordanem. Ea juris & ipſa *Je-roboamici* tunc eſt facta: quippe, Manaſſæis transſamnanîs, & Gaditîs, Rubenitîsque *Ro-boamô* deſertô, ſe factioni novi Regis adjun-gentibus: ut *Caſus* unus idémque, quo pro-lapſu propinquiores *Roboamo* terras abſtule-rat, eodem traheret in mali ſocietatem, etiam remotiûs conſtitutas. Igitur *Peræa*, quæ me-morabiliorum *Iſraëlitici regni* terrarum digni-tatem *tertiam* obtinebat; ultra Iordanem, u dixi, fluvium eſt; è regione Nabathæorum & Arabum-Vagorum: de qua dictum aliquid etiam in Decade proximè ſuperiorî, meminiſ-ſe poſſumus; cùm *Agarenæ* Gentis *Ruinam* in-grederemur enarrandam. Hæc, à Pella, (qua finium erat Dimidiæ Tribûs-Manaſſææ, tran Iordanem, urbs) ditiones ſuas orditur: &, a Aquilonis plagis, in meridiem, ſpatiô *longitu-dinis*, excurrens; caſtello tandem Macherun tæô terminatur. Id caſtellum, in ora *mar Mortui* Septentrionali ſitum; ſupra Jordani oſtium, infrà balneas regias, & Callirrhöen cis montes Abaræos, attollebatur. *Latitud*

ver

verò regionis, ab Ammonitarum, ac Philadelphiæ finibus, qui ſunt ad Orientem, porrigitur; ad Jordanis uſque ripas. *Longiſſimam* itaque, neque modicè *latam*, conſtat eam eſſe terrarum amplitudinem: idque nec illi quidem, qui cæteroquin infamarunt eam à duriore cultoribus agrorum ingeniô, negaverunt. Et quidem, *aſperiorem* eam eſſe Samariâ Galilæáque, crebrioribúsq; ſolitudinibus interpolatam; nunquam inficias iverim. *Spatioſior* interim, utraque terrarum illarum; non modò ſingularum, ſed fortaſſis etiam univerſim dimenſarum: ne fertilitate quidem, tota deſtituitur. Viderunt eam in Peræa felicitatem ſoli, Rubenitarum, ac cæterorum, trans Jordanem, Hebræorum majores: qui Moſen, in procinctu Terræ Chanaanitidis occupandæ conſtitutum, non ſine cauſsâ, maximáque ſpe, paſtionis opimæ, ſollicitatione pæne præproperâ fatigaverunt, ac tandem exorârunt: ut illic liberis ſuis, & uxoribus, atque gregibus armentiſque, conquieſcere liceret; & colonias inſtituere: quoad, bellô confectô Chananæô, victores & ipſi, ſuis ſe denique familiis agríſque reſtituerent. (r) Ac ſanè, Peræas *terræ* multis in locis *mollitiem*, *mitéq; fructibus*

Ruina Ieroboami,

ingenium, non desunt, qui verbis exquisitîs extollant. (*s*) Hi narrant; Campos illic jacere, varii generis stirpibus uberes: clivis item, ac vineîs, & *palmarum* ordinibus, hilares, & opimos. Jugibus quoque fontium rivorúmq; decursibus, è montium petrosis cavernîs, irrigari, perluíque. Quare, nihil agris illis, & hortis, à mensibus æstatis, etiam flagrantissimis, offici, quò minùs fructiferi prorumpant: siccitatem à *cœlo*, corrigentibus è *terræ* gremio perennibus aquîs. Et hæc de *Galilæis* duabus, *Samaria*, *Peræâq;*, dicta sufficiunto. quæ sint argumento; Quàm dives, ac locuples, universum *Jeroboami* regnum fuerit. quàm item abundans virorum etiam, militarísq; roboris; utpote, quod adversùs Abiam postea sub unius prælii casum *octingenta* dare millia valuerit. (*t*) quantum item, in *Roboamo*, verborum *præcipite*, fortunarum suarum *casum* Davidæa Domus adierit; has tam opulentas *Terræ-Promissæ* regiones, sub unicum temporis punctum, amittendo. Nam *Galilææ* quidem, vel solius, & populi tunc multitudinem, & terrarum ubertatem, haud scio; Regésne quidam, nostratium etiam temporum, permutare suîs, spatiô quamvis decuplô capacioribus,

Ruina Ieroboami.

ous, terris detrectarent. *Nec enim, quàm amplè, atéq; sed, quàm opulenter, ac populosè, regnes, interest. Potentiâ, non spatiis, Imperia censentur.*

III. Tam florens autem *Israëlitarum Regnum*, cui promissa fuerat à Deo summæ potestatis *æternitas*, *si secundùm Dei leges ac præscripta sese composuisset*; tametsi post *Davidicorum* principatum demum cœptum: ante finitum tamen eorundem dominatum, turpiter, & ad incitas, exspiravit. Nec valuit ultra ducentos, quinquaginta quinque circiter annos (*u*), suæ durationis, ægrè pendentem, spiritum ætatémque proferre. Caussa Ruinæ *Regni*, Ruina fuit (ut semper esse solet) *morum*, ac *Religionis* & *disciplinæ*. Ruinæ verò morum sacríq; cultûs, origo facilè princeps, tum *Reges* fuerunt, tum *populus*; ad Regum suorum exempla fictus atque compositus. Inter *Reges* autem (qui *novemdecim* omnino fuerũt) *princeps omnis mali*, *qui princeps novæ dominationis*, *Jeroboamus*, nominis huius *Primus*, fuit; populi juxtà regúmque funesta clades. Quo proinde titulô, per plurimas historiæ Sacræ paginas, odiô plusquam Vatiniano detestabilis, pessimè semper audit: ut, QUI PECCARIT, ET PECCARE FECERIT ISRAELEM. Hoc &

Ruina Ieroboami.

viventi quondam, & poſtea, vivîs expulſo, maledıctum juſtiſſimum, ad uſque ravim, ingeritur: dignus talî, virtutis omnis ac Pietatis conculcatore, *Pæan*! (*x*) Fuit autem Impietatis eius iſtud, quod dicam, initium: iſti gradus, ac progreſſus, quos ſummâ cum fide referam. Cùm eſſet naturâ conſuetudinéque longâ functionum honorabiliorum, non parùm ambitioſus, *Jeroboamus*, ex eo jam tempore, quo regius eſſe Quæſtor, exactórque, ſub Salomone, cœperat: ad altiora quæque ſibi, per fas nefaſque, ſine diſcrimine, conſtituerat, enitendum eſſe. Jam tum ergo profundè deſcenderat illius in animum, quod Euripides multò pòſt, *alienâ* ſub perſonâ, Græcîs, Iuliúsque Cæſar Dictator, ſub *ſua*, Latinis verſibus, expreſſerunt; SI VIOLANDUM JUS SIT, REGNANDI GRATIA VIOLANDUM ESSE: CÆTERIS IN REBUS, PIETATEM ESSE COLENDAM. (*y*) Talis igitur cùm eſſet *Jeroboamus*; irâ poſtea, (ſicuti dictum eſt) inſidiíſque Salomonis, propter ſupremæ dominationis affectationem appetitus, profúgit in Aegyptum: ibíque temporis haud exiguo ſpatiô commoratus, hoſpitium ſenſim in familiarem, ac patriæ proximam, conſuetudinem

nem ſibi converterat. Scimus verò, pleroſque mortalium avidos eſſe novitatum; ac ſtudiô viſendi peregrina duci pertrahíque: Paucos autem mentis ità firmæ, propoſitíque tam in bono tenacis, novimus: ut non alieni ſoli faciliùs vitia, quàm honeſtatem, induant; indutáque ſecum in patriam reportent. In hunc modum, Tiberius olim, è Rhodio ſeceſſu, vix aliud, quàm Græcas Aſiaticáſque libidines, hauſit; Iulianus, ex Athenarum & Græciæ reliquæ peregrinatione, magorum commercia, pruriginémque reſiliendi: patrum autem, avorúmque noſtrorum, memoriâ, Cranmerus Anglus, & Anna Bolenia, Germanicîs & Gallicanîs ab excurſibus, ſectarum ſcabiem in patriam ſecum revexerunt. Noſtrâ quoque tempeſtate, quàm multi juvenes, & ingenia prælustria, magnas in ſpes luſtrare Gallias, Italiam, aliáque trans Alpes & Oceanum, loca juſſi; ſolámne morum aut ſanctitatem, aut civilitatem, aut eruditionem, artéſque liberales; ac non potiùs, mala mixta bonîs, civitatibus penatibúſque ſuis referunt? fiúntq; pravarum artium, quas *peregrè* collegerunt, priùs *domi* doctores, quàm *foris* inſignis alicuius Scientiæ *diſcipuli?* Quo fit; ut in eorum gregem ac cen-

Rûina Ieroboami.

ac censum frequentes incidant, quos à *mult*
sed moribus sæpe noxiâ, peregrinatione, Campen
sis asceta religiosissimus infamat. (z) Quo
genus incommodi si contingere solet ex ii
quoque regionibus urbibúsque; quibus ta
men adhuc Sacrorum ac Religionis, aut sa
nus est per omnia Status, aut reliquiæ cert
sanitatis: de corruptissimis, tum vitâ, tum o
pinionum errore, terrîs, quid spei superess
possit; ad mentem bonam, vel formandam il
lic, vel conservandam? Atqui terrarum vi
ulla tunc, & antea quoque posteáque, pa
erat, aut similis, Aegypto; tum superstitionum
morúmque, tum Deorum, quos Aegyptii sib
confinxerant, absurdissimâ fœditate. Nam
que Numina sibi, non è *cœlo* tantùm ac side
rum imaginibus, ut aliæ gentes; sed (quod ne
fas) è *cœno* quovis, & paludibus, & hortorum
trivialibus plantis: quin &, è ferarum ac ser
pentium obscœnis latibulis; è fimeto deniq
stabulísque devocabant. Ex his *Divinitatem*
sibi *multiplicem* componebant: nec profun
diore poplite Dei *tonantis* majestati, quàm pe
cudis *mugientis* querelæ, procumbebant. Nan
inter cætera gentis illius Numina boves-fœ
minę, potissimùm, *Isidi* sacrabantur; Dearúm
qu

Ruina Ieroboami.

que reverentiâ colebantur; eò, quòd & *Iſidem* ipſam aliquando *vaccam*, & tamen ſummi *Jovis amicam*, fuiſſe, perſuaſum habebant. (*Aa*) Erat apud eos præterea, principe (ſi Superis placet) ac prę́ſentiſſimâ Divinitate, maſculi ſexûs bos, *Apis*: quem & *Serápin* Sarapímve Latini, Græcíque, vulgò nominabant, & *Schorappim*, Hebræa gens; à *facie bubulâ*, vel *vitulinâ*. (*bb*) *Bos* iſte, *vivus* erat, & tam è Vacca, quàm omnes alii Boves, non autem ortu cœleſtî, progenitus: corpore pleroque niger; albâ fronte; dorsô maculâ candidâ notatus: geminatîs caudæ pilîs: cuius linguam canthari, ſeu ſcarabæi ſtercorarii, nigrans effigies inſcribebat. Hic *Aegypti Deus* erat, *Api* ſuffectus *regi*: mirúmque, ni Joſepho *Proregi*; facili lubricáque *Joſephi* litterarum, in *Joſapin*, & hinc iterum, in *Apin*, tranſverſione. Nam, ab illo Rege ſe ferebant, immēsâ quondam annonæ penuriâ ſuſtentatos. Unde mortui memoriæ templum, in urbe Mempheos, inſtitutum; *Bovem* nutrire *vivum*, perpetuîs ſæculîs cogebatur; tanquam (poſt ſublatum jam olim *regem Apin*) vicarium nunc *Apin* alterum, omnium adhuc præſtantiſſimum terræ cultorem, famíſq; medicum. Quo factum

Ruina Ieroboami.

erat; ut & nomen ei communicarent, quod rex *Apis* habuerat: & Divinitatem insuper vivam præsentémque, quam rex ille mortuus, & absens, habere non poterat, aut exhibere. Cæterùm huic, tam ridiculo *Deo*, providentiam etiam, ut Numini; præsagia præterea, responsáque, tribuebant Oraculorum: non eiusmodi, qualia Delphorum Apollini; vel Dodonæis quercubus, aut Columbis; vel antro Genii Trophonio; vel arieti demum Jovis Ammonio (*cc*); qui nempe, per Sacerdotes, mares fœminásve, vel ipsosmet, intrà simulacra, Tartareos spiritus, vocem mittebant. Sed Aegyptii Deum suum Cornupetam, alio longè, *bobus* familiariore, promptioréque, loquendi compendiô, venerabilem faciebant: dum eum Oracula fundere talia, contendebant; qualia Samaritani vel Helvetici boves quotidie promunt: *aperiendô* nimirum, aut *avertendo*, coram sciscitantibus, *ore*. Dictu mirum, ac propter mortalium illam cæcitatem, miserandum! Ut quisque, seu regum principúmque, seu privatorum, super eventu suscepti consilii negotiíque, venisset interrogatum; *Ecquid propitiîs* D I S *aggressuri rem forent?* pabulum consultor suapte manu porrige-

Ruina Ieroboami.

rigebat *Api* bovi. Qui ſi porrecto, jejunum os injeciſſet; &, avidô rictu ſatiatâ gulâ, palearia tandem, cum mento cervicéque, ſubmiſiſſet (quô ſanè modo paſta plerumque pecora ſubmittere conſueverunt) nimirum, *Annuere* ſciſcitatorum votis, & *Addicere*, credebatur: diſcedebátque, qui futura ſcrutatus erat, haud aliter à *ſilente bove*, quàm ab ipſo, ſecundiſſima *locutô, Jove.* Sin autem, (ut ſaturis contingit) averſatus alimentum; ore clausô, vel in diverſa flexô, perſiſteret: *Obnuntiare* viſus, interrogantem, tanquam funeſti conatûs damnatum, rebus ſuis diffidentem, triſtémq;, dimittebat. Et fuêre ſanè, quibus, in utrumque, diverſitas eventuum, è negotii ſucceſſu, fidem Oraculi conciliârit: ſive, quòd Fors & caſus aliter in humanis tunc ludere nequirent: ſive, quia de compoſito, ſuam interponentes operam, vafri Cacodæmones, utì Numinis opinionem bovi ſtabilirent; rerum exitus, ad *Bovis Apis*, ſeu paſtum, ſeu jejunium, attemperabant: cœleſtî *veróq;* Numine, juſtîs de cauſsîs, ad pœnam & incrementum dementiæ ſuperſtitioſorum, id ludificationis genus permittente. Cæterùm, ne Seniô tandem deformior, contemptiórque, DEUS hic

Ruina Ieroboami.

præclarus Aegyptiorum, fieret: non ſinebatur, ne *bubulæ* quidem *vitæ* naturale ſpatium, nedum *Deorum immortalium ævum*, implere: ſed eum, certîs exactîs, hoc eſt, *adoleſcentioribus* annis, eductum templo ſuô, maximâ proſequentium populorum religione, pompâque, mittebant in *Neptuni* Nereidúmque *cælum*; id eſt, in *Mœridis-ſtagnum* vicinum, aut *Maræoticam paludem*: quæ, Lyco flumine connexa Mœridis lacui, propior eſt Aegyptio mari. Sic autem, antiquitus traditô more, demerſum *Deum* ſuum, (haud dubiè miſerum, ac miſerandum) Aegyptus omnis, indictô juſtitiô, tanquam ipſomet extinctô Jove, deflebant. Scindebant veſtimenta: capillos laniabant: habitu lugubri, lamentantéſque, circumibant; nec ad ulla priùs, ſeu domeſtica, ſeu forenſia bellicáq; negotia, revertebantur: quoad, ubicunque tandem regionum, *bos alius*, priori per omnia ſimilis, inventus; in *Apis* ſubmerſi nomen, ac templum, & in omnia Divinitatis jura, cooptaretur, atq; ſuccederet. Tunc enim, ſolutô tandem juſtitiô, poſitóq; luctu, tota gaudiô diffluebat *Aegyptus*: dubiúmque populis aliis, ſuperſtitionum talium intactioribus, faciebat; *Aegyptiine ſtupidiores in*
divinis,

divinis, an eorum boves, essent? Sed super hôc *Api* nos aliquid etiã alibi, circa Decadis hujus medium, *Cambysis* in *Ruina*, memorabimus: ideóque finem, hoc loco, narrationis eius faciemus. Illud tamen prætermittere, pæne religioni fuerit: Apud Aegyptios, posteris maximè tempestatibus, & exstructâ jam Alexandriâ, geminum fuisse, *nominis ejusdem*, sed *diversissimi generis*, Apim, aut *Serapin*. Quod discrimen qui non observârunt; in errores subinde fœdos prolapsi sunt; quos effugient utique, qui, quæ superaddam, legere non dedignabuntur. *Apis* igitur *Memphiticus*, idémque vetustissimus; *Jeroboami* jam temporibus, immò *Mosis* etiam, & Aaronis, *ille fuit*; de quo narratum est hucusque: bos, inquam; & vivus, & oracula, voracitate suâ, vel abstinentiâ, reddere consulentibus, existimatus. Et hic bos, *Serapis* quoque, propter eam, quam ex Hebræis attuli, rationem, appellabatur. Colebatúrque multis à sæculis, in Aede; quam ei *Memphis* urbs (*Cairum*, & *Alcairum*, hodie nominamus) erexit. (*dd*) At, longè post *Jeroboami* sæculum, Alexandriæ (quam Magnus Alexander demum, & urbem fecit, & urbium Aegypti caput) floruit *Apis* alius; quem usitatiùs *Serápim*

pim nominabant. Hic, non vivus, ſed *ſimulacrum*; nec in *bovis*, aut vituli, ſed *hominis gigantis* formam, effictus: ex omni metallorum, figlinæ, lignorúmque, quin & gemmarum, piſtillis contritarum, genere mixturáque (*ee*) compactus, adſtabat: proceritate corporis & vaſtitate molis tantâ, quantam, vel Rhodius aliquando Coloſſus, vel Statua Semiramidis, habuiſſe perhibentur. Nam, extenſis utrimque manibus, in longitudinem: dextrâ, templi ſui parietem unum; alterum, lævâ contingebat. *Thorax* item eius, ingens (ut & cætera, pro cujuſque proportione, membra) non in ſtatua tantùm ipsâ, templóque; ſed forìs etiam, in domorum parietibus, feneſtrîs, portîs, veſtibulîs, expreſſus; admirationi ſpectantibus, venerationíque dementibus, erat. Omne denique *Serapidis* corpus, in Herois quandam, ſed portentoſam, majeſtatem efformatum erat. quam membrorum amplitudinem, proceritatísque vaſtitatem, ſuis in ſtatuîs, etiam Hadrianus poſtea, Julianúsque, Cæſares, (ô delicias abſurdas!) adamaverunt. (*ff*) Sed hujus *Statuæ* demum, Imperante Theodoſio Majore, ſubruta, membratímq; conciſa, *Divinitas*; in *murium*, indè prorumpentem, *exercitum*;

citum, & in fumum, ſubjectîs ignibus, exſpiravit. (*gg*) *Divinitatem*, dixi. Non enim, utì *bos Apis* Memphiticus, ore, vel comedente pabula, vel repudiante; ſic *Alexandrinus Serapis*, Oracula fundebat. Nam hic poſterior, intrà Simulacri viſcera loquente Sathanâ, ſigna dictabat quædam, ac *Symbola*; quibus homines, immiſſis Cacodæmonibus, exagitarentur. Idem ipſe, ſibi ſupplicantes docuit, modos illos, & effingendi rationes; quibus, in bruta transformati *Diaboli*, mortalium in corpora facerent impetum: eáque cumprimis inſiderent, quibus Venus, & epulæ delicatiores, cupidinem excitarent, ventrémque ſaginarent. (*hh*) Quæ cuncta, Numinis aliquam præ ſe ferebant, aut impiam æmulationem, aut ſacrilegam exiſtimationem, in hoc altero, vel *Apî*, vel *Serápî*. Plura verò ſuper hoc *Idolo*, cognitu fortaſſis haud injucunda, cùm proferri poſſent; ea conſultò nunc prætermittimus; utpote copiâ narrationis, minùs neceſſariâ, locum hunc, qui *Jeroboamo* debetur, oneraturâ. Quapropter ad priorem illum *Apin*, id eſt, *Bovem vitulúmve*, pro Deo cultum, regredimur: quem tamen etiam ipſum, ſimulacris interdum, materiæ metallive non ignobilis, expri-

exprimi consuêsse; sequentia docebunt. Primûm enim omniũ, Hebræi veteres, in Arabiæ desertis petrosísq; locîs vagi; dum in Orébo monte, Tabularum legis causâ, cum *Angelo* Deóque moram trahit *Moses*: in seditionem versi, fratrem Mosis, Aaronem aggressi sunt; *FAC nobis*, ajunt, *DEOS*! non utique DEOS, cujus generis, ac formæ, nos Abrahamus noster, ac Moses, dictârunt; qui videri tangíque non possunt: sed, quales in Aegypto nuper, pretiosîs expressos statuîs, videbamus. *Fac DEOS nobis*; *qui ductu nos auspiciisq; suis in Chanaanitida regionem præcedant*. Collatísq; muliebribus ex *auro* spintheribus, & aurium appendicibus; efformatus est, *opere fusoriô*, VITULUS, seu Bos *junior*, AUREUS: &, in columnam sublatus, adorationi propositus, eíque palàm, vocibus insanîs, acclamatum; *HI SUNT, ISRAEL, HI SUNT DI TUI! quibus educentibus, Aegyptum es egressus*! Nimirum, in Aegypto viderant hi sacrilegi, non *Api* tantûm animato, sed & animâ cassis imaginibus eius, ac simulacris, genua poni; vota nuncupari; fortunæq; secundioris omnia beneficia, concorditer in acceptis referri. Quid multis? Hinc VITULUS exivit ille; cujus adora-

Ruina Ieroboami.

adoratio, *viginti trium millium* obtruncatorum hoſtiâ ſtetit (*ii*). Hoc pretium, Iſraëlitis illis priſcis fuit, habitatæ, per annorum centurias aliquot, Aegypti; conſpectúq;, cum ſacrilegis ſuis cultibus, *Serapidis-bovis*. cujus poſtea, gens hæc, in impia ſimulacra pruriens, ne tunc quidem excutere memoriam potuit; cùm à cervicibus Aegyptum ipſam, ejúſque ferreum ergaſtulum, jam excuſſiſſet. Placuit malè feriatis, poſteaquam famulari deſierant *hominibus*, ſervire ſubinde *vitulis*, hominum alimentis: & brutorum imaginibus, quæ multùm infrà boves, & homines, erant. Revocavit autem, poſthæc, majorum ſuorum hanc inſaniam, *Jeroboamus*. Cùm enim, (ut ſæpius jam memoratum eſt) eſſet in Aegypto profugus, & exul; Sesáci regis opibus, ac precariò, ſuſtentatus: dubitari non poteſt; quin *Apin*, & *vivum*, & *effictum*, prope quotidie, non conſpexerit modò, ſed paullatim etiam revereri cœperit: ac tandem, & multitudinis adorantium exemplô provocatus, & profani regis auctoritate pertractus, pariter adorârit. Homo nimirum *Jeroboamus* erat, pravè callidus; ac, temporibus, regúmq; gratiæ, quàm Uni Veróque Deo, ſervire ſtudioſior. (*kk*)

Poſt-

Ruina Ieroboami.

Posteaquam igitur, morte Salomonis, restitutus in patriam, & factione partium evectus in regnum; *Sichimæ* sibi regiam sedem, & *Phanuëlæ* munitissimam arcem (*ll*), constituisset: parùm tamen hæc ipsa præsidia firma sibi suísque duxit, ad imperii stabilitatem; nisi Numinis quoque cultum immutaret: & ab omni *Jerosolymorum* cogitatione populi studia deduceret. *Quid enim alioquin futurum? aut, quem rerum suarum vel statum fore, vel exitum? Lege Mosis, robur omne masculinum ter quotannis evocari* Jerosolymam; *ad stata Numini sacrificia peragenda.* (*mm*) *Tantâ, tot vicibus, ex omnibus Israëlitarum finibus, atq; terris, in unum coiturâ plebe, peregriniq; juris templum celebraturâ multitudine virorum; quin & plerumq; mulierum, viæ sociarum: quotumquemq; non, religionis, ac Sacrorum, reverentiâ; quin & nudâ solius etiam basilicæ majestate,* Psalmorúmque *populoso concentu, stupefactum, & in Salomonis Davidisq; memoriam revolutum, iri? Quotumquemque tunc non versaturum ista secum; Hæc fecerunt hæc posuerunt, illi: quorum imperium, à Deo delatum alteri, diúq; saltem approbatum ac toleratum in altero, nos excussimus? Nónne, quemadmodum defectione nuperâ, cum invidia novæ familiæ, con-*

tr-

Ruina Ieroboami.

tra veterem familiam regiam, succlamatum fuit; Quæ nobis pars in Davide? vel, quid hæreditatis in filio Jessæ? *sic, è diverso, majore pro gloria Domûs regalis antiquatæ, recentibus, ac per tumultum intrusis, Regulis, obstrepetur;* Quid nobis cum Ephraimitis? quid negotii, vel rei speíve, cum filio Nabati? *filio mulierculæ Sarvæ? regum antiquæ-nobilitatis ministro numerario? quæsturæ palatinæ, minùs aliquantulò, quàm lictore, servóq; lorariò? Quidni redimus igitur illuc, unde digressi sumus? &*, si *serviendum Regibus est, tribûs illius regibus subjacemus;* cujus *neq; de* manibus unquam sceptrum, neque de femore Dux, auferetur; donec veniat, qui mittendus est, *rerum perditarum Instaurator?* (*nn*) *Finge verò; non dicturos hæc eos, neq; cogitaturos ultrò, qui de meis ditionibus Jerosolymam convolabunt: écquid etiam accedere sic, aut recedere, poterunt; quin illo toto, quod illis præscriptum est,* Azymorum panum *octiduò, cum Jerosolymitis civibus, cum Judæ, cúmq; Benjamini, tribulibus, cum hostis denique mei juratis clientibus, sermones, mensas, commercia, misceant? Quibus sanè conventibus, mei, quod sponte singuliq; fortasse nollent, incitati, conglobatique, quàm facilè tandem annuent: utì, conjuratione factâ, vel in ordinem me,*

H *Roboa-*

Ruina Ieroboami.

Roboamô ſuper ſe reductô, redigant; vel (quod atrocius erit) morte capiteq; meo, Regis antiquioris iracundiam redimere ſibi laborent? Populus *enim*, multorum capitum bellua, *cùm furere cœperit; intrà ſanguinem haud facilè conquieſcet.*

Iſta ſibi *Jeroboamus*, & alia talia, cùm aliquoties diceret, neque cum animo ſuo reputaret, profanus homo, divinorúmque parùm perſpicax: poſſe Deum, qui regnum ſibi *dederit*, datum quoque *conſervare*; populi mentibus in obſequio ſui conſtantiſſimè retentîs: rem excogitavit, omnium deterrimam atque nefandiſſimam: ut, quantùm antea *Regnum*, tantopere nunc *Religionem*, diſcinderet, atque laceraret. Cùm ergò perſpectos, è conſuetudine majorum, haberet, plebis Hebrææ, prurientes in fictilia Numina, mentium impetus: primùm quidem, ad vetus illud Pharanææ ſolitudinis exemplum; ex Auro *Vitulos*, alterutrum præferentes ſexum, *(oo)* conflandos locavit. Conflatos deinde, ſuíque tum pretiô materiáque, tum renovatô vetuſtatis exemplô, placituros; columnis impoſuit, marmore nitentibus, æreáque baſi nixis: & in urbibus, locô ſpatióque diſtantiſsimîs, collocavit. Earum altera, *Bethel* erat; quam, eam fuiſſe,

fuisse, propiùs fidem est; quæ, *Benjamini* quidem in finibus ad Boream constituta, limites tamen *Ephraimi* radebat: &, ex omni Benjamini ditione, *Jeroboamum* sola fuerat secuta. (*pp*) tametsi non desint: qui *Béthelem* aliam, *Sichimæ* vicinam; aliámque Josuæ sepulcro propinquam, vel ex vero tradant, vel ex ingenio comminiscantur. Receptior tamen eorum est opinio; qui, *Bethelem* hanc, eandem illam esse tradunt, quam *Jacobus* olim *Patriarcha*, conspectîs secundùm quietem gradibus, in cœlum usque protensis, oleô diffusô, dedicavit; ac DOMUM-DEI nuncupavit: (*qq*) cùm antiquitus ei *Luzæ* fuisset nomen. Urbium autem *altera*, cui *Vitulum Aureum* Jeroboamus invexit, *Dan* erat; in extremis terræ Chanaaniticæ, versùs Septentrionem, finibus: propè Jordanis fontem illum, qui cognominis urbi fuit isti. Locus enim & hic, idoneus homini sacrilego videbatur: quòd ibidem, jam olim, *Michæ* cujusdam *Ephraimitæ* repositum fuisset, à *Danitis*, argenteum simulacrum illud; *Idololatriæ* diuturnæ caussa. (*rr*) Non dubitabat namque; quo mortalium concursu tunc frequentari solitum esset *Argentum* consecratū; quin eodem, ac fortasse studiosiore, futurum

esset, uti *Sacrum* coleretur *Aurum*. Idque tantò sperabat ardentiùs *populum* esse facturum; quantò, *novitatum ille semper amans*, ad id non modò *consilio*, vel *aurei* fulgoris *illecebris*, sed etiam regis *imperiò*, traheretur. Edixerat enim omni passim regno; *Nequis, adorandi, Sacrorúmve, caussâ Jerosolymam deinceps; sed, vel Bethelem, vel Danem, se conferret*; uti *cuique locus alteruter, vel propinquitate commodior, vel aliis de caussis magis cordi foret. Nec enim adoraturos illic, quod nō viderent; sicuti Ierosolymis hucusque, sterilibus sanè, siccisq; ritibus, ac nudæ credulitatis opinionibus, adorassent*: sed, sub aspectum, sub tactum sensúmque cultorum suorum venire dignantes DEOS. Et *Deos* quidem, de cuncto nominis Hebræi genere quàm optimè meritos. *HOS* enim, *Hos* ipsos, *esse DEOS* illos; *quibus, iter expedientibus, ex Aegypto* quondam, & Arabiæ Petrææ solitudinibus, in beatas illas, quas nunc tenerent, terras *evasissent*. Nimirum, éadem hæc erat, quæ majorum quondam, impia vox; cùm ad radices Orébi montis, *Vitulum Aureum*, uti superiùs narratum est, erexissent. Quæ mihi sæpè sæpius cogitanti, mirantíque; Quidnam fuisset rationis, cur Israëlitæ *Vitulo, Vitulæve*, solerent sua

ſuæ per Sinum Arabicum, ſolitudinémque Sinæam, expeditionis cauſſam aſſignare? cùm profectò, nec *Apin, bovem vivum*, nec illius *Simulacrum* aliquod, & imaginem, habuerint, viæ comitem: libuit ſubinde cauſſas aſſertionis tam impiæ falſæque, mecum ſciſcitari. Nec alia, poſt multam inquiſitionis indaginem, occurrebat, quàm hæc: ut ſuſpicarer; Oblatã uni fortaſſis, aut alteri, fuiſſe, ſive jam per rumorem confictum, ſive per Sathanæ deludentis præſtigias, (quibus utique profanæ mentes facilè patent) *Vituli vitulævè* faciem aliquam; quæ vel in Ignea Columna, Nubéve, viæ ducibus; vel, in *Cherubinis* quoque *poſtea*, (ss) tabernaculo ſuperimpoſitîs, reluceret. Indè, fabulam ſtatuebam, emanâſſe, paullatímque per plures, de Deo malè ſentientes, fuiſſe diſperſam: *Vituli* monitu, vel auctoritate, Caſtra moveri conquieſceréque: *Vitulò* reſponſante, conſulentibus Oracula proferri. Tantô verò promptiùs id conjectabam: quòd, & apud Flavium Joſephum, ac Divum Hieronymum, locô pluſquam unô, legeram; inter *Cherubinorum facies* formáſve, *Vitulinam* quoque, pedum ſaltem ungularúmque tenus, fuiſſe conſpectam: &,

Ruina Ieroboami.

quòd *Ezechieli* divino Vati, loco quodam (tt) *facies Cherubini*, ſit eadem, quæ *Vituli facies*, ſive ſpecies. Vox denique *Kepar*, quæ per litterarum, inter ſe cognatarum, commutationem, quaſi *Cherap*, ſeu *Cherub*, ſit; Hebræis, *Sicuti Vitulus*, ſeu, *Vitulo-ſimilis*, ſonat. (*uu*) Hæc igitur, ex his, quas retulimus, aliíſque talibus, decerpta rationibus, ſuſpicandi libertas; adeò, progreſſu temporum, multorum pervaſit hominum animos: ut longè pòſt, ſub Veſpaſianis Nervíſque, Cæſaribus, Cornelio quoque Tacito, Romano Conſuli, Scriptoríque, Transtyberini Iudæi perſuaſerint (fortaſſe, ne Simulacrorum omnium ipſi ſoli, per omnia, deteſtatores, in Imperio Romano, Deorum Simulacrîs refertiſſimô, viderentur) etiam Iudæis, *Animalis* alicuius *imaginem* eſſe venerationi. Nunquam enim is alioquin, in quinto narrationum ſuarum librô, qui de captis excisîsque Ieroſolymis eſt, ſcripturus fuerat; *Effigiem Animalis, quo monſtrante, Sitim erroréma depulerint, Iudæos penetrali* (putà, *Tabernaculô*) *conſecrâſſe*. Cui Taciti loco geminus ineſſe ſenſus verborum poteſt. Alter quidem, & is rerum *veritati* propior: ut ſcilicet, cùm, *Cherubini* ductu, per invia deviáque Si-

næa

Ruina Ieroboami.

nææ solitudinis iter suum expedissent; beneficii tanti gratâ memoriâ, *Cherubini* formam, (quippe, quam *Vitulinam* quoque nonnulli fuisse, crederent) supra *Tabernaculum* intimi penetralis collocârint. Altera verò verborum Auctoris hujus esse mens potuit, *mendacio* connexa; sacravisse Iudæos, super Oraculum suum, *Agrestis Asini* figuram, aurô ductam. Namque paullò superiùs, eodem ipso volumine, Tacitus fabulam (incertum, undénam haustam?) de Gentis Hebraicæ ductoribus aliis, & à Cherubino Vitulóve diversissimîs, intruserat: fortasséque persuaserat etiam, nonnullis, Mosaicarum narrationum ignaris lectoribus. Ea talis est. Profectos Aegypto contagiosos Hebræos, *omnium ignaros, fortuitum iter incepisse. Sed nihil eos æquè, quàm aquæ* potabilis *inopiam, fatigâsse. Iamq; non procul exitiô, totîs eos campis procubuisse*: *cùm*, ecce, *gregem* Onagrorum *conspexerint, è pastu sese recipientem*; & in *opacam nemore rupem* concedentem. Secutum igitur eas pecudes esse Mosen, *herbidi soli conjecturâ ductum: ibiq; largas aquarum aperuisse venas*. Quæ, quantùm à vero remota sint: nôrunt, quotquot *Exodi, Numerorúmq;* sacros libros, etiam perfunctoriè,

Ruina Ieroboami.

riè, volverunt. Sed nos, omiſsâ nunc de *Vitulis* diſſertatione, mentiúmque perſpicaciorum judiciis relictâ; potiùs ad *Ieroboami* ſacrilega facta revertamur. Hic, in Deos evectîs erectíſque monſtrîs ſuis, ut dixi, *vitulinîs*; eorum ſtatim *univerſum* prope *populum* adoratorem invénit. Quapropter, & illic, ubi *Simulacra* ſtabant, & in montibus quoq; nemoroſis, paſſim Delubra, lucos, aras, ſacrificiáque, conſtituit. *Sacerdotes autem fanorum* (quoniam *Levitæ* tantam impietatem miniſteriîs ſuîs adjutare detrectabant) è ditionum ſuarum tribubus aliîs, evocavit; eóſque, contra jus, fas, ac leges divinas, & humanas omnes, *Sacerdotes* eſſe juſſit, ac cædere victimas. Quanquam ſanè, non Sacerdotes rex legit, aut creavit: ſed lanios ac popas; hominum, ex omnibus ſinguliſq; quibusvis tribubus, ignobiliſſimos quoſque, proletarios, capite cenſos, capitéq; ſæpe diminutos: verbô! tam ſacratos, ac divinitus unctos; quàm ſanctus, & conſecratus, ipſe Pontifex eorum Summus erat: ſceleſtiſſimus, inquam, *Ieroboamus*. Hic etenim (nequid ad omnia dedécora Sacris novatis deeſſet) homo licèt profaniſſimus; ab hoc ipſo tamen articulo temporis, tam ſe, pro *Sacrorum* ſimùl, ac civilium

vilium negotiorum, *Rege*, nullô cœlesti jure permissúve, gessit: quàm, patrum nostrorum memoriâ, (ringantur licèt, ac dirumpantur, imitatores eorum & asseclæ!) reges Anglorum, *Henricus* Octavus, *Eduardus* Sextus, & *Elisabetha*, Boleniæ filia, pro *Capitibus Ecclesiæ Britannicæ* sese gesserunt; quàm latè nomen patebat Anglicanum, & Hybernum. Nequid autem non *Pontificium*, ac *Sacrorum-Regis*, Jeroboamus ageret: ne *Fastos* quidem *ordinare* (si tamen hic *ordo* fuit; & non potiùs rituum *disturbatio*) prætermisit. Nam, pro sollemni *Paschæ*-verni, quod Moses præscripserat, octiduô, mense Martio, celebrandi: commentus est ipse, populo validiùs diducendo, Quintumdecimū *Octavi* mensis, qui nostro respondebat Octobri, diem; fructibus, ac pomîs, autumníque deliciîs cæteris, amœnum. Eum sub diem, jubebat Bethelæum, Danæúmque, *Vitulos*, quotannis frequentari; tantô, quantô priùs *Agnum* Jerosolymîs, confluxu. Quóque spectatius esset novorum Sollemnium Sacrificium: inaugurandis impiæ *Vitulationis* primitiis ipse Sichimâ se *Béthelem*, adultô jam Octavô mense, contulit: maximâq; populi frequentiâ, quintodecimo mensis die, suismet

Ruina Ieroboami.

constructam sumptibus, & imperiis, *Aram* conscendens; *Sacerdotis Supremi more,* Sacrificium, ac suffitum, exorsus est: ut caput idem, *apicatum* simùl, & *coronatum*, sceleris exemplô plebi præfulgeret; útque manu rex, qua sceptra librabat, thuris etiam acerras agitaret. Quod autem nefandius est factu, relatúque tristius: non abstitit hic, Dei contemptor, & hominum, ne tum quidem; cùm, immissu Dei, prophetes, è *tribu Iudæa* Bethelem profectus, scelestis sacris intervénit; & ex ore Numinis audaciæ Regis obnuntiavit. cùm interim tamen *ara* disrupta; cùm cinis victimarum effusus esset; cùm brachium, in vatem divinum cum minis extentum, arefactúmque, redúci, nisi Vatis ad preces, nequisset; cùm alia denique prodigiosè facta non pauca, nec è trivio, *Jeroboamum* absterrere cœptis, ac retrahere, debuissent. Nam, quæ semel obstinatorum in prava durities est; non modò revocatus à perversitate non est, dum in ea viginti duorum annorum, & vitam exegit, & dominationem: sed ipse potiùs, utì *Draco* quidam pestilens, exempli mandatíque sui *caudâ*, post se pæne *vulgus* universum, populíq; præterea capita, *primores* regni: denique, *reges* octode-

octodecim, hoc eſt, omnes, *Vitulorum adoratores*, traxit: potentiùs, quam *bos* unus, *armentum* univerſum.

IV. Quam rerum tam ingentem & incredibilem indignitatem, quando mecum expendo; libet, ac prope neceſſarium eſt; in *Jeroboamum* illum, omnis impietatis & ruinæ primum fontem, atque caput, indignationis univerſum effundere ſtomachum: ídque pro Numinis, tam cauſsâ, quàm majeſtate, defendendâ; cui, bipedum iſte ſceleſtiſſimus, *Quadrupedum* auſus eſt Imagines exæquare. Nec dubitavit inſuper: perturbatô, tantúmque non penitùs abolitô, veri Numinis cultu; Sacra, ritus, cæremonias, ac divinas humanáſque leges, convellere: factôque ſuo, quid ſucceſſuri ſibi Reges facere deberent, commonſtrare: populo denique, regum ſuorum dementiam imitanti, *laqueum injicere* miſerabilis Interitûs. Et ob quam, obſecro, cauſſam aut ob quod tam incomparabile commodum? etſi ſanè, quoties de Deo, diviníſque negotiis agitur; de cauſſa commodíſque mortalium, vel nullam decet eſſe, vel neglectiſſimam omnium, poſtremámque, quæſtionem. Jus namque DIVINUM, Juris cæteri Lex, & amuſſis,

Ruina Ieroboami.

ſis eſt univerſis; metiendáq; mortalium emo lumenta ſunt Immortalis DEI placitîs. Sed quæramus tamen; Cur humana divináqu cuncta ſubverterit impius *Jeroboamus?*

UT nempe *ſtabile* ſibi, ſuíſque, duraret Iſ raëlis Imperium: nec ad *Roboamum* reverten di periculum eſſet. Et id quidem infelix iſte, nec ad *tertium* quidem, ex ſe ſucceſſorem, obtinuit: id, quod inferiùs manifeſtum fiet. Fingamus tamen id quod non fuit; quaſi fuerit: ac ſtatuamus, Regem hunc, quod affectârit, *Obtinuiſſe*: vide, pro modico, fragilíque, fugacíque, nebulonis unius *hominis* bono, quot Gloriæ ſuæ bonorum jacturam ſubire coactus ſit Ter maximus, Optimúſque, DEUS? Pro *capitis unius* firmando Diademate, Coronáve, quot *millia capitum* & *animarum* in ſempiternam præcipitata ſint perniciem? De *Deo*, Diviniſque primùm, quid diſpendii ſuſtinuerint; deinde, De *Populi* quoque damnis, in compendio, diſſeramus: ut *liquidior, ex Ordine ſermonis, eluceſcat Veritas.* Præputiorum igitur *Circumſectionem*, &, cum Iſraëlitico nomine, decreta quædam, *quæ leviora Legis erant;* retineri *Jeroboamus* permiſit. DEI quoque *Jehovæ* (quem *Adonáim* illi pronuntiabant) & utcun-

utcunque fortasse *Sabbata*, Mosisque libros, in pretio se, jactavit, habere: nec extorsit populo. Sed, quid hæc paucula; si componantur ad ea; quæ de Sacris majorum impiè convellit, ac difflavit? Nam, ubi, post illam Religionis veteris antiquationem, *Ierosolyma*; cunctis ex urbibus Hebræi juris, urbs à Deo delecta: propositáq; tribubus omnibus: ad quam, descriptîs anni temporibus, ascenderetur? Ubi, post illa, *Templum*; in quo publicitus ab omni, voluit, Israële *Deus* adorari: *basilica*, divini tam ingenii, quàm digiti, præviæq; descriptionis? Ubi, posthæc, stata diluculorum vesperarúmq; *Sacrificia*, vel *Suffitus*? Ubi *Sacerdotes* Summi? Sacerdotes minorum graduum? genus, ac sanguis, Aaronis? Ubi *ministeria Sacrorum*; à manibus peracta legitimæ *Leviticæq;* posteritatis? Ubi *Davidici* cantus, ac *Psalmi*? Psalmorum exquisiti *cantores*? cantorum, secundùm modulos suos, descriptæ *classes*, ordines, ac multitudines? Ubi *Dei* quotidianæ, sicut Jerosolymîs, *laudes*? Ubi, *consonantes* in Dei laudem, hominum organorúmque, citharárum, & cornuum, tubarúmque, *voces*? Ubi, religiosi cultûs illecebræ, *thymiâma*? propositi *mensîs* aureîs *panes*? aureum *Can-*

Ruina Ieroboami.

Candelabrum? aurei lychni? lucernæque juges, ac pervigiles? Ubi *Mosaicæ legis* prælectores, doctores, interpretes? Ubi populi solitus, ad audiendam legem, ex eáque corrigendos mores, confluxus? Ubi, Sacrificiorum tempore, *multitudo plebis* intus, & *foris, orans?* Vbi *virginum* ac *viduarum*, ad Templi Tabernacula sive fores & cultum *excubantium*, nocturnæ diurnæq; preces? jejunia, mentiúmque, corporúmq;, castitas? Quid autem & illa dicam, à tot antea sæculis, uti *lege* commendata, sic *usu* trita? Qualia sunt: *Quartidecimi diei*, mensis primi, Vespera; *Paschalis* agnellus; anniversaria totius Israëlis victima; Christi, purioris *Agni*, præludium, & Imago? Septem item dierum religiosi, sine *fermento*, Panes: Quinquagesimæ quoque, quæ volvitur *à Paschali* die, lucis sollemnitas; triticeæ messis primitiis honorabilis? Quid autem & ipsæ frugum *primitiæ?* quid *decimæ?* votísq; nuncupata *donaria?* quâ fide tunc, aut, à quàm paucis, & quibúsnam, pendebantur? Septenniorum *Sabbatismi*; libertates; ac manumissiones? pecuniæ creditæ condonationes; pauperum & advenarum gratuitæ sublevationes? Quinquagesimorum item, seu *Iubilæorum annorum*, immuni-

munitates, & inclytæ cæremoniæ, quò diffluxêre? Parva ſunt iſta tamen: ſi magnis præſertim, maximiſq;, conferantur. *Mandatum in Lege* Moſaica *magnum* erat; *Amore* cæteros complecti, quo quantóq; ſeipſum quiſque complecteretur. Hinc exulare debebant, ab illa gente, cædes, rixæ, contentiones, odia: procùl abeſſe, rapinæ, furta, circumſcriptiones, mendacia, perjuria, falſa teſtimonia: longiſſimè deniq; moribus ab Hebræis proſcripta jacére, ſtupra, ſcortationes, adulteria, conſanguinearum inceſtationes, & id genus alia libidinum portenta. Quæ cuncta, quàm ſolerter *à Ieroboami* temporibus, ad extremum uſq, corruentis Iſraëlitici regni ſpiritum, obſervata fuerint: Omnes, à primo, vates, ad ultimum uſque, ſuîs increpationibus, perſpicuum fecêre. Quorum unus aliquis, cæterorum Prophetarum Satyras velut in compendium miſſurus, lamentatur *Ieroboami Secundi* principatu. *Maledictum*, inquit, *& mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium, inundaverunt: & Sanguis Sanguinem tetigit.* (x x) Videlicet: Hoc ibi fieri, conſequens eſt, etiam hîs ætatis noſtræ moribus: ubi, pauculîs quibuſdam, *vocabulîs veriùs, quàm rebus*, ad inanem

*— Ruina Ieroboami.

inanem populi plausum, retentîs: ab *Ierosoly-mis*, id est, ab *Ecclesia*, veterúmq; Religione, discessiones fiunt. *Mandatorum* autem *Primum ac Maximum* erat, *Diligere Deum*, &, ad præscriptum, colere, metuere, venerari. DEUM autem, *Verum*, & *Vivum*; non confictum, & animâ carentem: quem *Israëlitæ* tunc, *nomine* tenus, jactârunt; *re* tamen *ipsâ*, legum eius exutîs obsequiîs, procùl aspulerunt. ut adeò meritò clamare prophetes idem, cujus antè paullò verba produximus, cogeretur; *Non esse veritatem, nec misericordiam, neque scientiam veri Numinis, in* Israëlitarum *terra*. (yy) VERE namq; *Deus* legitimus *ibi nescitur*; *ubi sua cuiq; Cupiditas, Deus est*. Sed hoc ibi contingere, quin & moribus hodiernis, pæne necessitatis est; ubi *Deus*, & *Christus*, & *Fides*, & *Evangelium*, ore crepantur: Dei verò, Christíque voces, & Evãgelii nervus, elidũtur. ubi Servatoris seriæ commonitiones, (*Ecclesiam audire*, jubentes; &, *non Credere tantùm, sed præceptis suis Omnibus obsequi*, mandantes) exploduntur. Id, *verbîs* fortasse *non semper* fit. *factis* autem, pertinaciter. ubi petulanter & indoctè garritur; *Ad salutem satìs esse Fidem Solam*. (**) Jacebat igitur Israëlitis his Jeroboamicis, *Veri viviq;* DEI pro-

Ruina Ieroboami.

proculcata Majeſtas: cùm eius *nomen* tantummodo credulitatémq; nudam, nec *Obedientiam*, retinebant. *Vivo* vero, *Veriſſimóq;* Numini, *mortuum* ac *fictile* Numen, ſuîs in *Vitulis* opponebant.

Quid, quòd in hoc ipſo, *tertiam* quoque *Præcepti Maximi* vocem eludebant; quæ, DEUM coli jubebat, UNUM. Quid enim clamabat, in Legis repetitione, *(z z)* Moyſes: cùm, *audire* voluit Iſraëlitas, & attentos eſſe? *Dominus*, inquit, *Deus noſter*, *Dominus* UNUS *eſt*. At illi, non contenti, ſicut majores eorum, *Vitulum* illi, *Deum*, ad latus Divinitatis, adlocare; quò *Duo* jam eſſent, *Vno* pro Deo, DI: *Vitulos* inſuper *geminos* conflaverunt; Hos, *Deos* ſuos, & *Eductores*, ac libertatis Vindices, ſalutantes. Vt adeò, *Tres* jam DEOS haberent, ſacrilegi: quorum *Vnum* è libris *agnoſcerent*; *duos* reliquos, de genibus *adorarent*. Vt hîc prætercam, tanquam alibi quoque relibandum; Præter *Vitulos* paullatim, & *Belum*, aliáque Deorum, ac Dearum, immò, *Dæmoniorum*, *(A a a)* monſtra fuiſſe coli cœpta, poſterorum impietate Regum. Ingentem igitur, (uti principiò dicere cœperam) *Dignitatis* ſuæ jacturam, ex hoc infando *Jeroboami* ſcelere, DEUS Ter Ma-

I ximus

Ruina Ieroboamj.

ximus incurrit: ut nefarii regis unius *Dignit*
inconcussa (scilicet) persisteret. Jam verò de *Populi, decem* illarum *tribuum*, dispendiô calamitosissimô, quid, pro rerum pondere, commemorem? Non dicam jam, de damnis corporum, fortunæ, pacis, ac libertatis: quæ, gravissima quidem; sed tamen, magis in tempore, sub exitum hujus Ruinæ, proferentur. Nunc *Animarum* censum agimus: & nempe, quot *Israëliticorum* utriusque sexûs capitum, ex illa priscis à Sacris defectione, perpetuum incurrerint suæ *Salutis* naufragium, supputamus. Et quidem, nequis omnem putaret *Decem tribuum* multitudinem impietati consensisse regis: negari non debet; Ab eo, Dei sacrorúmque caussâ, defecisse sensim haud paucos: pietate tantâ, quantâ rex impietate desciverat à Deo. Quod fecerunt, non *Levitæ* tantùm, ac Sacerdotes; qui, *quòd abjecisset eos Jeroboamus*, relictîs suburbiis prædiísq; suîs, Jerosolymam sese, quæque cætera Iudææ loca commoda sibi visa sunt, receperunt *(b b b)*: sed, è populo quoque, *tribuum* Israëlis *omnium*, non defuêre, qui, Deo patrum suorum, eiúsque legibus, ante cæteros, addicti; sese Ierosolymam sacrificiorum caussâ, frequentes conferrent *(c c c*

(ccc) Vnde fiebat, ut & *Roboami regnum*, primô saltem principatûs eius trienniô, non modicè *corroboraretur*: & veri Numinis adoratores, ne quidem inter Ieroboamitas, ac sub regibus, *Jeroboami* successoribus, exolescerent. Ac certè *Deus* ipse, *cui vel Exiguus piorum numerus, instar ingentis est exercitûs*; profligatissimîs illis Achabi regis, ac Iezabelis, temporibus, gloriari, sibíq; gratulari coram Eliâ, sustinuit; *Seposita sibi manere septem millia virorum Israëlitici regni: qui nec genua sua Jovi-Belo curvârint; nec manum ad os, adorationis, & osculi superstitiosi causâ, retulerint.* (ddd) Quare, pro comperto tenendum est; Plusquam unum, ex tot tribubus, fuisse, vel *Abdiam*, qui Numinis veri Prophetas occultaret, ac pasceret: vel *Tobiam*, qui *Veritatis viam*, ne sub Tyrannis quidem Religionum, *deseruerit*: *& qui* (eee) *nihil in opere puerile* fatuúmve *gesserit*: quíque, *cùm irent omnes ad Jeroboami Vitulos aureos, cæterorum consortia vitârit: Jerosolymîs Deum adorârit: primitias, decimásq; fideliter repræsentârit* (fff). Sed hæc ipsa, quæ *Deus* numeravit, incontaminatorum *septem millia* virorum; quantillus erant, si conferrentur ad tot inquinatorum agmina, manipulus? Quod ut clariùs e-

lucescat: agè sanè, numerum ineamus, in *decem* illis *Jeroboami tribubus*: non dico, singulorum, & omnium, *sexûs utriusque*, sed *virilium* duntaxat, & in *arma* natorum, capitum. Et quidem temporum eorum viros, in summam redigamus, quæ sobolis, multò, quàm postea, steriliora sunt reperta; quippe, *viginti tribus* jam *millibus* in Solitudine, propter adorationem Vituli trucidatîs: plusquam *sedecim millibus*, in seditione Coræâ consumptîs; *viginti quatuor millibus*, in scortatione Madianiticâ jugulatis, aut suspensis: *multîs* denique millibus aliis, in *Concupiscentiæ Sepulcris*; & alibi, *serpentum ignitorum* morsu, deletîs. Superfuêre nihilô seciùs, post hæc omnia, *Rubenitarum* Quadraginta tria millia, septingenti, triginta. *Simeonitarum*, viginti duo millia, ducenti. *Gaditarum*, quadraginta millia, quingenti. Stirpis *Issacharitarum*, Sexaginta quatuor millia, trecenti. Stirpis *Zabuloniæ*, Sexaginta millia, quingenti. Stirpis *Manassæ*, Quinquaginta duo millia, septingenti. Stirpis *Ephraimitarum*, triginta duo millia, quingenti. *Danitarum*, sexaginta quatuor millia, quadringenti. Tribûs *Aseræ*, Quinquaginta tria millia, quadringenti. *Nephthalæa* denique Tribûs, quadragin-

draginta quinque millia, Quadringenti. *Decem Tribuum* igitur, iſta tunc Summa fuit; *eorum*,(inquit Moſi Deus) *qui poſſent ad bella procedere*; *(ggg)* quíq; *viceſimum* jam ad *annum* vivendo pervenerant. Quantum autem poſtea virorum invénit *David*, quo tempore *Joabum*, ad populi bellicoſi ſummam ineundam, emiſit? Sanè quidem *Joabus*, etſi *Cenſor invitus*, ac (quod indè ſequi debebat) *perfunctoriè* magìs, quàm *exactè*, regis exſequeretur imperium: extra Iudam tamen, ac Levin, & Benjaminum, in tabulas retulit, *mille millia*, prætereáque, *centum millia*, fortiſſimorum virorum, *educentium* in hoſtem è vagina *gladium*. *(hhh)* Quid verò *Ieroboamus* ipſe? nónne prælio deleturus *Abiam*, Roboami filium; *virorum lectiſſimorum* robur, *octingenta millia*, produxit in aciem? *(iii)* Quantum illi, credimus, domì puerorum, ac ſenum? quantum ægrorum, aut, aliìs de cauſsis, certamini tunc vel inhabilium, vel dilatorum? quantum puellaris, aut adultioris, corporis fœminarum? quantum denique ſervorum, ac famularum, ſuperfuiſſe? quæ turba, ſi vel levî brachiô numerus ineatur, facillimè, cum illa caſtrenſi multitudine, *vicies quater*, aut etiam *tricies*, *centena millia*

Ruina Ieroboami.

lia confectura fuit. Turba, non fortassis *armi* universa; tamen universa, vel *Cœlo* nata, vel *Gehennæ* victima futura; præ cuius proinde turbę densitate *Septem illa virorum millia*, Belo non supplicantiũ, vix umbra censeri Somniúmve possint; vix, in circulo vasto, punctus. Et hanc omnem tamen, tam innumerabilem, hominum colluviem, tam in solitudine Pharanæâ, quàm in Censu Ioabi, castrísq; Ieroboami, sub numeros vocatam; constat, *ætatis* hominum, haud plusquàm *unius*, fuisse. Quãtum nunc hominum, æstimamus, *Decem* illis in *Tribubus*, per *annos ducentos*, *quinquaginta quinque*, sub *novemdecim regibus* identidem ortum, & extinctum, esse? Quod totum, extra paucissimos illos, à Deo sibi reservatos, in Impio cultu Deorum, & *vitam egit*, *&* *animam*. Perierunt igitur, quotquot sic spiritũ duxêre, sic ductum, extrusêre, (nemo dubitet) *in tenebras exteriores*. Id, quod altâ meritò debet formidine consternare, Christianarum etiam Aetatum, Principes ac Reges illos: qui, sanctissimîs majorum protritîs consputatísque Sacrîs; ad unius alicuius *Hirci*, *Vitulive* lascivientis vocem, contemptu Sacrorum inundavêre provincias, Insulas, Regna: tótque *millia*, malô per-

lò persuasarum errore mentium, per *sesquisæculum* ferè, demiserunt Orco. Non alium ad modum, Israëlitæ quondam, à Ieroboamo, regibúsque posteris, ac Vitulis suis, excantati, pejoráque pæne suîs ipsis corruptoribus delinquentes; eradicati sunt. Nec enim falsâ religione contenti fuerunt: sed, si qua (sicut debet) *Eliæ*, sanctissimo vati, querelæque vatis, fides est; *Altaria* quoque dominica *destruxerunt*: parricidali *gladiò Prophetas interfecerunt*: Deos alienigenas, hoc est, *grandes fædásq; nugas*, & *Sathanæ prostibula*, coluerunt. Erexêre sibi nemora, lucos, aras, statuas. Sidera, Lunam, Solem, *cœliq; militiam universam*, adoraverunt: *filios filiásq; suas traduxêre per flammas*, haud aliter, atquè, per lustrales nunc baptismi *fontes*. Multi quoque, simulacris Deorum æneis, igne candentibus, in complexum datos liberos, exusserunt. Immunda, spurca, Priapeja, fecerunt. Auguriis insuper, & incantationibus, magicísq; vaticiniis, sese passim impendentes; excluserunt, è mentibus simùl auribúsq; suis proscriptos, veri Numinis *Legatos*, ac *Vates*: quos tunc illis Deus, copiosiore, quàm unquam antehac, numerô, velutíque segete, submisit. In his, insignes, Eliam, Eli-

Ruina Ieroboami.

ſæum, Oséam, Amóſum, Ioëlem, Abdíam, Ionam, Michæam Moraſthiten, & alios. Sed *ſurdis*, immò mortuis, *Sermo Dei*, tanquam *Fabula*, cantabatur. Didicerant enim, à primo ſuæ pertinaciæ magiſtro, *Ieroboamo* rege; contemnere monitores Prophetas; eludere diſruptas aras; eventilare victimarum excuſſos cineres; Deum ipſum denique, *Tonantem* æquè *fulgurantémq;*, brutas minas putare. (4) *Deſcenderunt* igitur in Exitii tandem irrevocabile barathrum, ſimúlq; perierunt, Iſraeliticæ terræ *Reges*, & *Principes*, & *tribuni militares*, & *divites*, *ac fortes*, & *omnes*, *tam liberi*, *quàm ſervi*, viríque, fœminæque: *(kkk)* ſuíſque detractum culminibus, ac fundamẽtîs emotum, Iſraelis regnum eſt. Cauſſa Ruinæ tantæ prima, potiſſimáq; fuit; *Ieroboami Primi*, nequam *Ambitio*. Proh ſcelus, ac portentum; in ultimas profundiſſimáſq; Tartari regiones, meritò deportandum! Ergò, quò tu *diu*, ſanguiníſque tui Succeſſio *tutò*, regnaretis: Cupiditati tuæ cedere debebant omnia Iura? Tibi, (tibi dico, *Machiavelli* præſultor, & chorágo, tuíſque ſectatoribus!) vacuare poſſeſſionis juríſque ſui ſedem cogebantur, Religio, Sacrificia, Templum, cæremoniæ, Leges, Moſes, & ipſe

... ic. **Ruina Ieroboami.**

& ipſe DEUS? Tibi procumbere, tanquam *Pluti* victimæ, tot millium Animarum everſa Salus? tibi ludus eſſe, fabulæque, manes omnes; & ſpirituum, à morte, felix infelixve ſtatus; & mentium Immortalitas; &, ut *Abrahami Sinus*, ſic *Infernum* Luciferi *chaos?* O facinus indignum, & immanitate pleniſſimum! Hoc ipſum autem, hodiéque factîs, opinionibúsq; ſuîs, exprimunt omnes illi; qui tuarum ſunt partium, quibúſque *Pſeudopoliticis* vulgò nomen eſt. Hi namque, non minùs, ac tu, (***) de ſtercore frequenter, ultimęq; plebis cœnô, ſurgunt: víxque caput aliquantùm, quæſtuoſîs, aut paraſiticîs, ſuîs miniſteriîs orſi ſuſtollere; continuò magnas ad opes, & ab opibus, ad culmina dignitatum, perveniunt. Indè tum, hi *Nabathi Sarvæque*, (volo dicere, *terræ-filiorum) filii*; ſoccis abjectîs, *cothurnos* induunt: &, qui, fortunæ minoris adhuc in ſordibus defixi, natalium ſuorum ruſticitatíſq; memoriâ, modicè ſeſe demiſséq; geſſerant; in poteſtatibus poſtea conſtituti, plurimùm ultra cæteros omnes, ac ſupra *veteris* quoque *ceræ nobilitatem*, extollunt ſe: ſtringúntq; *tot imperia*, *quot* in ſubjectos *verba*: tot ſceptra vibrant, quot nutus emittunt: ſermones miſcere, niſi tan-

Ruina Ieroboami.

quam ad libellam & pondus expenſos, dedignantur. Infra ſe denique propterea *deſpiciunt univerſos*; quia *ſupra quoſdam* evectos ſe *vident*; ideóque poſt ambitionem ſuam cuncta ponunt. Quódque mireris: etiam, qui placidos ſe priùs, ac civiles, ante potentiam exhibuerant (fortaſſis ob id ipſum; ut eam, comitate fictâ, pérq; prenſationes, invenirent) poſtea, faſtigio ſuperimpoſiti, ſtatim, ex novis honoribus, valedicunt priſcis moribus: *ut* (quod Comicus Afer dixit) *non cognoſcas, eoſdem eſſe*. (*lll*) *Deterius igitur hoc hominum genere*, verè ſordido, veréque ſervilì, mediis in dominatibus, *vix eſt aliquid*: ut, quorum correctioni, niſi *detractione de loco*, locus non ſit. Aeſtuantis eorum Ambitionis Incendium, niſi Ruinâ, difficulter ſopietur. Quod *medicinæ genus eſt peſſimum; quoties opus eſt, per malum extingui mala.*

V. Sed nos ad propoſitum revertamur. Tales cùm eſſent, & *Reges* in Iſraële (nam Jeroboami veſtigiis omnes inhæſerũt) & *populus*: quáſnam, pro meritis, tandem pœnas; quænam ſupplicia, pependerunt? Et quidem illa, quæ *mortui*, ſempiternîs in cruciatibus, exſolvunt, *Animarum* tormenta; Deo relinquimus, & Igni caſtiganti. *Corporum* autem excarnificatio-

cationes, in *Valle Josaphatæa* videbimus. Sed interim, *præsentis* quoque *vitæ* mala, quæ sunt infelicis Aeternitatis *proscenia* quædam, ac præludia: pretium est operæ, cognosci. Ponemus autem in conspectu, primùm *Reges*, eorúmque, quodam in compendio, *mores*: quippe, sine quorum, rudi saltem cognitione, minùs liquidò *Ruinæ* singulorum perspici meritum, æquitásque, possit. Post hos autem, ad *Populi* totius, ac *Regni*, pergemus *excidium*.

Primus igitur, uti nomine sceleréque, sic & ordine supplicii, JEROBOAMUS, Mosaicæ legis & Sacrorum Apostata; quàm improbus, tam infelix, pleráq; vitâ suâ fuit. Hic documento posteris, etiam ante Tiberium Neronem, factus est; Semper magnâ clade, *multóq; sanguine, regnaturum, quisquis ab exilio venerit ad Imperium.* (*mmm*) In Aegyptum, è Chanaanitide, fugitivus sui Regis; ex Aegypto reversus est in Chanaanitidem, avitæ Religionis transfuga. Post regnum insessum, & Impietatem constabilitam, obsurduit, ad omnem bonam frugem, etiam ad aures, nedum in animum, admittendam: aspernatus monitorem, non *hominem* modò, sed & Summum *Deum*. Quin etiam, immissum sibi divinitus, è Judæa, *prophe-*

propheten, incomperti quidem vulgò nominis (*nnn*), sed compertissimæ tamen, statímque repræsentatæ, veritatis; apprehendi jussit, & constringi. Neque deductus est à mala mente; vel arefactione dextræ suæ, vel eiusdem misericordî restitutione; vel, ad acclamationem propheticam altaribus disruptîs, ac cineribus effusîs: velut in superioribus nonnihil attigimus. At nec eo denique motus, præterquam in deterius, est: quòd hunc eundem vatem, adversùs disertissimum Numinis interdictum in oppido Bethele prandentem, *à leone* mox contusum elisúmque, nec tamen devoratum ambesúmve, cognovisset. Perrexit enim impius, viâ, qua cœperat: pretiôq; Sacerdotia fecit; & facta, pro libidine vendidit. (*ooo*) Ut autem & reliquias potentiæ Roboami, Domúsq; Davidicæ, stirpitus eradicaret: ausus, tum aliis, iísque crebris, expeditionibus, ac præliîs, Judæam incurrere; tum novissimè, regni sui potissimîs viribus, *octingentorum* (uti suprà dictum est) *millium* pugnacissimorum, instructîs copiîs: vincere conatus est. Sed, immissô divinâ vi pavore, pro victore victus indè discedens; *quingentorum millium*, è suis, prodigiosâ clade, jacturáque, terga vertit.

Et hi

Et hi quidem *omnes*, (quippe, ſacrilegi, próque Sacrilego rege, Diisq; Vitulinis, initô prælio) jam apud Inferos cœnabant. *(ppp) Jeroboamus* autem, ingenti cum dedecore tam inſolitæ ſtragis acceptæ, regnóq; plurimùm imminutô, reverſus è conflictu; necdum tamen ad Deum, bonámq; mentem, reverſus eſt, quantumvis, vel cæcis quoq; clarum, & fatuis perſuaſum, eſſe decuerit: Non casù plagam illam, Iſraëlitis antehac inſuetam, inauditámque; ſed, infligente Numine, propter illius accidiſſe nequitiam. Hæc igitur reputare cum animo ſuo debuerat: *niſi, depravatus ſemel, ac profundô ſcelerum demerſus, animi ſenſus, omnem ſuperaret, etiam ſtultiſsimorum dementiam: ipsáq; maleficiorum præteritorum ſupplicia, verteret in pabulum & incrementa novorum facinorum.* Deteriorem igitur in dies, horásq;, redditum *Jeroboamum*; Deus noviſſimè, *filii, natu majoris*, cui nomē *Abiæ* fuit, proſtratâ valetudine percellit: ſimùl autem, eádem operâ, duríque temporis occaſione, minîs atrociſſimîs, ac denuntiatione malorum indeclinabilium, adgreditur. Nec idipſum tamen, niſi per latus uxoris directô comminationis gladiô, facere Deus inſtituit: quippe, dedignatus, (& meritò)

Ruina Ieroboami.

tò) desertorem sui, jámq; propemodum plusquam hostem, toties nullo successu demonitum, per somnia legatósq; suos, *impræsentiarum convenire.* Vatis igitur absentis ore, per os interpretis, quod regi conjunctissimum esset, regem absentem increpuit. Erat in matrimonio *Jeroboami*, jam olim in exilio ducta, Taphnês, Aegyptiorum Reginæ, germana, natu major (nam minorem *Adádus* duxerat, Idumæus:) cui nomen *Anóni* fuit; *(qqq)* in *Annam* postea, si Lucifero Calaritano credimus, Hebraicâ loquendi consuetudine commutatum. *(rrr)* Hanc *Jeroboamus*, habitu regiô dissimulatô, cúmq; munusculis plebejæ liberalitatis missam; convenire Propheten jussit, *Abiam*: eum ipsum nempe, cujus ex ore, palliiq; novi discissione, regni vaticinium, ante complures annos, adhuc quæstor, acceperat. Is, ætate decrepitâ; caligantibúsq; seniô luminibus, *Silóne*, patriô solô, decumbebat: erátq; spes; eum, qui *patri* quondam imperium ultrò præsagîsset, *Abiæ* filio, regiæ successioni destinato, valetudinis eventum, cujus caussâ vaticinium quærebatur, haud utiq; taciturum esse. Non tacuit *Abias*: sed, spiritu, futurorum præsciô, si quando quis alius antehac, & ple-

Ruina Ieroboami.

& plenus, & inflammatus; diffictum habitum, ac tectum agendi modum, *Reginæ* præsenti; mentem impiam, & ingratam, absenti Regi, *durus nuntius*, & asperrimus objurgator, exprobrare cœpit. Adjicere deinde minas, in utriusq; caput: ac *Jeroboamicæ* familiæ totius internecínam exstirpationem; Israëliticarum Decem tribuum hostiles exagitationes; vastitatem, cladem, fugas, & in Assyrios abductionem, prænuntiare. Pignus deniq; veritatis præsagii sui, *mortem* adjunxit *filii*; de cujus salute consulebatur: quem, in ipso matris ad ægrotantem reditu, prædixit, animam exhalaturum. Ità Numini decretum esse, Scelerum vindici: nullîs jam, non modò munusculîs, aut blanditiîs, sed neq; victimîs, (præterquam humanorum capitum innumerabilibus) exorabili. *Prophetæ* verba fides obsignavit eventûs funesti: filiúsq; regis, ad ipsum reginę redeuntis pedum sonitum, extinctus. Jámque mortuus erat *Abias*, illatúsq; tumulo: nondum emendatus, *Ieroboamus*. Quare, *quod in arboribus quoque, desperatæ fertilitatis, novissimum esse remedium solet* (ne frustra pomarii solum ab illis occupetur; & indè stirpium agnatarum vicinia, putredinis trahat exemplum) *Securis*

Ruina Ieroboami.

turis, excidium, rogus: id ſuperfuit unicum regis hujus conclamatæ correctioni. Non igitur exſpectatâ fatorum evolutione, qualem moriendi neceſſitas ordinaria naturæ præfinit; peſtifero capiti Deus ipſe *Sententiæ Decretoriæ* manum injecit: animámq; nocentiſſimam, lethi genere, qualî peſſimus quiſq; rapi de terra ſvevit, iratus eliſit. (*s s s*) Eſtq; conjectura, *Ieroboami* mores, ac *biblicum* loquendi morem, profundiùs penetrantium Auctorum; obitu repentinô violentóq;, *crudelium Spirituum* (*t t t*) aliquô fauces ejus obtorquente, vel flammâ, viſus humanos fugiente, ſceleſtum trucidante, periiſſe. (*u u u*) Regnavit autem *annos viginti duos*: pro quibus, peſſimè tranſactîs, quot annorum ſæculorúmq; *myriadas* ſit in cruciatibus expenſurus: quis, niſi ſola numerandi deſperatio, numeraverit; id eſt, *æquæva pœnis, Aeternitas?*

VI. AT enimvero, non omnis ideo, cum hoc *Impio*, ſtrata jacuit *Impietas*. Eam namq; Succeſſorum gnaviter erexit, ac prorogavit, ardor: cùm in eandem & ipſi *Gehennam* ſubſequi properarent *præcurſorem* ſuum; nec fere diſparibus, apud pleroſq;, violentæ manûs fatîs. Proximus igitur, uti ſanguine, ſic ſucceſſio-

Ruina Ieroboami.

ceſſione NADABUS; *Ieroboami* natu minor *filius*: cùm genitori deteſtabili, morum, Sacrorúmq; pravitate, nihil concederet; regni diuturnitate ceſſit, quod ultra *biennium* non produxit. Is, Gabbathónem (quæ *Gébbethon* quoque dicitur,) Tribui *Danis*, ac ſignatè *Levitis* olim aſſignatam urbem; cæterùm progreſſu temporum, à Philiſthæis occupatam, recuperare ſibi, Danitíſque ſuis, conatus eſt. Adversùs eam ergo copias univerſas eduxit: eámque, locatîs per ambitum caſtrîs, & admotîs machinîs, erectísq; turribus, ac munitionibus aggeribúsq; jactîs; ſummîs bellici roboris opibus oppugnabat. Sed hanc tamen, fruſtra denique, (quippe defendentibus illam vi maximâ Philiſthæîs) expugnare niſus; diuturnâ, conſtituit, obſidione circumcluſam, ad deditionem compellere. Verùm, his intentum curis regem, inſidiîs intercepit, & vitam ei pariter, ſpémq; capiendæ *Gebbethónis*, abrupit, *Abiæ* cujuſdam filius, cui *Baaſæ* (*xxx*) nomen; *Iſſacharites*. Hic, occupatô regnô, cujus ſedem ſoliúmq; *Therſæ* conſtituit; contentus eô non fuit, ut *Ephraimi* tribum, ac *Ieroboami* familiam, gubernaculîs, non niſi *viginti quatuor annorum* poſſeſſione deguſtatîs, de-

Ruina Ieroboami.

pelleret: ſed interfecit inſuper omnem *Iero-boamicæ* domûs poſteritatem, cognationem, ætatem, atque ſexum. (*yyy*) Ut adeò verè dici poſſet, quod præſagii ſui minîs *Abias*, Propheta *Silonites*, expreſſerat; *Ab omni ſordè ſtirpis Ieroboamicæ ſic repurgatum iri regnum Iſraëlis: ut videri poßit humus à Sterquilinio pura reddita; fimô, raſtrîs ac páſtinîs, erasô.* Belléque ſanè cum Iſraele videri potuiſſet actum, hac *Baaſæ* truculentiâ, quâ ſanctiſſimi Prophetæ vaticiniis ſuam fidem exſolverat: niſi, *ſterquiliniô* mox pari, priorum regum ſordibus, ipſe partem invidiæ detraxiſſet. Nam quos, quaſi per odium factorum, è medio ſuſtulit; hos factis ipſe ſuîs, imitatus eſt: ut proinde clariſſimum eſſet omnibus; eum, in *Ieroboami* ſanguinem, ac reliquias, graſſando; non *Deo*, ſed *ſibi*, ſtuduiſſe: *Tyrannicidámq;* factum, ut *Tyrannus* ipſe fieret. *Vitulos* enim *Ieroboamicos* & ipſe coluit; &, ut coli perſeverarent, auctor aliis impulſórq; fuit. *Aſam* deinde, Iudæorum Regem, &, quòd is urbes aliquot Ephraimææ tribûs occupâſſet: &, quòd *lucos*, ac *ſimulacrorum* adorationem, inter ſuos exſcindere cœpiſſet; Maachámque, matrem ſuam, Priapæo Pontificatu, regaliq; ſoliô, dejeciſſet; cultum

deni

Ruina Ieroboami.

denique veri Numinis ut plurimùm instaurâsset: bellô, tanquam *Deorum ultor*, appetiit. (*zzz*) Nec antè persequi, sê meliorem, armîs cessavit; quàm, vivere. Cui proinde, quò faceret ægriùs; & fœdere se *Benadádi*, Damasceni Syrorum regis, *Idolorum* cultoris, adstrinxit: &, occupatam repentè, *Rhamam*, Beniaminææ Sortis urbem, præsidiîs firmare, mœnibúsq; communire, cœpit: ne se, contra regnum *Israëlis* impunè commovere quisquam ex *Asæo* regnô posset, aut auderet. Idem, ne bellô tantùm, ac forìs, terribilem se, distringendô ferrô, redderet: domi quoque, mediáque pace, non *miles* magìs, aut *rex*, quàm *gladiator* fuit, & *carnifex*. *Jebúsum* enim, Hanánis filium, Dei legatum, eiusdémque jussu perditos sibi mores, ac simulacrorum aras, exprobrantem, interfecit. *Tanquam* videlicet, *vera scelerum objurgatio, posset objurgatoris morte, falsa mendáxq; reddi: desineréťq; pessimus quisque malus esse; si modò recti bonique monitores è medio sustulisset.* Sed nimirum, haud impunè crudelitatem tulit. Quantumvis enim bellô strenuus, &, præter *Iudæos* armîs hostilibus incursatos, *Philisthinorum* quoque finiũ (*Aaaa*) infestator: ex eo tamen, quo cædem innocen-

Ruina Ieroboami.

tis *Iehûſi* fecit, tempore; fœdere Syrorum éxcidit: Damaſcenos, adversùm ſe, Duces & copias, excivit: urbes ſuæ ditionis, Ahiónem, Danem, Abeldómum, captas direptásq; ſenſit: tractúmque terræ *Nephthalitidis* univerſum, ab ora Panéadis, ad viciniam uſque Galilæi maris, Syrîs expugnantibus, amiſit. Cœptas denique Rhamæ munitiones, ac propugnacula, tantæ molis ac moliminis, nec exigui faſtûs, & terroris, opera; deſerere fugâ turpî compulſus: cum *Aſa*, Jeroſolymorum rege, vitæ reliquæ pleramque partem, alternîs inferendîs, accipiendíſque cladibus, exegit; ad extremum autem, & *animam*. Hanc ille *Tartaro*, poſt actos in regno *viginti quatuor* annos, morte, quam *cruentiſſimam* meruiſſet, *ſiccâ* transſcripſit: cùm *corporis* eius exuvias *Therſa* tumulo condidiſſet. Vir, *bonis omnibus*, ac *Deo* cumprimis, (quod atrociſſimâ quavis nece funeſtius eſt) æternùm inviſus. At, quem inſontium cruorem Tyrannus pater *hauſit*, nec tamen *exſudavit*, egreſſu vitæ; filius, Tyranni ſucceſſor, nec ità multò poſt, *revomuit*. Is, *Ela* fuit: rex biennis, genitoríſque mores omnes, & in adorandis *Vitulis* impietatem, æmulatus; aliquantô tamen in *poculorum*, quàm *armorum*

Ruina Ieroboami.

rum, certamine, ſupra paternam conſuetudinem ſtrenuus; in epulis, quàm caſtris, frequentiorem ſe præſtabat. Nondum *plenum* erat *regni biennium* evolutum (id, quod & in cæteris *Iſraëlis* regibus obſervandum lectori veniet, exactiùs calculos poſituro: quibus Regibus *inchoati* principatûs *anni*, non rarò, pro *conſummatis* aſſignantur) &, auſpiciîs *Elæ*, regúmque ſuperiorum exemplô, *Gebbethónem* oppidum, adhuc à Philiſtinis detentum, Iſraeliticæ copiæ tentabant: ductoréque tunc *Ambri*, regis legatô, circumſidebant. Cùm, inter hæc, in convivio præfecti Therſenſis, *Arſæ*, temulentus, ac regni curarum oblitus, *Ela*, rebellione *Zambris* opprimitur, hominis factioſi, quique dimidiæ partis Equitum Dux fuerat à rege ſuo conſtitutus. Obtruncati regiam, & imperium, interfector, *lege, quam arma ſibi figunt*, invadit: *dierúmq; ſeptem* Rex eſt, qui totidem fortaſſis annorum *ſeptennia* ſibi deſtinârat. Intrà quod tamen, tam brevis Tyrannidis, ſpatium; ne nihil, poſt trucidatum regem ſuum, perſonâ ſuâ dignum ageret; Elææ, Baaſææq; Stirpis omnis, ac propinquitatis, lanium, & Carnificem, egit. Omnémque *Baaſæ*, non familiam modò ſanguinémque; ſed remotiores

Ruina Ieroboami.

etiam neceſſitudines, & affinitates, extinxit: ut, hac cædium properatione, planè, vel inſcius, præſagiſſe ſibi ſupremæ potentiæ brevitatem, videri poſſit; (*Viri* namque *Sanguinarii non dimidiant dies ſuos*): ac metuiſſe, ne paullò pòſt jugulandi tempus aut facultas nulla ſupereſſet; & ſuperèſſent tamen, qui jugulari mererentur, aut deberent. Sed videlicet, aut exſcindenda *Baaſæa* domus erat; aut mendax eſſe *Jebuſæum* vaticinium; quod *Baaſæ* poſteritati ſtragem, & excidium internecínum, denuntiârat: oraculíque pondus ipſiuſmet Prophetæ ſanguine cædéq; conſignârat. Is tunc *Sanguis*, è lege *talionis*, cum ſævis interfectoris ſui *Baaſæ* Manibus, diſceptabat: actore *Zambri*. Cæterùm patratîs, quorum cauſsâ *Septiduanus* hic *rex* à Numine dominari, graſſaríque, permiſſus erat: debitum ſceleribus ſuis exitum, & ipſe, celeriter ſibimet perſolvit. Nec enim, utì *Nadábus*, & *Ela*, qui Baaſam anteceſſerant, *alienas* exſpectavit, in perniciem ſuam, manus: ſed ipſe *ſui latro*, buſtuariúſque ſimùl *Elæ*, fuit: ne quando vel ad punctum animus, à furore perdendi pereundíve, conquieſceret. Id, hac ſerie fatorum, evénit. Qui *Gebbethonem* obſidebat Iſraëliticus, utì ſuperiùs

Ruina Ieroboami.

riùs dictum est, exercitus: compertâ simùl in castris *Elæ* cæde; simul, interfectoris collatâ cum *Ambri*, legato regiorum agminum, indignitate: concursu facto, clamoréque sublato, *Decem tribuum Regem* esse jussit *Ambrin*. Continuóque, ne vel exigui temporis morâ tyranni *Zambris* imperium inveterasceret, ipsóque diuturnitatis robore difficiliores ad evellendum radices ageret: relictîs & castrîs, & Gebbethóne, *Thersam* simùl omnes copiæ, sponte ductúve novi Regis, advolârunt. Circumsidetur *Thersa*, jam *Zambris Regia*: statímque, nisi suprema propugnatores tentent, *Ambris* futura. Nec desunt, qui pro *Zambri* propugnent. non animus illis, non vires, ac spes, hostis arcendi, labant. Et aderat *hortator*; qui *remunerator* esse posset, *Zambris*. Sed tanta fuit *Ambris*, & obsidentium, ad expugnandum, alacritas, & animorum ardor: ut ab obsessis ultrà sustineri non possent. Quibus *Zambris* animadversîs; *à seipso*, quàm ab *alio*, generosiùs (utì credebat) interiturus: abjectîs armîs, *ad desperationem, tanquam ad asylum*, hoc est, in regiam arcem, profugit. Hanc secum unâ, flammîs injectîs, facibúsque subditîs, exussit: *Sardanapali*, qui post hæc Assyriis imperavit, & plurium

Ruina Ieroboami.

plurium aliorum, *ſtultæ fortitudinis heroum*, in hoc ſui buſto, dux ac magiſter futurus. *Periit* autem, (ut Sacer Scriptor Cineribus eius inſcribit) *in peccatis ſuîs, quibus deliquerat coràm Deo: peccans ipſe, peccatiq; cauſſa factus* & futurus compluribus, adoratione Vitulorum Jeroboamicâ, ſi ſupervixiſſet. *Reliqua verò ſcelerum eius, & inſidiarum, quas Elæ tetendit, ac tyrannidis illius*, quam, pauculos intrà dies, Sæculo fortaſſe parem exercuit: *ſcripta ſunt in Annalibus Regum Iſraëlitarum* (qui tamen libri pridem interciderunt) ſed accuratiùs, in monimentis *libri magni memoriæ-DEI*; qui ſolus Codex intermori nunquam poteſt. Hic ergo, quem dixi, geſtorum ac vitæ *Zambris*, finis extitit; *Tyranni ſimplicis*, ſed, homine ſub uno, *gemini Tyrannicidæ*.

Poſt hujus autem interitum; tametſi Regem jam nuper in caſtris *Ambrin* exercitus, utì dictum eſt, univerſus, juſſiſſet: tamen, ut ſunt *mutabiles vulgi, tam bellò, quàm pace, voluntates*: diſciſſi factionibus Iſraëlitæ, pars altera, ſicut legerat, ſic retinebat, regem *Ambrin*. cæteri, *Thebnin* quendam (quem *Thamánum* Joſephus nominat) Ginéthi filium, proclamant. Futurum igitur erat, ut *tres* ſimùl, ſub *unum* idémque

que tempus, Chananæa terra, *reges Hebræos*, in cervicibus haberet: *Asam*, putà, *Judæa*: cæteræ tribus decem, *Ambrin*, ac *Thebnin*. Sed, cùm & validior copiîs, & bellô melior, *Ambræarum* partium esset exercitus: victa caussa *Thebnis* est, & oppressa. trucidatus ab adversario, subsessor regni, *Thebnis*, ac Joramus, frater eius: (*bbbb*) & *Ambris*, paucîs in diebus, interfectîs duobus, seu regibus, seu tyrannîs, imperium Israëlis solus, nullo jam interturbante, possidere pergit. *Sexenniò* porrò cùm *Thersæ* regnâsset; postea, regni sedem aliò transferre constituit. *Duobus* igitur *argenti talentîs* Hebraicis, hoc est, viginti quatuor millibus hodiernorum nummûm coronatorum, æstimationis Francicæ (*cccc*), montem sibi quendam, domini sui nomine *Semerónem* appellatum, comparavit. Is, in magnam editus altitudinem; post Sichimam, ad Aquilonem, in ipsis Ephraimitarum finibus, situs erat. Eum rex *Ambris*, prope totum (quod superiùs jam dicere cœperamus) ædificiîs occupatum, ac mœnibus; urbem effecit amplissimam, &, illîs in partibus, solis Jerosolymis, aut Antiochiæ Syrorum, dignitate, tam magnitudinis, quàm incolarum, cedentem. Illuc enim *sedem* tandem

Ruina Ieroboami.

imperii ſui tranſportavit *Ambris*: & à *Semeróne*, vetere montis domino, non urbem tantùm illam, ſed omnem, à Beniamini finibus, ad uſq; Galilææ principia, ditionem, *Samariam* nominavit. Quin & Iſraëlis univerſo, ſupra Decem Tribus, regno, vocabulum indè *Samaritico*, (ſicut Beniaminis ac Judæ, *Judaico*, ſeu *Jeroſolymitano*) factum eſt: & ad interitum uſque, permanſit. *(dddd)* Nec ex *regibus Iſraëliticis* quiſquam deinceps aliam, ac diverſam, habuit à *Samaria*, dominationis ſuæ curiam, aut domicilium: niſi, quòd *Jezraëlem* ſubinde, Manaſſææ partim, partim & Iſſacharææ Tribûs, urbem amœnam, æſtivorum aut vindemiæ cauſsâ, ſecederent. *Ambris* porrò Regnum, vitiô regentis, non ſolùm omni cultûs impietate, religionúmq; contemptu, per omnes principatûs eius annos, contaminatiſſimum fuit: ſed etiam cuncta regum antegreſſorum tempora, factáq; ſcelerata, longîs ſpatiîs anteceſſit. nec melius aliquid in eo fuit, quàm *annus* illius potentiæ *duodecimus*; idem, & dominandi finis, & vivendi, deteſtabili Regi factus. Etſi *ſanè vel Anni ſoli duodecim, oppreſſæ Pietati, pro Sæculo ſint: nemóq; proculcatæ Iacentiq; Iuſtitiæ, diutiùs regnet; quàm, qui peſſimè.*

xc. Ruina Ieroboami.

mè. Talis igitur, Ambris vixit: talis, & exſpiravit.

VII. Et nihilominus, non *Cadaver* magìs *patris*, quàm eiuſdem ſceleratè factorum *memoriam*, filius-ſucceſſor, *ſepelivit*: exſecrandô genitore, partibus propemodum infinitîs, exſecrandior: ideóq; ſuperior. Is, ACHABUS fuit; *Principum abominandorum omnium memorandum in paucis exemplar*; & *Iſraëliticorum* Annalium unicus Orbi *Nero*: niſi deterior eum *Romanus* ille, ſed multò poſteriùs, excepiſſet; monſtríſque vitiorum triumphâſſet. Superi boni! Crederemúſne, facta fuiſſe, tam dira, gentis ab illius homine; qui Moſen, qui *Prophetas*, qui minas ac mandata Numinis, audiſſet: niſi divina nos librorum monimenta ſub credendi neceſſitatem, quaſi ſub quoddam ſubſcriptionis jugum, mitterent? Non vacat, nec Operis hujus inſtituto primo deliberatum hęret; Omnium omnia, ſeu malè, ſeu bene, geſta, libris noſtrîs, diffusè complecti, vel exſequi. Sufficiat uniuſcuiuſque Ruinæ, malorum ſuorum, interitûſque, narratio, fidéſque compendiaria. Quo conſiliô proinde, *Regem* etiam *Achabum*, in immenſum alioquin exiturum, conſtrictîs breviariô narrationis ripîs,

pîs, & tanquam intrà *Summæ* cujuſdam alve-um, colligemus. ACHABUS igitur hic, de quo dicere nunc inſtitui; regnum *Samariticum* (ſic enim illud in poſterum nominare placet; poſtquam *Iſraëlitici* nomen uſu creberrimo prope jam detrivimus) morte patris vacuum nactus, & in divinis malè laceratum; regibus antecedentibus omnibus longiſſimè deterior: convenienter moribus ſuis illud adminiſtravit. *Vitulos*, uti priores Reges omnes, tanquam *Deos*, coluit. Adjecit, quod priores omiſerant, *Beli*, Sidoniorum *Herculis*, ac *Dei*, cultum, delubrum, aram, lucum, Sacerdotes, & Sacrificia. (*eeee*) Quóque *Regiæ ſedis* exemplô, regni cætera traheret; in *arce* regni, *Samariâ*, propoſuit adorandum hoc *Beli* ſimulacrum: &, ne multitudini deeſſet ad impietatem caput; adoravit ipſe primus. Conſortem autem, quin & *auctorem*, adorationis habuit, quam & thori ſociam; JEZABELEM, *Ethbáalis* (*ffff*) filiam: qui, Deæ quondam Aſtartês (*gggg*) ſacrificulus; cùm *Phelem*, regni Syriorum invaſorem, obtruncâſſet; regnum, & illud, & Sidoniorum, obtinuit: ac Socer eſt Achabi factus. Cùm autem *Jezabel*, & ut Sacerdote genita Veneris, & ut Tyri Sidoníſque civis (quibus

bus urbibus ambabus *Hercules* erat in veneratione) ſimulacrorum cultibus inſaniret: ac, præter hæc, audax, impudens, laſciva, viroſáque (*hhhh*); denique, *Saga veneficáq;* (*iiii*), potens eſſet verbîs, philtrîs, illecebris, ac Dæmonum quoque miniſteriô: facillimè concolorem ſibi reddidit, & obnoxium ad omnia, maritum. Hic igitur, & conjugi *mancipatu*, & omni ſcelerum impulſui; *Jezabéle* concitante, provolutus eſt in omne nefas (*kkkk*): *abominabilis*, divino Scriptore proclamante, *factus*: & impius, ſacrilegus, cruentus, ac ſanguinarius: denique, cujuſvis occultæ publicæque malitiæ, deteſtanda colluvies.

Et quamvis, divino munere, nec populo deeſſent, neque regi, *Prophetæ*; quippe, Dei juſſu, ſub éadem ipſa, tam perdita, tempora, ſubmiſſi *Samaritis*: tantùm tamen abfuit à mala mente corrigendâ rex: ut & Divinos viros illos, tum ipſe per ſe carceribus, plagîs, exiliîs, inſectaretur: tum *Jezabeli* trucidandos permitteret: & ipſe, quaſi *multitudine* vatum ſuorum Deum *provocaturus*, exiguo tempore *Beli-pſeudoprophetas* quadringentos, & quinquaginta; præter hos autem, & alios quadringentos, lucorum aris præfectos; *prophetis veris*, numerô

Ruina Ieroboami.

merô longè paucioribus, opponeret. Quod miri quidem nihil habet; *faciliùs*, *majoriq; copiâ*, *scoriam aut arenam inveniri colligique*, *quàm Aurum*: sed *Achabi* tamen, ac Iezabelis, insanissimum, in tot alendis *pestilentiæ magistris*, studium, ardorémque, declaravit insigniter. Neque tamen *sustentavit* tantummodo; sed &, utì commodè cum suis *habitarent*, effecit. Nam & ædificator alioquin erat; (si caussas exciperes) minimè sordidus; ac restrictus: quippe, qui tum *Basilicam* Herculi Tyrio magnificentissimam; tum & palatium voluptatibus suis, amœnissimum, eburneîs, ex omni parte, parietibus, & contabulationibus, ac pavimentîs, adornatum excitârit: *(llll)* &, præter hæc, *urbes*, in regni præsidium, munitissimas, neque paucas, exstruxerit. Sed, partam apud *suos*, hoc est, *Impios*, ædificationum laudem; apud *Superos*, & optimum quemq; mortalium, pravitate morum, homo *plusquam uxorius*, destruxit & evertit: publicúmque propterea Numinis, *& Eliæ*, sanctissimi vatis, Odium effectus: dirîs, immissu Dei, pœnis pleramque vitæ regníq; partem, est affectus: in societatem *castigationis* veniente ferè semper, & *populo*; qui, *regis* in gratiam, descenderat in socie-

Ruina Ieroboami.

ſocietatem *culpæ*. Primùm enim omnium, trium annorum, ac ſex menſium, aſſiduâ pertinaciq; ſiccitate laboratum eſt adeò, per omnes *Decem tribuum* terras, barbarorúmq;, finitimas Iſraëlitis, oras: ut capita quoque rivorum, venæq; fontium, exareſcerent. Unde ſitî faméq; mortales, ac jumẽta, (quippe, terrâ fruges & pabula negante,) conficiebantur. *Cœlum æneum*, ſubtractis imbribus, omníque rore; *ſolum* autem *ferreum*, jactatîs fruſtra ſeminibus, & incaſſum aratrô tractô, redditum erat. Quæ publica Phœniciæ terræ mala, tam latè ſterilitatis inductæ ſparsêre famam; ut apud Græcos etiam *Menander*, illius mentionem libris ſuis inſeruerit: (*mmmm*) dum *Ithóbalis*, Tyrii regis, annales caſus exſequitur. Fames igitur ingens regnum omne *Samariticum* exercebat: cùm, inter hæc, *vitiô deſperatæ nequitiæ*, (*quam inflictæ divinitus plagæ non ſanant, ſed exaſperant*) cruenta *Jezabel*, vel maximè, *Prophetas* ſcrutaretur ad gladium; & interficeret, quoſcunque latebræ cum fide non texiſſent. *Centum* enim ex illis, *Abdias*, regiæ domûs diſpenſator, vir pius ac bonus, in ſpeluncas diviſos, abdiderat: totóq; furoris regii tempore ſuîs impensîs ſuſtentârat. Quærebatur

tur autem & Elias Thesbites, *Prophetarum*, illius temporis, caput, ac rector; per omnes terra Chanaanitidis, ac Phœnicês, angulos, & confinia. Nec veritus est *Elias*, etiam ultrò se Regi sistere; supérq; multiplici Numinis irritatione, palàm objurgare: *Turbatoris-regni* convitium, quo rex eum exceperat, in eum ipsum regerendo. Præter hæc autem, idem vir divinus *Beli Tyrii Pseudoprophetas*, rogatu suo, voluntatéq; regis, ex omnibus Regni *Samaritic* delubris ac lucis, in Carmeli montis verticem accersivit. Illic eos, secum de *Vero Deo*, Belús ne tandem is, an priscus ille, seu Mosaicus, esset, certamen ausos ac disceptationẽ inire; sub sponsione flammæ, de cœlô super victimas alterutrius partis devocandæ: præsentibus *Achabô*, populôque, próscidit amarîs, sed verissimîs meritísque, dicteriîs. Eosdémque multitudinis quoque confessione, turpiter *in caussâ Religionis* victos confusósque, permissu regis (quia tanto populi consensui se vix, & incassum, oppositurus esset) monte detraxit &, ad Cisonis torrentis undas adductos, supe ipsas eius ripas trucidavit omnes. móxque quasi rectè ritéque gestæ rei testimoniô divinitus approbatus, omníque crimine displici-

tu-

Ruina Ieroboami.

turæ Deo crudelitatis abſolutus: pluviam ingentem, ex Occidentalis cœli *nubeculâ*, precibus evocavit: qua *ſeſqui-trium annorum* monſtroſam ariditatem, inundatione terrarum aliquantô prodigioſiore, correxit, ac compenſavit. Et nihilominus *Achabus*, aridâ terrâ ſiccior, ſterilibúsq; petrîs durior: nec evidentiſſimô bonæ cauſſæ, de cauſsâ malâ, triumphô; nec explanatione Veritatis clariſſimâ; neq; ſuper hoſtiam *Eliæ* cœleſti flam̃â; nec extemporalibus, miraculíq; pleniſſimîs, ex imbribus; aut *Eliæ* vatis, longè ſupra vulgus hominum eminentis, auctoritate, flexus, & emendatus: auxit inſuper obſtinatæ malitiæ vecordem conſtantiam. Reverſus enim (& hoc quidem, antecurſore, ſuccinctîs lumbîs, *Eliâ*) Jezraëlem in urbem, quo tunc in loco *Jezabel*, propheticæ concertationis exitum prçſtolans, æſtivabat: omnia, per ordinem, *Eliæ* geſta Reginæ; præ cæteris autem, invidioſiſſimè, *Beli* conciſos, ad Ciſonem amnem, *Sacerdotes*, recenſuit. Eâ rex narratione, furentem jam antehac, plus nimis, mulierem, tantò vehementiùs in *Eliam* incendit; quantò plures, eíq; chariores, Sacrificuli, *prope-nongenti*, (*nnnn*) fuerant; quàm aliquot, exiguô numerô, *Prophetæ*,

L. quos

Ruina Ieroboami.

quos antehac ipsa jugulârat. Fugiendum igitur & *Eliæ* fuit: quem *Jezabelis* minantis, eúmque, per emissarios suos, insequentis, metus, in *Pharanæam* usque solitudinem, ac montem *Orébum*, ejecit. Eo tempore, multò calamitosissimus *Samaritici* regni fuit status: non tam infelicitate pacis, ac belli, casuum; quàm eorum populorum promeritîs, atque culpâ. Jacebant altaria veri Numinis disjecta: reponebatur impius *Beli* cultus; ac, recentibus accersitîs Sacrificulîs, *Prophetarum*, sicubi reperirentur, reliquiæ delebantur. Populus, emendari nuper visus, in pristina mentis mala revolvebatur: *septingenti* soli (quod suprà memorabamus) de tot millibus, *Belo non supplicantes*, in officio fidéque remanserant; metu regum, *occulti magis*, quàm *publici*, Numinis adoratores. Ad alias igitur, ac novas, è renovatâ pravitate, *pœnas*, progredi coactus DEUS; è solitudine Sinæa remissum *Eliam*, immittit *Achabo*. Mandat, ut adversùs eum *Prophetam* inauguret *Elisæum*; ab aratro bobúsq; devocatum, terroríque quondam *Achabi* posteris futurum. Jubet insuper, designari jam tunc in antecessum & *inungi*, Syris Damascenis imperaturum, *Hazaëlem*, & Israëlitis *Jehúsem*.

Nam-

Ruina Ieroboami.

Namsæi filium: utrumque gravem, haud multò pòst, & *Samariæ* futurum, & paci: sed posteriorem, etiam excidio posteris *Achabæis*, ac *Jezabeli*. Nam id disertè Deus prænuntiârat. Quænam autem *potest esse pœna flagitiorum præsentior; quàm, ex ore Numinis, in futurum missæ, nec intercasuræ, minæ?* Quò tamen nihilominus resipiscendi spatium *Achabo* daretur, aut, si nollet esse melior, *inexcusabilior* eius postea *fieret Improbitas*: prospera Deus aliqua tristibus, (ut ferè solet) præmisit: uti, qui *Suppliciis* nollet, *indulgentiâ* redire vellet ad rectiorem mentem. *Benadadus*, Syriæ Damascenæ rex, imprimis opulentus, ac potens; *triginta duobus* secum ductîs, inferioris fastigii, *regibus*; Samaritarum urbem obsidione validâ, castrisque formidandis, urgebat. Intrà mœnia porrò, *cum Achabo*, non plures erant numerô; quàm, quot *cum Deo*, qui *Belo* genua non curvârant. Cum *Benadado* contrà, Syrus, & Phœnix, & Arabs, & finitimus Oriens, ac Boreas, universus. Mandatô nihilominus, opéque præsentissimâ, Numinis; cæterîs interim *Achabi* copiis, quasi per otium, spectantibus, *ducenti* non ampliùs, ac *triginta duo*, purpuratorum, ac Satraparum *Achabi*, pedissequi, concurrere Syrorum exer-

Ruina Ieroboami.

citibus auſi ſunt: ac prælii ſecundiſſimi prin-
cipium, & omen, dederunt: tantô ſpectan-
tium irritamentô; juſtîs ut confeſtim exerci-
tibus utrimque concertaretur. Nec id, ex in-
ſidiis, aut nocturni temporis, nebulæve, com-
pendiô; ſed clariſſimô lucis meridie, geſtum
eſt: accubante tunc epulis *Benadado*; ſúbqu
tentoriorum umbraculis, pocula cum colle-
gis regibus, miſcente: demersîs tantiſper vi
nô belli conſiliîs. Miles tamen Syrus, & au
xilia, nec ſui, nec virium ſuarum, obliti; cepe
rant arma: tantillíque cunei primum inſul
tum, pugnæ potiùs ludum, quàm pugnam ſe
riam, arbitrati; divini cujuſdam terroris in
cuſsâ vi, *formidinéq;*, tanquam *pánicâ*, repent
trepidantes, cæſi, fuſi, disjectíq; ſunt. Delet
copiæ Benadádi pedeſtres, maximam partem
profligatíque, quibus adhuc evadendi ſpa
tium, ac facultas, fuit. Equitatus Syrorum o
mnis, ac falcati currus, *Achabo* perſequent
conciſi. clades, ad ſummam, ingens, ac lacry
mabilis inflicta Syris. Rex ipſe *Benadadus*, cu
equitum circa ſe, delecto robore, vix elapſu
ægerriméque, beneficio pernicis fugæ, cæ
ſubtractus eſt. *Victor* igitur *Achabus*, in annu
illum; *nec melior tamen*, eâ victoriâ, factus; qui
p

Ruina Ieroboami.

pe, nihilô, quàm antè, minùs, uxoris ſuæ, malitiæque, perpetuum, ſed ſponte ſua, mancipium. Anno verò vertente, deterior etiam aliquantô, quaſi Seniô quodam corroboratæ nequitiæ, redditus: *victor hoſtium*, *Iracundiæ ſuæ ſervus eſt effectus.* Cùm enim denuò *Benadadus*, copiîs, multò, quàm antè, majoribus, adversùs *Achabum* inſtructus; ad *Aphécam*, Iſſacharææ Tribûs urbem in Eſdrelóniis campis, caſtra collocâſſet: ac ſeptimô, poſtquam adveniſſet, die, virium ſuarum planíque loci fiduciâ, prælium commiſiſſet; apparebat quidem, humano ſenſu rerum eventa conjectantibus, victorem *Syrum*, victum autem *Iſraëlem*, indè diſceſſurum. *Syrus* enim, immenſus erat, exercitus; qui, pæne *locuſtarum* inſtar, campum Eſdrelónis operiret. *Iſraëlitarum* autem acies, bipartita; rarîs, & extenuatîs ordinibus, *gemini* potiùs *capellarũ gregis* in paſcuis, quàm militaris multitudinis, in prælium accinctæ, ſpeciem imaginémque referebat. Certamine nihilominus initô; res Hebræa, perterrente debilitantéq; Syros Numine, ſuperior etiam tum fuit. Cæsáque Syrorum peditum, eo die, *centum millia* ſunt: hoc eſt, plures, quàm vel *interfectores*, eſſe, vel *gladii*, poſſent: niſi ſingu-

Ruina Ieroboami.

lis hostium decuriæ centuriæq; jugulandæ, (sæpe quoque ferrô non-suô) sub ictum offerrentur. *Viginti* præterea, *septêmq;*, *millia* virorum, Syriacæ cladis reliquiæ; cùm eos, trepidationis plena fuga conglomeratîs agminibus *Aphécæ* portis intulisset; intráque pomœrium urbis, secundùm mœnia, tenderent; altiorum virium impulsu corruente murô, sub eum ipsum fortè temporis articulum, oppressa ruinâ sunt, & elisa. *Benadadus* ipse, cum paucis, equô celerî, formidinéque *cervinâ*, longiùs ablatus; in latebras sese conjecit: inglorius, ac pavore vix sibi jam ipsi, nedum castris tuendis, præsens. Hac tantâ tâmq; memorabilî, rex *Achabus*, victoriâ, nihilo tamen melior effectus; cùm in mandatis accepisse à Deo, Prophetîs interpretibus; ut insistere Syriæ, jam secundùm victæ; cœptámque belli fortunam prosequeretur, ad hostium usque perniciem, & internecionem: non obtemperavit. *Clemens* enim *in crudeles*, & *crudelis in placidos*; paullò pòst, per legatos sibi supplicem factum, Syrorum regem, ne deliberatione quidem interpositâ, num id è sua suorúmque re futurum esset, confestim, non in *amicitiam* modò *fidémq;*, sed in *currum* quoque suum

Ruina Ieroboami.

ſuum,recepit. Increpitus autem eo nomine, Dei juſſu; diffictóque, tam vultûs, quàm ſermonis, habitu, provocatus, à Propheta quopiam, ad ſalutarem animi dolorem concipiendum; *Quòd virum morte dignum, è manibus dimiſiſſet: &, ea propter, vitam eius ſuccidaneam, pro vita regis Syrorum, victimam fore, populúmq; Samariticum pro populo Syro, ſupplicia luiturum:* obſtinatè pariter, & *frontem* obfirmavit, & *animum*; contemptísq; Dei minîs, furibundô ſecum fremitu *Prophetas*, & Oracula, deſpuens: rediit in Regiam, ac Samariam. ad Deum, ac meliora conſilia, non redivit. Poſteaquam ergo, nihil illi, cum ullo Bono, commercii miſcere, deſtinatum fuit: relictus, à Numine, fuit, Unis ac ſolis mortalium omnium peſſimis, deterrimíſque; SIBIMETIPSI nempe, ſuæq; JEZABELI. Suîs igitur, uxoriíſq; libidinibus, ac vitiîs; ab eo tempore, provolutus *Achabus* eſt, ad conſummatam Impietatis omnis, Tyrannidíſque, malitiam. *Nabóthum* enim, *Jezraëlitam*, ordiníſque primi civem (*oooo*); *Jezabele*, non penitùs inſciô ſe, falſum crimen in eum, & accuſatorem, ac teſtes, ſuſcitante; lapidibus, unà cum *filiis* (*pppp*), obrui, latâ capitis in eos ſententiâ, permiſit. *Cauſſa cædis in-*

 iquiſ-

Ruina Ieroboami.

iquiſſimæ, *non alia fuit*; *quàm*, *quæ ſæpe Principibus injuſtis eſſe ſolet*: *avaræ poſtulationis repulſa*: putà, quòd *vineam*, in plantarium, olerúmque ſeminarium, expetitam ab rege, *Nabóthus*, hæreditatis avitæ *religioſa* quadam *reverentiâ*, vendere Principi *profano*, Belíque cultori, detrectâſſet. Eâ cauſsâ, Rex eum, & interfici, penſi non habuit: & interfectô, lætatus eſt. Quod adeò graviter *Deus* accepit: ut *Achabo*, poſt inſontium interitum, ad occupandam *vineam* properanti, *Prophetarum omnium acerrimum*, *Eliam*, immiſerit; non expoſtulandi tantùm exagitandíque, pro meritis; ſed etiam *minarum*, cauſsâ: quas in eum, ac *Jezabelem*, & *Achabæam* domum univerſam, atrociſſimas fulminavit; *cædem*, *pro cæde*; *cruorem*, *pro cruore*; *canes*, *Achabi Jezabeliſque ſanguinem lincturos*, *pro Canibus*, *qui Nabóthi ſanguinem linxiſsent*, è talionis lege *promittens*. Adjecit his Elias; *Jeroboami Baaſæq́ regum*, *interitum*, *ac poſteritatis eorum exſtirpationem*: *quorum regum*, *quia ſectatus eſſet*, *ac verò ſuperâſſet etiam*, *improbitatis exempla*: *ſectaturum pariter*, *ac ſuperaturum eſſe*, *pœnas*; *utpote*, *non Regem*, *ſed Malitiæ-Servum*, *Achabum*. Quibus aliiſque talibus, *Eliæ* (ſicut hic ardens erat) incenſiſſimis ad corrigendum

dum verbîs, *confusus* tunc quidem, vehementérq; *pudefactus*, rex impius est: quòd tum, non armigeri solùm, assuetúsq; regibus comitatus cæterus, præsentes essent; sed etiam unà sederent in curru *Jebúses*, ac *Badázerus*, Achabæorum Ducum primi, quibus hæc *Eliæ* verba, multos deinceps in annos, memoriter inhæserunt. *(qqqq)* Cæterùm, *Achabus* quidem, impræsentiarum dolore mentis, qualiquali, tactus; resipiscentis officium, ac partes, promisit magìs, & depinxit; quàm cum fide præstitit, aut implevit. Mœrorem namque declaravit animi, facta sua detestantis: discissîs, Hebręô dolendi modô, vestimentîs, ac purpurâ regalî; cute nudâ, cilicinis tunicis, ac setosis thoracibus, afflictâ: corporéq; jejuniîs maceratô; somnos denique, non in linteis, mollibúsve stragulîs, sed, asperô substratô saccô, capiendo noctibus; interdiu verò, fronte cernuâ, dejectáque prorsum cervice, circumambulando. Quibus, aliísque talibus, animi *Pœnitentis* signis, captus *Deus*; minarum ei, per *Eliam* intentatarum, gratiam eousque fecit: utì promiserit; *earum plenam tempestatem, non se statim in ipsius Achabi caput, sed in alicujus filiorum ejus, olim effusurum.* Nec potuit

Ruina Ieroboami.

tuit tamen, vel ſic quoque miſer *Achabus*, utì cœpiſſe viſus erat, animi modeſtiam ad metas uſque perducere: ſed, *qui mos eſt hominum, ad Scelus omne proſtitutorum*; *occaſione raptâ, relapſus ad ingenium eſt.* Pòſt paullò namque, nondum annuô revolutô ſpatiô; *Ramotham*, Galaaditidis regionis tranſamnanam urbem, arcémque permunitam, à Syris (qui tum eam, bellô captam, inſidebant) bellô recepturus: omnem, quem collegerat militem, *Joſaphatò*, Judææ rege, coràm, expeditionis utpote ſociô, *Samariam* contraxit: contractúmque, recenſuit. Auſpicium autem capturus futuri ſucceſsûs; eódem univerſos evocârat, & *Belæos* Sacerdotes, & *Vitulorum* Pſeudoprophetas: ad numerum ferè *quadringentorum.* Quâ tot nebulonum copiâ, quis non miretur; tam celeriter, deletam nuper viperinam progeniem, in tantam potuiſſe turbam reſurgere? Sed nempe, citiſſimè mures, ſcarabæi ſtercorarii, quódque præterea taliū immunditiarum eſt, renaſcendo denſatur. Eos igitur *Achabus*, ſuper expeditionis exitu, conſulens: exultabat mendaciſſimîs illorum, & ad ſolam aſſentationem compoſitîs, de felici ſucceſſu, vaticiniîs. *Michæa* contrà, Jemlæ fi-

læ,filio,veri Numinis veridico Vati; quòd infausta cuncta prædiceret,ipsíque Regi malum denuntiaret,infensus: eum in custodiam, & extrema famis mala, compegit: *perinde,quasi tantô Deum habiturus esset erga se meliorem;quătô semet ipse deteriorem in dies exhiberet: ac, libertate pedum, & non potiùs Oris, vaticiniorum veritas constaret.* Et *Michæas* quidem in catenis erat: *Achabus* autem,ac Josaphatus,in armis, & oppugnatione Ramóthæ; cum suis uterque copiis, atque castrîs. Dictu mirum! Syrorum omnî studiô viribúsque, *Josaphatus* impetebatur; quippe, dolosô regis Israëlitæ consiliô, regiîs armîs ac vestibus insignis.non impetebatur rex *Achabus*;ut,qui,sepositîs tantisper insignibus regiîs,privatæ sortis militem, aut,si multum, centurionem, habitu mentitô profiteretur. Et tamen,qui gladiis ac missilibus omnium, letho destinabatur, *Josaphatus*; evasit incolumis; clamore, (quo Dei poposcerat accursum) & *Innocentiâ* suâ,*quasi Scutô, protectus*. Qui verò minimè gentium vel quærebatur,vel agnosci saltem poterat, *rex Samariticus*; in tot gentium agmine colluvionéq; militari, repertus ad victimam solus fuit: à *terræ* (nescio, quo) *filiô*, directâ prorsus in in-

certum

Ruina Ieroboami.

certum ſagittâ , ſed, Numinis ultrice dextrâ regente, tactus, percuſſus, &, *pulmones inter ac ſtomachum*, deſperatô vulnere trajectus eſt in curru. Quo fatô ſuô, Publiani dicti veritatem rex implevit, de Caſu Fortunáque pronuntiantis, quod de Vindice Deo debuerat; *Quem ſæpe Caſus prætererit; tandem invenire.* Jamque Diei veſper erat: & *Achabus*, exſpirans è vulnere, victoriam Syris, animam Inferis, corpus Jezabeli ſuæ, Samariæque, reddidit: Sanguinem denique venaticis ſuis *Canibus*; qui, lotum in piſcina lethalem *currum*, & *habenas*, cruore contaminatas, in ripa ſpeculantes: rorem purpureum, undis ſupernatantem, avidis lambentes roſtrîs, ac linguis, abliguriverunt. Dignum & iſtud erat *impudentibus* eius factis ſupplicium: ut *animalis, omnium obſcœniſſimi*, ſi non *Cœna* de *Cadavere* (nam hoc Samaria ſepelierat) ſaltem *Promulſis*, de tabo cruoris ſui, fieret. Hunc nempe Canibus *hauſtum* (ne fortè bibere dubitarent,) *Eliæ* vaticinia *propinârant*. Regnavit autem Achabus annos viginti duos.

VIII. *Achabi* porrò regnum, jam antehac gubernaculorum aliquamdiu conſors, & collega, filius excepit, *Ochozias*. *Hujus Opera*, ſicut

Ruina Ieroboami.

ſicut & parentum, erga Deum (utì divinus hiſtoricus loquitur) *impietate fuêre pleniſſima:* mores,& ſuperſtitiones,maternum ad exemplum compoſitæ. Nam & ipſe, præter *Vitulos*, Jezabelis etiam *Herculem* adorabat. nec aliquid in eo deſideratum eſt *Achabæum*; præter gubernationis ac vitæ *diuturnitatem*: quâ genitori multùm ceſſit. *Biennis* enim tantummodo *rex*,& idipſum quidem, parte poteſtatis pleráq; cum patre divisâ,fuit: *(rrrr)* neque diu genitori ſuperſtes. Gravibus autem Deus eum calamitatibus immiſsîs, conatus eſt ad officium (etſi nullo ſucceſſu) reducere. Nam, eius permiſſu, confeſtim à clade Ramothæâ, patríſque morte, *Meſa*, rex Moabites, tributorum annalium obſequiô ruptô, detrectavit, *Ochoziæ* péndere centum agnorum, ac totidem arietum, millia, cum eorum vellere. Quæ profeſſio fuit,certiſſimæ Moabitarum, à regibus Iſraêlis, defectionis. Deinde, *ne meliùs illi marî, quàm terrâ, res ſuæ fluerent*: claſſis *aurifera*,quam,priſcô Salomonis exemplô,junctîs cum *Joſaphato* ſumptibus,& apparatu, miſſurus in *Sómatram*, ac *Tapróbanam*, Indici maris Inſulas, erat; in ipſo Sinûs Arabici portu,cui nomen antiquitus *Aſiongá-*

berê

Ruina Ieroboami.

beri fuit, tempestate fluctibúsq; disjecta, subsedit. Ac, ne reparatione quidem navium, sarcire dispendium potuit: quippe, *Josaphatô* (cujus ab opibus eatenus rerum *Ochoziæ* pendebant opes) navigationis omnem deinceps societatem, quasi Cœlo displicentem, abnuente. Sed nec hîc quidem malorum *Ochoziæ* finis fuit: quando, pòst paullò, gravissimum, eúmq; lethiferum, in morbum est implicitus; ex eo, quem dicam, casu. Chanaanitidis, & Orientis ferè totius, non, ut apud Europæos plerosque, declivia, sed plana sunt, ac sub dio constituta, tecta. *Solaria* vocamus Dum igitur die quodam, æger animi rex, & ob ruptum à Moabitis obsequium, & propter amissam tam classem, quàm *Iosaphati* cōcordiam, per regiæ solarium inambulat: improvidô gradu fenestram pavimenti pressit, per cujus tigilla *cancellata* lumen desuper, ac dies, in subjectam solario cœnationem immittebantur. Hujus igitur fenestræ, quam dixi, decussatim inter se connexîs ligni segmentîs compactæ, jam alioquin antea fragiles *maculæ*, superstantis *Ochoziæ* ponderoso corpore diffractæ; secum pariter, unâ ruinâ, detraxêre *regem*, in constratum marmore cœnaculum; fractis-

fractísq; cruribus, & afflictô graviter capite, semianimem reliquêre quoad is, labentis ad clamorem, casûsq; strepitum, concursu factô ministrorum, erectus, in cubile relatus est. Non desunt autem, quibus placeat; *Ochoziam*, non pavimento fenestrato, sed *cancellatæ* potiùs *coronæ*, seu *septo* solarii, pondere corporis incumbentem incautiùs, de cœnaculi tecto, cedentibus oneri cancellîs, in hortum usque, vel triclinio subjectum impluvium, decidisse. (*ssss*) Sed in hac re, *veritatis* potiùs (quam Deus, & rex lapsus, nôrunt) quâm nostrum, aut *conjecturæ nostræ*, judicium esto. *Cecidisse* regem, & *hinc ægrotâsse*; certum, extráque controversiam, est. Cùm autem admodum tardè curatio, cúmq; medentium haud obscurâ diffidentiâ, procedere videretur: *Ochozias*, matris suæ *pseudoprophetîs*, ceu mendacissimîs; & *veri Dei vatibus*, utpote dira semper *Achabææ* stirpi denuntiare solitis, eo tempore prætermissîs; sciscitatum, de valetudinis eventu, misit *Accarónem* usque, Philisthinorum urbem: in qua *Beelzebúlis*, Dæmonis, *Muscarum Domini*, tunc temporis oraculum, inprimis celebre ferebatur. Usque adeò nempe malîs correctus *Ochozias* non erat: ut etiam in pe-

Ruina Ieroboami.

in pejora quotidie prolaberetur. Sed legatos, *Elias*, missu Numinis interceptos, ad regem remisit; cum exprobratione vehementî magicæ consultationis, & opis, à Tartaro postulatæ: cùm *Israëli* tamen, nec Deus suus, nec sua remedia, deessent. Jussit denique, propter hoc ipsum facinus, de valetudine recuperandâ, sine dubitatione desperare. Nec absterritus est à responsi constantiâ vir divinus: quanquam *tertiùm* ablegatîs adversùm se *semicenturionum* fortissimîs; quorum singulì *quinquagenos* secum imperterritos adduxerant milites, ad se comprehendendum. sed, posteaquam eorum alterum, & item alterum, cum manipulis suis, ad eius preces, flamma cœlestis exussisset; tertióq; (*tttt*) cum suis, vitæ gratiam orantî, pœnam remisisset: ad *Ochoziam* decumbentem intrepidus accessit ipse, quæq; reprehenderat *absens*, in eo, reprehendit etiam *in præsentia*; denuntiationem mortis iteravit: regémq;, ne manus auderet iniicere, perterritum; paullò pòst *reliquit*, vitâ functum: ac *luxit*, utì *morte sempiternâ* prostratum. *Obierat* enim (utì tales solent) *qualis vixerat*: hoc est, *alter Pater*; in hôc ei tamen dissimilis, quòd *Impietatis*, ex se, non reliquit *hære-*

Ruina Ieroboami.

hæredem: prole masculâ destitutus. Reliquit autem, *germanum*: ex eo, vel soló, satis sibi *geminum*; quòd *eódem uterô* satúq; cretus erat. *Jezabélis*, & *Achabi*, filium, *Jorámum*. Is, fraterni regni successione confestim aditâ, *Samariam* habuit, (ut & pleriq; majorum eius) regni sedem. Displicuerunt autem, & hujus regis mores, ac sacra, *magno Deo*. Quanquam enim hic, initiô statim regni, suasu crebrísque cohortationibus, *Josaphati*, Judææ regis, *Herculis-Sidonii* statuas omnes, ex omni regno suo, quantumvis acriter obsistente sibi *matre*, proscripsisset, &, quantum virium suarum fuit, fanorum dejectionibus exterminâsset: eâdem tamen adhuc impietate, versutiáque, qua Simulacra *Béthelis*, ac *Danis*, Ieroboamus primùm excogitârat, cúmque successoribus suîs coluerat; adorabat & ipse *Vitulos aurô fusos*. Cùm autem, utì suprà memorabamus, *Mesa*, rex Moabitarum, stipendiarium nuper jugum exuisset; idque, propter *Ochoziæ* breve, morbísque magis, quàm apparatu bellorum, occupatum regnum, inultum eousque tulisset: *Joramus, ne, contumaciâ rebellionis, hostis sensim inveterascens, processu temporis evaderet incurabilior*; copias, adversùs eum, ex

Ruina Ieroboami.

omni regno *Samaritico* contrahere, sub ipsum statim supremæ potestatis aditum, instituit Impetravit autem, sub sponsione, reducend paullatim veteris Dei cultûs, *Iosaphatum* etiam, *expeditionis socium*; &, illius auctoritat mandatóque, *stipendiarium eius, Idumææ regem* (*uuuu*). Erat verò tribus his regibus ac toti dem exercitibus, iter in Moabitidem; non, qu brevissimus, ad Galgala, Iordanis trajectus, & ad rebelles transitus, futurus erat: sed, qu tectiùs fallerent, & hostibus improvisiores su perinciderent; per arida, desertáq; cultori bus, *Idumææ* loca, *dierum septem* ambagibus sic, ut Asphaltitæ lacûs *linguam*, (quam vo cant.) ad Austri plagas excurrentem, long flexu circumirent. Quo tempore, locóque cùm vel ductorum inscitiâ fraudéve, vel *Re gum* (*ut homines & ipsi sunt*) incogitantiâ, ne que fontanæ, fluvialésque, neque cœleste aut utribus apportatæ, contra sitim, aqu præstò fatigatis essent: *Elisæi* vatis, quem su per hoc consuluerant, jussu, plurimæ totô fi cati torrentis alveô fossæ factæ sunt. postera æq; lucis aurorâ sub ipsum Sacrificii tem pt, allapsis aliunde, per ingens prodigium undis repletæ; pariter, & militem, & jumen ta

ta, refecerunt. Hoc idem, & ſitis eis remedium, & reportandæ de Moabitis victoriæ, quam Regibus *Eliſæus* promiſerat, pignus fuit. Quod ipſum tamen, tam grande beneficium, *Joſaphato* regi ſoli, propter excellentem eius, erga res divinas, affectum, ac ſtudium; non autem *Idumæo*, quippe ſimulacrorum cultori, multóq; minimè *Ioramo*, Vitulorum adoratori, tributum, ab *Eliſæo* Numinéque, fuit. *Ioramum* enim, niſi *Ioſaphati* præſentia ſibi repulſæ verecundiam injeciſſet, profeſſus eſt vates; *Se nec attenturum quidem fuiſſe, quærentem oracula: neque neceſſitudinum illius ullam fore rationem habiturum*: ídque, tum ipſius morum, tum etiam *Achabi* patris, ac matris *Iezabélis*, exſecratione. Regis igitur *Ioſaphati* comitatu; non autem ullo ſuô promeritô (*tanti refert nonnunquam, Cum bonis, ſaltem eſſe; tametſi bonus ipſe non ſis*) quod illa tunc expeditione quæſierat, *Ioramus* obtinuit. Id autem evénit, hac, quod mirandum eſt, occaſione. Rex Moabites, cognitâ, per exploratores, & ex agreſtium fugâ, *trium adversus ſe Regum, & exercituum*, expeditione: regni ſui militarem pubem omnem ſub ſigna convocârat: & ad Moabitidis terræ fines Auſtrales,

collocârat. Ibi *Zaréthus* erat,*torrens*; qui,quo-
ties *aquosus* est, per sui nominis *vallem*, in la-
cum *Asphaltiten*, (quem *Mare-Mortuum* appel-
lant) effunditur. Is ipse *torrens* erat,(utì con-
jectura terræ mensorum, satìs explorata, de-
prehendit. quem prodigiosîs, *ex Elisæi* vatici-
nio,repletum undîs, Deus alveô solitô fluen-
tem effecerat. (*xxxx*) Eius autem ipsius die
pridianam sub vesperam,quo die scatere tor-
rens inceperat, *Moabitæ*, secundùm ripas, ali-
quantò supra torrentis ostium, in valle *Zare-
thæâ* castra locaverant : hostem manè poste-
rô,vel excepturi, vel quæsituri. Iámque po-
sterus, in hanc spem à barbaris interpositi
noctis quiete, dies exortus erat: *radiiq;* Soli
matutini, qui multum adhuc *Auroræ* retine-
bant, *colore* (sicut solent) *semipurpureô* tincti
torrentis undas, in *sanguinis* speciem tinge-
bant: sic, ut crispati tumescentésq; Favoni
reflatu, fluctus adversi *subcruentùm* renide-
rent. An potiùs (ut illius terræ,multîs in lo-
cis,*rubicundum* esse sabulum glebáque solet
alvei solum *subruffum*, ad tremulam defluen-
tis aquæ superficiem repercusô sui fulgore
tincturam *sanguinis* referebat? An deniqu
Deus ipse Moabitis, populi sui vetustissimi
hosti

Ruina Ieroboami.

hoſtibus, id oculorum objecit ludibrium: ut, videre ſe, crederent, quod tale revera non erat? (yyyy) Quidquid autem eſſet, quod illis *rubeſcebat*: ſuſpicari conclamaréq; Moabitæ non dubitârunt; *Commiſſi prælii, largéq; fuſi ſanguinis, pignus & indicem, cruentas illas aquas eſſe.* Nempe, *Digladiatos inter ſe tres hoſtiles exercitus, extra dubium videri. Neque mirandum id eſſe: cùm regi Ioſaphato, nonniſi coactum commilitium, Rex Idumæus, (quippe tributorum jugô preſſus) præſtaret: neque Ioramo rex Iudæus, utpote religionum diſcordium tenaci, ſatis cohæreret. Exercitum præterea tergeminum, ac tot millium, per arida, cultúq; deſtituta, loca, famem inter ſitimq; tractum; quid tandem, niſi detrectâſſe regum, ſeu ſuorum, ſeu longè magìs, alienorum, imperium? & idcirco, motâ caſtrîs totîs ſeditione, mutuîs in ſe cædibus, eſſe debacchatos? Et hunc eſſe ſtragis internecinæ, ſine dubio, Cruorem: qui torrentem, paullò priùs humore deſtitutum, repentè fecerit undoſum.* Hanc illi ſic habere ſe rem, decernunt: vitiô mortaliũ uſitatiſſimô, quo, *Quidquid, ut fiat, optamus, id accidiſſe, facillimè credimus.* Conclamant: *Victoriam in manibus, etiam ſiccîs & otiosîs, eſſe: supereſſe, victoriæ fructum; Hoſtium invadere trina caſtra:*

veſtes, aurum, arma, ſpolia, divitiáſq; trium regnorum, diripere. Signa proinde convellunt: ordinibúsque ſolutîs, jam non ad pugnam, ſed ad prædam, ſecundùm adverſi torrentis ripas, feſtinant: tandémque, quà ſe vallis in planitiem diducit, in hoſtes, Moabitæ, caſtráq; regum, non (utì ſibi perſuaſerant) *irruunt*, ſed *incidunt: inopinantes*, in eos, qui ſteterant *ad hoc ipſum intenti*: palantes, & *incompoſitis* cuneis, in *præparatiſſimos* ad pugnam. Coortîs igitur è veſtigio, quos deletos jacentéſq; Moabitæ crediderant, tribus exercitibus, cum regibus totidem, certaminis incenſoribus; cæduntur undique barbari : víxque visô ſatìs, nedum impulsô retuſóq; contrariîs ictibus, hoſte, vertuntur in fugam; quacunque cædendi laſſata rabies evadendi viam eis indulget. Continuóque victores, in tergis paventium hærentes; Moabitida regionem irrumpunt. oppida, minùs firma, capiunt, deprædantur, inflammant: agros item, ſegetes, hortos, ipſóſq; fontes, ac ciſternas, omni vaſtitate corrumpunt, & exſcindunt. Denique belli totius molem, in regiam vertunt urbem; cui, quòd lateritiîs eſſet murîs, *Chareſéthæ* nomen fuit. (*xzzz*) Hanc, cûm, vi ſum-

..una Ruina Ieroboami.

ſummâ *Ioramus* oppugnatam, irrumpere tentaret; jámque non procùl expugnatione res eſſet. priùs, quàm ſupremus fortunis Moabitarum interitus ſuperveniret; *Mésa* rex (qui *Charoséthám*, è proxima fugâ, velut in arcem inexpugnabilem, ſeſe receperat) ultima ſtatuit experiri. Videbat autem, eâ, qua *Rex Idumæus* curabat, parte, lentiùs, ac laxioribus ordinibus, oppugnationis ardorem procedere. *Septingentorum* ergo, viribus & audaciâ præcellentium, militum delectu ſecum educto; cœpit, Idumæorum in caſtra conari, proturbatis ſtationibus, irrumpere. Sed ea res, partim fortiſſimè reſiſtentibus, ac de caſtrorum vallo tela denſa jacientibus, adverſariîs; partim, ad clamorem bellantium, Joſaphati Joramíq; copiîs opis cauſsâ concurſantibus, fruſtra ſuſcepta; *Meſam*, amiſsîs ſuorum promptiſſimîs, in urbem ità rejecit; ut ſatis habuerit, hoſti relinquere *victoriæ* decus: animâmq; nudam, velut in gratiæ beneficiíque locô, ſibi retinere. Poſt quæ *Meſa*, rerum omnium deſperatione fatigatus; facinus admiſit, omnium longè facinorum immaniſſimũ. Nam, ſeu Deos ſibi ſuos propitios redditurus, ac præ cæteris *Chamóſum*, cui, Sacrificia fieri,

Ruina Ieroboami.

fieri, puerilium corporum immolatione, ritus Moabitis erat: ſeu pariter, apud Orientis circumjectos populos, invidiam odiúmque ſuſcitaturus tribus regibus, ſuis hoſtibus; utpote, qui, circumſeſſionis ſuæ pertinaciâ, ſe compuliſſent ad infandam parricidii neceſſitatẽ: die clarô, ſpectantibus *intus* illacrymantibúſque civibus, *foris* autem ſtupentibus hoſtibus, theatrum ferale conſtituit. Namque, victimæ more, vittâ velatum, & infulis evinctũ, filiorum natu maximum, ſucceſſioníque regiæ deſtinatum, produxit ipſe ſuâ manu, pater, in muros, ſupérq; ſumma turris, quam hoſtiles balliſtæ modò tectô nudaverant, tabulata. Diſtrictо deinde, fulguranteque ferrô, *Sacerdos idem, ac genitor, atque carnifex*, jugulavit eum: ſubjectiſq; flammîs, *hoſtiam* fecit, quem *hæredem* ſibi regni creaverat. Hujus ergo facinoris indignitate commoti graviter indignatiq;, Joſaphatus, & commilitones duo reges; ſimul & ſortis humanæ recordatione tacti, quæ poſſet, & auderet, etiam Reges ex apice ſupremæ poteſtatis, ad rerum & conſiliorum ſuorum incitas adigere: *noluerunt addere calamitatem, jam antè plus ſatìs afflicto*, Meſæ: nec in lapſum ulteriorem propelle-

Ruina Ieroboami.

pellere, ruentem. Quare solutâ protinus obsidione; regem miserum in regni sui ruderibus reliquerunt: ipsi, quà via proxima facillimáque patuerat, suas singuli terras repetiverunt. Hôc autem locô, non ignoro; Rabbino Salomone preeunte, nonnullos obsidionis *Charesethaæ*, totiúsq; regum expeditionis, finitæ, caussam aliter longè, quàm nos, retulisse. *Mesam* quippe, cum septingentis suis erumpentem in Idumæa castra, non modò strenuè gessisse rem; sed etiam regis Idumæi filium, patri successurum, per eandem certaminis opportunitatem, captum, secum in urbem Charesétham in catenis abduxisse. Captivi porrò patrem, Joramo regi graviter indignatum; quòd ejus caussâ filius suus libertate tunc excidisset, paullòq; pòst etiam vitâ fortassis exiturus esset: ab oppugnandô *Mesâ*, regúmque collegarum societate, non sine grandi mutuáq; trium exercituum exasperatione, recessisse. Post quæ, Josaphatum quoque Ioramúmque, finem obsidendi fecisse, ferunt. Nec tamen eo factô placatam obsessi regis iram, adversùs obsessores: sed eum, ultionis cupidum, cùm obesse Iudæo Samariticóque regibus non valeret; in Idumæum

Ruina Ieroboami.

effudiſſe furoris omnem æſtum: illius,quen
in catenis habebat, filium ſuprà murum im
molando. Quæ cuncta, figmentô magis
quàm veritate,niti;ſatis *Editionis biblicæ*,quan
Vulgatam dicimus,clariſſimus in contrarium
verborum contextus demonſtrat: ſatis item
abſurditas ipſa confictionis; *Immolatum eſ*
filium Idumæi, qui pro partibus Meſæ, cæterorum
mnium ingratiis, ſtare cœperit; ac non potiùs eu
patri continuò reſtitutum. Denique, cujuſnan
obſecro,rationis (præſertim, militaris) fueri
ab oppugnando barbaro rebellíq; rege, pr
uſquam filii regii cędem faceret,ceſſare? poſ
eáque cæde, manu *Meſæ*, perpetratâ, patr
duobúſq; regibus, ac tribus exercitibus,
ſpectantibus, non, ob hoc ipſum, illico n
vum ad obſidium urbis cruentæ reverti? *M*
ſámque, non jam,ut regem *deſertorem*, ſed
perditiſſimum *ſicarium*, ad uſque ſtirpes
radices exſcindere? *Regiorum enim Liberû*
ſanguis, nec vitulinus eſt, nec plebeius: ideóque, n
Sanguine trucidantis, inexpiabilis. Sed mitt
mus Rabbinorum *fabulas (Aaaaa)*: & ad *J*
ramum, narratione geſtorum illius incorr
ptiore,revertamur. Hic poſt hæc omnia,n
à *Ioſaphato* ſibi, nec à *Deo*, vel *Prophetis*, pr
ſtitan

Ruina Ieroboami.

ſtitam,in expeditione contra Moabitas, operam tanti fecit: ut, ſicuti *Beli* cultum, ſic & *Vitulorum* impias aras, proiiceret. Neque vel ſic tamen prætermiſit Indulgentia Divina, nefarium, ingratúmque prioribus, regem, novîs ad ſe beneficiîs allicere: miniſteriô potiſſimûm *Eliſæi.* Nam hic, & perterritum quondam *Joramum* ex eo, quòd ad ſe miſſus eſſet à Benadádo, Syrorum rege, *Naaman*, copiarum eius ſupremus ductor, *lepræ* depellendæ cauſsâ; curîs, ac novi belli metu, curatione *Naamánis*, expedivit: & poſtea nihilo-ſecius, ab eodem rege, non ſemel latrociniîs, appetitum, & inſidiîs, quas, locîs ancipitibus inſeſsîs, Syri *Joramo* tetenderant; incolumem eum præſtitit: inſidiarum detectô, vitaríque vel antecapi, juſsô locô. Nec minùs aliàs, miſſam adversùs ſeipſum equitum ac peditum, Syrorúmq; currilem, multitudinem; ex oppidi *Dothaimi* pomœriis, immiſsâ divinitus cæcitate, mediam in Iorami regiam, Samariæque forum, deduxit: trucidaríq; prohibitos, ac cibô quoque refectos; in Syriam inviolatos remiſit; ut oſtenderet Ioramo, *ſi Dei niteretur ope, non majus ei, regnóque, vivîs ab hoſtibus, quàm ab interfectîs, periculum* incubiturum. Sed

Sed & post ista, recrudescente Syrorum, adversùs Israëlitas, hostilitate; cùm *Benadádus*, cum omnibus suorum copiîs, Damascô profectus, Iordane transitô, tam diuturnâ *Samariam* obsidione premeret: ut, invalescente fame, *caput asininum* octogenîs siclîs argenteîs, (bbbbb) & *pars quarta diarii* (ccccc) *columbini-stercoris*, in usum vicémque salis divenditi, siclîs argenteîs quinîs, venirent; ut præterea mulieres suos liberos coquerent, & in alimentum sui verterent; réxque *Jorámus*, ob malorum omnium congeriem, cilicinis, ad placandum Deum, vestibus nudam cutem affligeret: ne tum quidem, aut *Deus* miseris, aut *Elisæus* Ioramo, quantumvis alia cuncta de se merito, defuerunt. Cùm enim rex *Elisæo* percussorem immisisset; eò, quòd, qui precibus suîs & famem posset, & obsidionem, depellere, neutram tamen, post tantum temporis, depulisset: ac mox ipse, cum Optimatum præcipuis, *Prophetæ* domum venisset; *Iracundiæ divinæ flagella jam ad desperationem tolerantiæ processisse*, questus: consolatus tamen virum asperum mitissimus *Propheta*, bonum animum habere, cum omnibus Samaritis, jussit; eò, quòd in diem mox posterum

rum, & famis esset, & obsidii, calamitas exspiratura. Nec fefellit. Nam proximâ statim, ab eo vaticiniô, nocte, Syrorum omnis exercitus, injecto divinâ vi pavore, consternatus; relictîs post se tentoriîs, impedimentîs, curribus, ac jumentîs, projectísq; passim armîs, & opibus, pernicî se fugâ proripuit: perq; tenebras ægrè repertô Iordanis transitu, Syriam, ac Damascum, repetivit. Tantúmq; fugiendi studium ardórq, fuit; utì, ne diluculô quidem sensim diem aperiēte, Syri respectarent, quid à tergo fieret. Imagine namque, vî quadam (utì diximus) altiore, sopitis eorum semisomnibúsq; capitibus, per nocturnam caliginem, impressâ; terribilíq; falcatorum curruum, & equestrium pedestriúmq; copiarum, stridore fremitúque, lymphatas barbarorum aures implente; fingebant illi, cervicibus suis imminere, Cypriorum *(ddddd)*, & Aegyptii regis, auxilia, nescio quæ, quámq; numerosa: regis (ut putabant) Samaritæ stipendiîs, conducta. *Nec minùs virium habuit, ad pavidos verè profligandos, suspicionis vanæ mendacium; quàm armata veritas, torvúmq; prælium, habuisset.* Accidit autem; ut in castra Syrorum, sub ejusdem illius noctis alteram ferè vigiliā, *Leprosi*

Quid enim (ut cætera vitiorum eius prætereeam) quid ei prodesse potuêre *Beli* Statuæ dejectæ: qui perstiterit interim, in supremum usque diem, in *Vitulis suis Divinitatis* honore prosequendis? *QVI delinquit in Vno; factus est Omnium Reus* (*bbbbb*). *Cadaver* igitur interfecti regis, projectum est in agrum supplicii *Nabothæi*; mandatô successoris: in *locum* autem *tormentorum* perennium, *Anima*. Finiit porrò *Joramus*, post regni *duodecim* expletos *annos*: in omni quidem Pacis ac belli fortunâ *varios*; in sola verò mentis pravitate, *semper sibi constantes*, & immotos.

IX. Excepit autem *Iorami* regnum IEHÚSES: qui, *Iosaphatô* genitus, Israëlitâ, privatæq; sortis virô, *Namsæum* habuit *avum*: (*iiiii*) à cujus etiam solius nomine, *Namséides* alicubi, patris mentione prætermissâ, cognominatus est. (*kkkkk*) Hic, è primis *Iorami*, regis Samaritici, Ducibus, & in regiam successionem jam olim, adhuc *Achabô* dominante, Numinis imperiô rescriptus: quo tempore *Ramótha* Galaaditica, ductu *Iorami*, jam secundùm oppugnabatur; inter strenuissimos etiam ipse suum regi studium, & industriam, approbârat. Rege verò sauciatô, Jezraëlémque

que curationis ergò deportatô : non recessit ipse tamen ab urbis oppugnatione ; quippe, copiis interea castrisque Regiis, Legati supremi nomine potestatéque, præesse jussus. Non abscessit autem, ne captâ quidem à se, ducibúsque, *Ramóthâ* ; quam jamjam intrârant, occupatámq; tenebant: intentus adhuc *arcis*, quam necdum Syri deseruerant, expugnationi. Dum autem plenæ victoriæ spei Duces assident: submissus ab *Elisæo* Vate, Dei mandatô, *Prophetarum* è *Collegio* minister quidam, ac discipulus *Prophetæ*; remotîs arbitrîs, in penetrali domûs prætoriæ, *Iebúsem*, fusô super caput illius oleô, pariter *& Regem* esse jubet, & totius *Achabææ* stirpis *Extinctorem*. Et *Regem* quidem eum, re mox in Duces militésq; vulgatâ, fausta totius exercitûs acclamatio, suffragiáque, fecerunt. *Achabææ* verò domûs *Exstirpatorem*, ipse se *Iehúses* exhibuit, intentissimum: hinc quidem, Imperiô summi Numinis; indè verò, Ducum, agminúmque cunctorum, adversùs *Joramum*, conjuratione fultus, & adjutus. Primum igitur omnium ejus operum, tam *suómet* regali solio collocando, quàm *alieno* subvertendo, fuit; compositîs *Ramóthæ* rebus, aliò curarum traductus animus.

Ruina Ieroboami.

Leprosi quatuor, rei gestæ penitùs ignari, su-
premáq; famis necessitudine subacti, trans
fugerent: ac, præter ea, quæ, festinationis stu-
diô, Syri fugientes reliquerant, atque proje-
cerant, in castris hostile nihil invenirent. Qu-
proinde re *Samariam*, primùm quidem a
iisdem illis perfugis renuntiatâ; mox deinde
per emissos exploratores equites, compert
firmatáque: castra Syrorum, & viæ, quibu
Iordanem repetierant, omni facultatum, &
annonæ, copiâ refertissimæ, deprehensæ spo-
liatæque sunt. Ad summam! Opes illinc e-
gestæ, raptæque, *Samariam* omnem postridie
commeatu pariter, ac divitiîs, ultra fidem o-
mnem humanam, ex sola de Syrîs prædâ re-
pleverunt. Ità, quod spoponderat *Elisæus*
pulsus hostis est; depulsa fames; *Samari*
granarium opulentum facta. Quibus ex o-
mnibus, magnopere *regis* apud animum, *Eli-
sæi* crevit auctoritas: ut &, de mirandis *Pro-
phetæ* gestîs disserentes, narrantésque, cupidis-
simis auribus attenderet: &, auscultation
benevolentiam eius, in illum, acuente; quæ-
cunque postularentur, auctoritate memoriâ-
ve sanctissimi *Vatis* interpositâ, nequaquam
gravatè largiretur. (*eeeee*) Neque tamen
hæc

hæc omnia profecêre quidquam; vel ad emendandum, *è fibris animi*, Joramum (quia *Deus, toties spretus, ac repulsus, invicem tandem aspernabatur rebellem, & abiiciebat*) vel evadere *Ruinam Salutis*, & præsentis potuit, & sempiternæ: quia *Deus, rex magnus*, & *cujus* improbi profaniq; *reges*, nō nisi *Ridiculi, sunt*, (*fffff*) impunè temereq; nunquā irridetur. (*ggggg*) Post aliquantum ergo temporis, extinctô jam hoste vetere, *Benadádô* Syro; dum adversùs regem Syriæ novum, *Hazaëlem*, ad *Ramóthbam*, Galaaditicam illam urbem ac munitionem, *Achabi* patris exemplô reductô, pugnam *Joramus* init: exemplô patris, filius ibidem sauciatur. Paullóq; pòst, dum, curandæ plagæ caussâ, *Iezraëlem* urbem, in qua Iorami mater interficiendum *Nabóthum* curârat, in aperto curru deportatur: à *Jehúse* (qui successor ei suffectus erat à Numine,) vulnere graviore, tale nihil exspectans, afficitur; in ipso corporis ad fugam reflexu, sagittâ trajectus, inter scapulas, ictu tam prodigiosô cuspidis incidentis: ut hæc, per cordis ipsius sinum mediū, antrorsum egrederetur. Quare, nullo temporis interposito punctô, cóncidit in quadriga *Joramus*; *æternúmq;* periit. Et quippeni? Quid

Leprosi quatuor, rei gestæ penitùs ignari, supremáq; famis necessitudine subacti, transfugerent: ac, præter ea, quæ, festinationis studiô, Syri fugientes reliquerant, atque projecerant, in castris hostile nihil invenirent. Quâ proinde re *Samariam*, primùm quidem ab iisdem illis perfugis renuntiatâ; mox deinde, per emissos exploratores equites, compertâ firmatáque: castra Syrorum, & viæ, quibus Iordanem repetierant, omni facultatum, & annonæ, copiâ refertissimæ, deprehensæ spoliatæque sunt. Ad summam! Opes illinc egestæ, raptæque, *Samariam* omnem postridie, commeatu pariter, ac divitiîs, ultra fidem omnem humanam, ex sola de Syrîs prædâ repleverunt. Ità, quod spoponderat *Elisæus*, pulsus hostis est; depulsa fames; *Samaria* granarium opulentum facta. Quibus ex omnibus, magnopere *regis* apud animum, *Elisæi* crevit auctoritas: ut &, de mirandis *Prophetæ* gestîs disserentes, narrantésque, cupidissimis auribus attenderet: &, auscultatione benevolentiam eius, in illum, acuente; quæcunque postularentur, auctoritate memoriáve sanctissimi *Vatis* interpositâ, nequaquam gravatè largiretur. (*eeeee*) Neque tamen hæc

hæc omnia profecêre quidquam; vel ad emendandum, *è fibris animi*, Joramum (quia *Deus, toties spretus, ac repulsus, invitem tandem aspernabatur rebellem, & abiiciebat*) vel evadere *Ruinam Salutis*, & præsentis potuit, & sempiternæ: quia *Deus, rex magnus, & cujus* improbi profaniq; *reges*, nō nisi *Ridiculi, sunt*, (*fffff*) impunè temereq; nunquā irridetur. (*ggggg*) Post aliquantum ergo temporis, extinctô jam hoste vetere, *Benadádô* Syro; dum adversùs regem Syriæ novum, *Hazaëlem*, ad *Ramóthbam*, Galaaditicam illam urbem ac munitionem, *Achabi* patris exemplô reductô, pugnam *Joramus* init: exemplô patris, filius ibidem sauciatur. Paullóq; pòst, dum, curandæ plagæ causâ, *Iezraëlem* urbem, in qua Iorami mater interficiendum *Nabóthum* curârat, in aperto curru deportatur: à *Jebúse* (qui successor ei suffectus erat à Numine,) vulnere graviore, tale nihil exspectans, afficitur; in ipso corporis ad fugam reflexu, sagittâ trajectus, inter scapulas, ictu tam prodigiosô cuspidis incidentis: ut hæc, per cordis ipsius sinum mediū, antrorsum egrederetur. Quare, nullo temporis interposito punctô, cóncidit in quadriga *Joramus*; *æternúmq;* periit. Et quippeni? Quid

Ruina Ieroboami.

Leprosi quatuor, rei gestæ penitùs ignari, fi
premáq; famis necessitudine subacti, tran
fugerent: ac, præter ea, quæ, festinationis stu
diô, Syri fugientes reliquerant, atque proje
cerant, in castris hostile nihil invenirent. Qu
proinde re *Samariam*, primùm quidem a
iisdem illis perfugis renuntiatâ; mox deinde
per emissos exploratores equites, compert
firmatáque: castra Syrorum, & viæ, quibu
Iordanem repetierant, omni facultatum, &
annonæ, copiâ refertissimæ, deprehensæ spo
liatæque sunt. Ad summam! Opes illinc e
gestæ, raptæque, *Samariam* omnem postridie
commeatu pariter, ac divitiîs, ultra fidem o
mnem humanam, ex sola de Syrîs prædâ re
pleverunt. Ità, quod spoponderat *Elisæus*
pulsus hostis est; depulsa fames; *Samari*
granarium opulentum facta. Quibus ex o
mnibus, magnopere *regis* apud animum, *Eli*
sæi crevit auctoritas: ut &, de mirandis *Pro*
phetæ gestîs differentes, narrantésque, cupidis
simis auribus attenderet: &, auscultatione
benevolentiam eius, in illum, acuente; quæ
cunque postularentur, auctoritate memoriâ
ve sanctissimi *Vatis* interpositâ, nequaquam
gravatè largiretur. (*eeeee*) Neque tamen
hæc

hæc omnia profecêre quidquam; vel ad emendandum, *è fibris animi*, Joramum (quia *Deus, toties spretus, ac repulsus, invicem tandem aspernabatur rebellem, & abiiciebat*) vel evadere *Ruinam Salutis*, & præsentis potuit, & sempiternæ: quia *Deus, rex magnus, & cujus* improbi profaniq; *reges*, nō nisi *Ridiculi, sunt*, (*fffff*) impunè temereq; nunquā irridetur. (*ggggg*) Post aliquantum ergo temporis, extinctô jam hoste vetere, *Benadádô* Syro; dum adversùs regem Syriæ novum, *Hazaëlem*, ad *Ramótham*, Galaaditicam illam urbem ac munitionem, *Achabi* patris exemplô reductô, pugnam *Joramus* init: exemplô patris, filius ibidem sauciatur. Paullóq; pòst, dum, curandæ plagæ caussâ, *Iezraëlem* urbem, in qua Iorami mater interficiendum *Nabóthum* curârat, in aperto curru deportatur: à *Jebúse* (qui successor ei suffectus erat à Numine,) vulnere graviore, tale nihil exspectans, afficitur; in ipso corporis ad fugam reflexu, sagittâ trajectus, inter scapulas, ictu tam prodigiosô cuspidis incidentis: ut hæc, per cordis ipsius sinum mediū, antrorsum egrederetur. Quare, nullo temporis interposito punctô, cōncidit in quadriga *Joramus*; *æternúmq;* periit. Et quippeni? Quid

Leprosi quatuor, rei gestæ penitùs ignari, supremáq; famis necessitudine subacti, transfugerent: ac, præter ea, quæ, festinationis studiô, Syri fugientes reliquerant, atque projecerant, in castris hostile nihil invenirent. Quâ proinde re *Samariam*, primùm quidem ab iisdem illis perfugis renuntiatâ; mox deinde, per emissos exploratores equites, compertâ firmatáque: castra Syrorum, & viæ, quibus Iordanem repetierant, omni facultatum, & annonæ, copiâ refertissimæ, deprehensæ spoliatæque sunt. Ad summam! Opes illinc egestæ, raptæque, *Samariam* omnem postridie, commeatu pariter, ac divitiîs, ultra fidem omnem humanam, ex sola de Syrîs prædâ repleverunt. Ità, quod spoponderat *Elisæus*, pulsus hostis est; depulsa fames; *Samaria* granarium opulentum facta. Quibus ex omnibus, magnopere *regis* apud animum, *Elisæi* crevit auctoritas: ut &, de mirandis *Prophetæ* gestîs disserentes, narrantésque, cupidissimis auribus attenderet: &, auscultatione benevolentiam eius, in illum, acuente; quæcunque postularentur, auctoritate memoriâve sanctissimi *Vatis* interpositâ, nequaquam gravatè largiretur. (*eeeee*) Neque tamen hæc

hæc omnia profecêre quidquam; vel ad emendandum *è fibris animi*, Joramum (quia *Deus, toties spretus, ac repulsus, invicem tandem aspernabatur rebellem, & abiiciebat*) vel evadere *Ruinam Salutis*, & præsentis potuit, & sempiternæ: quia *Deus, rex magnus*, & *cujus* improbi profaniq; *reges*, nō nisi *Ridiculi, sunt*, (*fffff*) impunè temereq; nunquā irridetur. (*ggggg*) Post aliquantum ergo temporis, extinctô jam hoste vetere, *Benadádô* Syro; dum adversùs regem Syriæ novum, *Hazaëlem*, ad *Ramótham*, Galaaditicam illam urbem ac munitionem, *Achabi* patris exemplô reductô, pugnam *Joramus* init: exemplô patris, filius ibidem sauciatur. Paullóq; pòst, dum, curandæ plagæ caussâ, *Iezraëlem* urbem, in qua Iorami mater interficiendum *Nabóthum* curârat, in aperto curru deportatur: à *Jehúse* (qui successor ei suffectus erat à Numine,) vulnere graviore, tale nihil exspectans, afficitur; in ipso corporis ad fugam reflexu, sagittâ trajectus, inter scapulas, ictu tam prodigiosô cuspidis incidentis: ut hæc, per cordis ipsius sinum mediū, antrorsum egrederetur. Quare, nullo temporis interposito punctò, cóncidit in quadriga *Joramus*; *æternúmq;* periit. Et quippeni? Quid

Quid enim (ut cætera vitiorum eius præteream) quid ei prodesse potuêre *Beli* Statuæ dejectæ: qui perstiterit interim, in supremum usque diem, in *Vitulis suis Divinitatis* honore prosequendis? *QVI delinquit in Vno; factus est Omnium Reus* (*b b b b b*). *Cadaver* igitur interfecti regis, projectum est in agrum supplicii *Nabothæi*; mandatô successoris: in *locum* autem *tormentorum* perennium, *Anima*. Finiit porrò *Joramus*, post regni *duodecim* expletos *annos*: in omni quidem Pacis ac belli fortunâ *varios*; in sola verò mentis pravitate, *semper sibi constantes*, & immotos.

IX. Excepit autem *Iorami* regnum IENÚSES: qui, *Iosaphatô* genitus, Israëlitâ, privatæq; sortis virô, *Namsaum* habuit *avum*: (*i i i i i*) à cujus etiam solius nomine, *Namséides* alicubi, patris mentione prætermissâ, cognominatus est. (*k k k k k*) Hic, è primis *Iorami*, regis Samaritici, Ducibus, & in regiam successionem jam olim, adhuc *Achabô* dominante, Numinis imperiô rescriptus: quo tempore *Ramótha* Galaaditica, ductu *Iorami*, jam secundùm oppugnabatur; inter strenuissimos etiam ipse suum regi studium, & industriam, approbârat. Rege verò sauciatô, Jezraëlémque

Ruina Ieroboami.

que curationis ergò deportatô: non recessit ipse tamen ab urbis oppugnatione; quippe, copiis interea castrísque Regiis, Legati supremi nomine potestatéque, præesse jussus. Non abscessit autem, ne captâ quidem à se, ducibúsque, *Ramóthâ*; quam jamjam intrârant, occupatámq; tenebant: intentus adhuc *arcis*, quam necdum Syri deseruerant, expugnationi. Dum autem plenæ victoriæ spei Duces assident: submissus ab *Elisæo* Vate, Dei mandatô, *Prophetarum* è *Collegio* minister quidam, ac discipulus *Prophetæ*; remotîs arbitrîs, in penetrali domûs prætoriæ, *Iebúsem*, fusô super caput illius oleô, pariter *&* *Regem* esse jubet, & totius *Achabææ* stirpis *Extinctorem*. Et *Regem* quidem eum, re mox in Duces militésq; vulgatâ, fausta totius exercitûs acclamatio, suffragiáque, fecerunt. *Achabææ* verò domûs *Exstirpatorem*, ipse se *Iehúses* exhibuit, intentissimum: hinc quidem, Imperiô summi Numinis; indè verò, Ducum, agminúmque cunctorum, adversùs *Joramum*, conjuratione fultus, & adjutus. Primum igitur omnium ejus operum, tam *suómet* regali solio collocando, quàm *alieno* subvertendo, fuit; compositîs *Ramóthæ* rebus, aliò curarum traductus animus.

Ruina Ieroboami.

Discessum enim est paullò pòst: Iterùmque properè Jordane tránsitô, reductus in Samariæ terras exercitus; ità primùm taciturnè, nullóq; tanti motûs strepitu: priùs ut in Iezraëlis urbis, & *Jorami*, conspectum *Jebúses*, ac miles eius, quàm rumor, & fama venientium, pervenirent. Nempe, *bene suscepta collocatáq; Jebúsis festinatio videbatur; qua festinanti Regnum emeretur: cujus alioqui comparandi facultas cunctatione plerumque corrumpitur.* Imminenti porrò jam mœnibus, & ex *præcipiti* currûs agitatione, quà solebat uti *Jebúses*, agnito; *Joramus*, ut certiora cuncta, præsertímq; mentem advenientis exploratam, haberet: bigîs junctîs, in occursum effudit se: comite, rege Jerosolymorum, *Ochoziâ*. Nam hic, *Athaliâ*, Joram sorore, genitus; eodem ipso tempore, propinquitatis & officii caussâ, Ierosolymîs ad ægrotantem è vulnere *Joramum* descenderat: ac, ne videretur *ad mensas* tantùm & lectulum *amicus* esse; constituerat, quoquo pactô se res haberent, & ipse periculo, quod subiturus esset avunculus, sese nepos committere. Deprehendit autem illico *Ioramus*, è tumidis asperísq; *Iebúsis* verbis, *Insidias* adversùm se, conjurationémque, compositas. Quapropter

discri-

discriminis illius, imminentísque mali, nepotem etiam regem voce clarâ commonefaciens; ne tentatîs quidem, ad sui tutelam, armîs, fugæ se præcipiti mandavit. In ipso porrò fugæ conatu primo, sicut in superioribus est dictum, interficitur. Idem autem fugiendi secutus consilium, & exemplum, *Ochozias*; quippe, suîs in oculis confixô jam avunculô; confestim, in ipso fugæ molimine, persequente cum suis eum *Iebúse*, percutitur & ipse, currum adhuc suum insistens. Hic, post primum istud vulnus acceptum, aurigâ licèt, equorum incitatione rapidissimâ, suis eum hostibus eripere studente; morti tamen eripi non potuit: animâ paullò pòst, *Mageddóne*, (quò pervectus fuerat, in oculis & â gladio *Iebúsis*, novîs affectus vulneribus) *(lllll)* exhalatâ. Caussa consortii necis eius, cum nece *Iorami*, societas fuit, sanguinis *Achabæi*: cujus, nō *despumare* tantùm, sed funditus quoq; *defæcare*, tabum omne reliquiarū, jussus erat interfector *Iebúses*. Inter hæc autē, priusquam prorsus occumberet *Ochozias*; à *Iebúse*, conjuratísque, jam ventum erat ad ipsam *regiam*, in *Iezraëlis* urbe, *domum*: in qua tunc *Iezabel*, alterius quidem regum occisorum *mater*, al-

N 2 terius

Ruina Ieroboami.



terius autem *avia*, diverſabatur; rerum tantarum exitum opperiens. Hæc, *anus* jam licèt, ac conſperſa canîs, mitrâ tamen regalî caput evinxerat; omnı́que muliebris mundi vernante cultu corpus exornârat: nec *adſcititiis* quidem, pro ſexûs illius vanitate, formæ *lenociniis* prætermiſsîs. Nam, ut partim *cilia* luminum, jam *albicantia ſeniô*, nigredine tingeret; partim oculorum ſpatium, ætate ſenſim ac rugîs adſtrictius, dilataret, aſpectuı́q; contuentium formoſiorem ſe propinaret, quàm revera, vel eſſet, vel eſſe per annos poſſet: etiam *antimoniô* (quod vulgò vocant) oculos circumſperſit. *(mmmmm)* Id ego, minimè dubitaverim, à muliere, quondam *laſcivâ*, nonnullô quoque venuſtatis ſibi conciliandæ ſtudiô, factum eſſe: tametſi ſint, quibus placeat; *Ornatum illum univerſum ab ea tunc aſcitum fuiſſe, regiæ dignitatis & originis, etiam in illa commutatione ſortis, oſtentandæ, vel aſſerendæ, cauſſâ. Voluiſſe namq; Iebúſi declarare; Quare, duobus & Virîs & regibus, vulneratis, aut interfectîs, contra fœminam ſaltem unam, à Martiali animi Ducibus, bellandum non eſſet. contra coronatam verò, minimè gentium ſtringendum eſſe ferrum; ſalvâ verecundiâ culminis eius: utpote* qu-

Ruina Ieroboami.

quæ non Regina tantùm, Achabô superstite, fuisset; sed etiam Regni, sub filiis duobus, moderatrix, & arbitra: regis Sidonii filia; Regis Samaritici conjux; alterius Samariæ regis nurus: duorum Israëlis regum, & reginæ Ierosolymorum, mater: Iudææ regis, Iorami, socrus; ac novissimi deniq; Ierosolymitæ regis, avia. Cujúsnam ergò, quantumvis barbari percussoris, ruborem duraturum, ad eius, quæ tot regiîs circumfulgeret titulîs, sanguinem fundendum? Quòd si tamen atiq; fieret: Regium esse; generositatem dignissimæ conditionis, etiam in indignissima rerum sorte, retinere: contemneréque potiùs, & ex alto despicere, quàm formidare, cruentum hostem. Non dubitavit igitur, ignara supplicis fortunæ, velificationísque temporum, *Iezabel*; intranti *Iezraëlem* victori *Iebúsi*, negare, simplicis etiam occursûs, ac salutationis, obsequium. Sed, è diverso potiùs, de superioribus Regiæ fenestris prospectans, portam atrii palatini subeunti novo Regi, prior, & ultrò, convitiîs ingestîs, insultare cœpit: eique, *Iorami*, domini quondam sui regísque sicario, *Zambris* exprobravit imitationem; & ominata supplicium est: negans; *Cum eo sibi mortalî pacem unquam, aut humanæ vitæ consuetudinisque consortium, esse posse: qui, sicut Elam re-*

Ruina Ieroboami.

gem dux ejus, Zambris, sic ipse Ioramum regem, copiarum ejusdem ductor, è medio sustulisset. Ejus proinde qui secutus parricidium esset, etiam pœnas utique secuturum esse, Iebúsem: seséq; spontaneis flammis injecturum. Hæc & alia talia *Iezabel* garriebat, in regem. Sed parùm *Iebúsem* impudentis Reginæ *verba* perculerunt; quem modò duorum Regum, & Syriæ totius *arma*, non exsternârant. Tantummodo, *levatîs sursum oculîs*, intueri bacchantem dignatus, & interrogare; *Quænam esset illa, præter omnes ætatis suæ leges tam expolita cultu, tam petulans linguâ, mulier? quive circùm eam essent?* spadonibus interim aliquot, à tergo reginæ stantibus, ac prospectu, capitúmq; prono flexu, suum *Iebúsi* ministerium offerentibus, mandavit; *Vt infame portentum illud in præceps darent.* Nec illi cunctati sunt exsequi, quod imperatum fuerat: sed, hominum, in omne ministerium ac fortunam venalium, ingeniô moréque, *Dominam famuli, Reginámq; suam cubiculi custodes*, præcipitiô subruerunt. Hujus porrò super corpus, dispersô cerebrô, Regiæq; parietibus sanguine maculatîs, primus omnium, currum equósque suos *Iebúses*; post hunc autem, Duces, & equitatus reliquus, cùm agitarent:

rent:ungulîs eqüorum conculcata diſcerptáque *Iezabel* eſt : laceratúsq; veſtimentorum cultus,& interior quoque direpta diſtractáq; tunica, præter nudum Reginæ cadaver, reliquêre nihil. Quare,diſceſſu tandem omnium, ad epulas atque ſtabula,factô : locus aditúsq; liber *canibus regiis* patefactus eſt, ad corpus *Iezabelis*,ex *Eliæ* vaticiniô,devorandum. In quo *Canes* negotiô, tam induſtrios ſeſe ſtrenuóſq; ſtatim præbuerunt: ut,cùm ab, ignarô rei geſtæ, *Iebúſe*,paullò pòſt,negotium miniſtris daretur *Sepulturæ*,quam exſecrabilis mulier, etſi nequaquam bonîs moribus, *regiâ* tamen *origine* , meruiſſe videri poſſet : præter caput (quod ad calvam uſque, craniúmve,canum aviditate conſumptum erat) & pedes , ac manuum extremitates,quod in tumulum inferretur, nihil invenirent. Quæ res, uti, nuntiata *Iebuſi* Regi,vaticiniorum *Eliæ recordationem* refricuit;(quippe, tales exſequias *Iezabeli* præſagiẽtis);ità, triſtiſſimum illud factum intuentibus, *admirationem*, ac ſtuporem,movit: ut lugubriter exclamarent, Divinorum judiciorum decretîs attoniti; mortaliſque faſtigii, tam profundê detracti demersíque,conditionem expendẽtes.*Iebúſes* porrò,poſt ſublatam

Ruina Ieroboami.

tam facilè *Iezabelem*, quam nationes ac Reges, ipsíque Numinis Prophetæ, formidârant; nihil jam non obvium ſtragi Ruinæq́; *Domûs Achabææ*, meritò veréq; ratus; ad reſiduū illius excidium, totâ ſe mentis contentione vertit. Ac primò quidem Samaritis, penès quos *Achabi*, Joramíque regum, *filii* nepotéſque *ſeptuaginta*, diversîs contuberniis, educabantur, optione per epiſtolam oblatâ; deligēdi, quemcunque ſucceſſione regiâ digniſſimum judicarent: cùm illi, metu, ſuarúmque virium diffidentiâ, perterriti perculsíque, ſe Regem alium, præter *Iehúſem*, negarent aut lecturos, aut, lectum ab aliis, agnituros; & ob id, ſeſe totos ei, cum omni Samaria, permiſiſſent: *Iehúſes*, alterîs ad eos datîs litterîs, obſequii pignus, ab Optimatibus urbis ejus mitti ſibi perferríve continuò, *ſeptuaginta* filiorum nepotúmq; regiorum illa *capita*, præcepit. Et illi, ſine mora, ſui quiſq; (cruentum quidem, ſed Deo tamen gratum, ſpectaculum) alumni præciſum caput, in cumulum, contulêre. mox injecta corbibus, in oppidum Jezraëlem, ad *Jehúſem*, deportāda bajulis commiſerunt. *Jehúſes* autem, in geminam congeriem, hinc & hinc, ad principium portæ Jezraëlitidis, *capita*

pita coacervari juſſa; poſtridie Jezraëlitis oſtentavit: ut, non ſe ſolum, ſed alios quoque *ſævîſſe* (ſi ſic tamen loqui conveniret) in *Achabi* ſanguinem, demonſtraret: útque tot cædium, ſiqua fortè vel tunc gliſceret, vel in poſterum oriretur, Invidiã, à ſe penitùs amoliretur; in mandatum videlicet altiſſimi Numinis, Eliæq́, prædictionem, illas reiiciendo (ſicut & rejecit) aut cum aliis etiam illam, & iîs quidem auctoritatis primæ virîs, partiendo. Monuit itaque populum, dum ſpectare cruenta capita cunctos juſſit: ut meminiſſent; Cujúſnam Imperio, tanquam Unius unô Gladio, tot regalia deſecta colla, plebi nunc ſcenam, theatrúmq;, darent? Poſt horum autem interitum, ne ſupereſſent, qui vel ſpirare vindictam, vel ad mortis eorum memoriam ſuſpirare, de propinquis & amicis, auderent: generum omniũ mortales omnes, qui vel conſanguinitatis, vel affinitatis aut neceſſitudinis, ullo nexu, ſeu denique familiarî notitiâ, comminus, eminúſque, nomen *Achabæum* attingerent, è medio ſuſtulit. *Sacerdotes* demum ipſos, qui domui deteſtabili quoquo pacto, ſive *Belæis* in Sacris, ſive *Sidoniæ Veneris*, operam ſuam commodaverant:

Ruina Ieroboami.

unâ ſupplicii procellâ cunctos, tum Jezraële, tum alibi, perculit, & exſtirpavit. In itinere verò, quô Jezraële, compoſitîs jam rebus, Samariam cum exercitu ſeſe commovere cœperat; ad locum, cui *Bethacáthæ* nomen *ovium tonſtrina* dedit, ubi tunc *caſa paſtoralis* erat, in novam cædis materiam incidit. nam ſub id ipſum tempus in urbem commeantes *Samariam*, geſtorúmq; penitùs ignaros, nactus eſt, regii generis, *duos & quadraginta* viros. Quos ubi, ſuámet confeſſione, *filios* eſſe comperit *Jorami* Iudæi regis, *Athaliæq́;*, filiæ Iezabelis; &, ea propter, *Ochoziæ* Ieroſolymorum regis, nuper occiſi, *fratres*, qui ſe venire ſalutatum reges *Samaritas* profiterentur: comprehendi juſſit univerſos; ſtatímq;, ſuîs in oculis, detruſos in ciſternam ſiccam, *Caſæ Paſtorum* propinquam, ad unum omnes jugulari. Nam *Achabæus* & iſti ſanguis erant; Athaliâ procreati, Reginâ Ieroſolymorum: quam, ad exemplum *Achabi* patris, ſub idem ipſum tempus Deos exſecrabiles colentem, & mox, impiè crudelitérq; dominari Iudæis auſam; Summi Pontificis *Jojadæ* conjuratus gladius neci dedit. In hunc itaque modum periit, quidquid *Achabum* ac *Jezabelem* quoquo pacto, vel a-

gna-

Ruina Ieroboami.

gnatione, contingebat, vel imitatione morum adhuc redolebat. Divini namque præcepti fuit, ut *Dei-Contemptorum* & *arbor* interiret, &, cum *radice* fibræ: nequid Impietatis, etiam posthumæ, repullulare posset. Iam verò, sublatîs Sacrilegiorum auctoribus, universâ nempe Regiâ domô: non congruebat, incolumes superesse sacrilegos ararum ministros: *Belæos* Flamines, atque Popas. *Jehúses* igitur, ut & in hoc Achabi Iezabelísq; Manes insestaret, & ureret: *Beli Sidonii* (qui, quod alibi, nec raró, monuimus, Achabæis *Hercules Tyrius*, non, *Iuppiter Babylonius*, fuerat) cultum, bene quondam cum aris statuísque suîs, ab Ioramo, sub regni principium, excisum; postea verò sensim, importunitate Iezabelis, restitutum: funditus eradicandum, arte talî, sibi sumpsit. Simulatione namque propagandæ venerationis *Beli*; dimissîs per omnes regni sui terras nuntiîs, acciri Samariam *Belæos Sacrificulos*, ararúmque ministros universos, ad diem certum, descriptúmque, mandat; tanquam sollemnius præteritîs omnibus Sacrificium, *Beli-Tutoris* honoribus, obituros. In hunc deinde modum collectos illos in Herculis *Samaritanam Basilicam*, ingentem, totiúsque

que ſacrificæ multitudinis capacem; operari victimis jubet, eô, quô ſemper antehac aſſuêſſent, veſtium ac ſtolarum habitu. Præparârat autem Rex & collocârat, *Belicolîs* prorſus inſcientibus, extra templum, idoneô locô, cum Ducibus ſuis, cohortium prætorianarum ſelectiſſimos; cum armis, ac ſcutis: & pro delubri foribus, alios octoginta; robuſtos ipſos, & armatos: per cauſſam quidem, ne quis, à cultu Belæi Numinis alienus, irrumpens, victimam proturbaret; re tamen verâ, necunde quis eorum, quos in fano concluſos tenebat, foràs erumperet, ac fugâ ſalutem inveniret. Quibus in hunc modum compoſitis, cùm jam *Belæi* perlitâſſent: Rex, qui de loco ſuperiore templi, cum Ionadabo, Rechabitarum inſtituti Principe, ſpectatiſſimæ virtutis ac religionis viro, ſuperſtitioſis Beli cæremoniis, per aſtum, intenderat: ſignum militibus, de quo convenerat inter eos, foris dari jubet. Quo ſtatim perceptô, nullâ morâ, diſtrictîs gladiîs, quibus id mandatum fuerat, effractîſque foribus, in templum; *Belæi* verò Sacerdotes, intellectô ſui diſcrimine capitis, in fugam ac latebras, ſeſe conjiciunt. Sed, intercludentibus effugium iîs, qui diſpoſiti pro tem-

templi valvis erant; à furente regis ſatellitio, ducibúſque, cęduntur in medio, nequicquam *Herculis* ſui Numen & opem implorātes: Herculis univerſi Sacerdotes, ac flamines. Protrahuntur occiſorum cadavera: dejicitur Herculæum Simulacrum; &, in fruſta priùs comminutum, tandem & in rogum injicitur. Fanum ipſum denique, tectô culminéque dejectîs, parietibúſque ſubrutîs, fundamentorum pæne tenus, deſtruitur: universáq; veteris uſûs facie corruptâ deformatáque, vertitur in populi *Latrinas.* Ità, quæ magnifica nuper *Herculis* fuerat, *Augæi-ſtabuli Repurgatoris*, Domus; ex eo deinceps tempore *Iovis* eſſe *Stercutii* plebeja *ſedes*, Aedéſque, cœpit. Ex qua tamen meliùs ſanè Samaritanorū *agris*, quàm *aris* antea, religionibúſque, conſultum fuiſſe, nemo pius dubitârit. Quis porrò jam, poſt talia regiæ *Pietatis* pignora, legitimíque Dei cultûs, tot ſignificationes; non è *Iebúſe* Davidem aliquem, aut Ioſaphatum ſaltem, exſpectâſſet? At ille, tam *Deo* mox, quàm antè paullò *Belicolis*, mentitus; ſpem & opinionem omnium, factîs planè contrariîs, eluſit: quando, *Beli* quidem exterminatorem, *Vitulorum* tamen, ſi quiſquam alius ante ſe, veneratorem ſe præ-

Ruina Ieroboami.

ſe præbuit: *Ieroboami* ſecutus impiam, in regno ſubjectíſque populis retinendîs, rationem. Quô, quidnam poterat eſſe bonis omnibus, ac *Ionadábo* potiſſimùm *Rechabæo*, luctuoſius, & magis inopinum? Hánccine Deo, Regni donatori, redditam eſſe gratiam, addecuit? Nonne ſaltem, eodem, quo nuper falſum *Herculis* Numen, jure, ſublatos quoque *Vitulos*, & ejectos, oportuit? At *Hercules*, homo ſaltem aliquando fuerat, *boum* armentorúmq; domitor, victor, abactor: nunquam autem, *Herculis* incurſores ſubactoréſque fuêre *Vituli*. Tamen, (proh nefas!) in illa tunc *Iebuſæorum* temporum iniquitate, *Vitulorum* Ius, cauſſam & *Herculis*, & ipſius veri Numinis, triumphavit. *Iebúſes* igitur, contentus, *Achabææ* domûs eradicatore fungi; ſimulac *Carnificis* perſonam explevit, in cæteris, eorum, quos interfecerat, perſonam atque mores induit: ut in hoc homine ſatis appareret; *Quantò faciliùs quiſque graviúſque Sceleribus alienis iraſci nôrit, quàm ſuis.* Sed videlicet; hoc ipſum in *magiſtratibus* hodiéq; ſollemne multis eſt. Aſperè vitia perſequuntur *palàm*; quædam amplectuntur: &, alieni dorſi caſtigatores, ac *Virgæ*; ſubinde ſuîs in moribus retinent, quod etiam

etiam *Securibus* exſcindendum eſſet: niſi latebræ nequitiam eorum reconderent; & *loci dignitas*, *facinorum excuſatrix*, eos protegeret. Haud rarò namque Poteſtas ſuperior, Inferiori pro Scuto fit, ac præſidiô: non ſanè, quòd hæc Innocenter agat; ſed, quia nocenter agentes atrociter ulciſci nôrit. *Quidam enim homines, in hoc nati ſunt: non, ut bene vivant ipſi, ſed, ut, quàm malè vivant alii, quærant; ac deprehenſos, plectant: vitiorum interim ipſi ſæpe gurgites, & Cloacæ.* Sed, quos ſanè tribunalia dimittunt humana, divinum impunitos non tranſmittet: utì nec *Iehúſes*, aut indonatam ſuam induſtriam, in improbis exſcindendîs; aut inultam perfidiam, in improborum imitatione, tulit. Nam, & ob ſtrenuè præſtitam divinis imperiis operam; *Achabæorum*, quibus *vitam* ademit, *Regnum* occupavit: & in *regno*, quod *annorum octo ſupra viginti*, Samariæ, ſolitâ regum Iſraëlis ſede, tenuit, hoſtem ſibi gravem aſſiduúmque, Syriæ Damaſcenæ regem, *Hazaëlem* concivit: innumeráſq; turbas eſt, & clades, expertus. Ac, tametſi morte demum, quam ei *naturæ* lex, non *gladii* vis, indixit, ſenectutem finiit: *Ruinâ* tamen ſatis *magnâ* proſtratus eſt; qui, quas regiones princi-

pio

Ruina Ieroboami.

piô regni, tanquam ſui juris, ac proprias, accê-perat; eas, imperii vitæque progreſſu, bellis cõtinuîs pervaſtari vidit: ac, Syriacis tandem expugnatas armîs, & amiſſas, alieni regis in manibus relinquere coactus eſt. Eæ regiones fuerunt: terra tranſamnana tota; Manaſſæorum, Gaditarum, Rubenitarúmq; pecoroſæ ditiones; & quidquid regni Basánis, ac Peræ, nomine cenſebatur. *Calamitoſior eſt autem, imminuti, tot partibus, univerſi Regni; quàm Vnius ſolius, etſi Regii, capitis, adverſus Caſus.* Omnium autem Caſuum longè flebiliſſimus eſt; in vita quidem, Deo Summo *nauſeam, protegendæq́ Reipublicæ tædium*, creare (quod profectò creavit *Iebúſes*; ob quem, *pigere* Numen Ter Optimum Maximum favoris, ac tutelæ, cœpit, Iſraëlitis ad id uſque tempus impenſæ:) poſt vitæ verò finem, ſine fine *diſplicere Deo*. quod accidit Animæ *Iebúſis*; quam, inſtituti pravi conſtanter tenacem, Iuſtitia vindex de ſolio regali projecit in Latúmias Inferorũ ſempiternas, inextinctô ſemper rogô (quis non horreat?) exæſtuantes: ubi, pro *Vitulis* ſuis *holocauſtum*, incendiîs, nihil exoraturîs, *affe-tur*.

X. Poſt *Iebúſem* porrò, regnum, hæredi-tati

Ruina Ieroboami.

tatis jure, *Joachazes* adiit, filius: quod *Samariæ*, ſuetâ regum ſede, tenuit; in annum uſque *decimum ac ſeptimum*. Sectatus autem eſt & hic regum ſuperiorum, in *Vitulis* Jeroboamicîs adorandîs, amentiam: eáque propter, à Deo, *furioſorum ac vecordium more, donec ad mentem*, aliquantulùm ſaltem, *reverteretur*, dirè cæditur. Immiſsîs enim ei *Syrîs*, eorúmq; duobus per ordinem regibus, *Hazaële, Benedadóque Iuniore*; tantopere, captîs paſſim urbibus, ac pervaſtatîs *Samaritici* regni terrîs, cum omni populo, premitur & atteritur: ut ſcriptor divinus non dubitârit, *Iſraëliticum* temporum illorum *ſtatum* ac regnum *areæ* comparare: *cujus humus, aſsiduâ trituræ flagellatione, tandem in pulverem evaneſcit.* Aptiſſimam autem fuiſſe comparationem eam; indicio fuit, etiam extrema virium ad repugnãdum imbecillitas, eorúmque, quibus hoſti tunc obſiſteretur, præſidiorũ paucitas: quippe cùm, infinitam Iſraëlitarum multitudinem Damaſcenîs interficientibus, non plus *decem millibus peditum*, in tam immenſo nuper populo; nec, niſi *Quinquaginta (nnnnn) milites equeſtres, decémq;* bellicæ *Quadrigæ*, Joachazi ſupereſſent. Unde, ſupremâ ſubigente

O neceſ-

Ruina Ieroboami.

necessitate, sepositâ tantisper *Vitulorum* suo-
rum imploratione;precibus seriîs aggredi rex
Deum Cœli cœpit; *utì volens, propitius, opem si-
bi, populóque, ferret.* Nec Deus, pro consuetâ
suâ, supplicibus gratificandi, facilitate, quod
rogabatur, abnuit: sed, partim adhuc vivo
Joachazi, vires animósque contulit, ne dele
retur à Syris, ad internecionem: partim au-
tem, & ampliùs, jam extincto, *successorem* dedi
filium, & è filio nepotem: qui, quæ *Syri* rege
Samariticis terris abraserant, secundiore præ
liorum successu, recuperarent. Et tamen
(*quæ Circumcisæ gentis illius incircumcisa fuit, &
effrænis, in Idololatriam, prurigo*); quiete respi
rationéque nonnullâ bellicis à tempestatibu
potiti, Rex & populus, à Deo protinus a
Vitulos, stupore planè bubulô, redierunt. Nequ
Vitulis contenti; *lucum* etiam, quem Hercu
Sidonio jam olim *Achabus*, in Samariæ nemo
roso clivo, suscitârat (*ooooo*); quémque *Je-
zabel* exscindi vetuerat, & *Jebúses* vastar
prætermiserat: superstitione pertinacî retin
bant. Tam ingratum igitur beneficiis su
Regem, Deus tandem, etsi *non cruentâ*, tame
æternæ felicitatis extorrî, morte sustulit: explo
raturus quodammodo; num genitore gratio
ren

Ruina Ieroboami.

rem se *filius Successor* præstiturus esset? Præstitit autem aliquãtô quidem feliciorem se bellîs, sed moribus nihilô meliorem, JOAS. Hic enim *Joachazis*, sicuti traditum sibi per manus â patre moriente regnum;ità vivendi quoque ritum, accepit. Nam & ipse, sicuti reges superiores universi, thura victimásque *Vitulis* adolevit. Unde planè permiranda sit *Josephi Flavii* temeritas, & confidentia; contra divinorum voluminum apertissimam auctoritatem, eum *Pium* ac *Religiosum* proclamantis. *(ppppp)* Qualiscunque tamen JOAS hic (cujus initia regni, cum extremis *Joásis*, Iudææ regis, annîs concurrêre): strenuum interim bellô se, neque parùm fortunatum, exhibuit; Numine, ne sic quidem homini, tam perperam erga religiones affecto, prosperos militiæ successus denegante: quoniam hunc ille, paternîs olim precibus exoratum, *oppressi Populi vindicem*, assertorémque, destinârat. Ternis ergo præliîs *Benadádum* Syrum, *Hazaëlis* filium, profligavit. *Amasiam* quoque, Iudææ regem, insolenter ac temerè se provocantem; aciéque congredi, contra salutarem suam à mala mente dehortationem, ausum: in campis Bethsamæis, Iudaicæ ditionis

Ruina Ieroboami.

necessitate, sepositâ tantisper *Vitulorum* suorum imploratione;precibus seriîs aggredi rex *Deum Cœli* cœpit; *utì volens, propitius, opem sibi, populóque, ferret.* Nec Deus, pro consuetâ suâ, supplicibus gratificandi, facilitate, quod rogabatur, abnuit: sed, partim adhuc vivo *Joachazi*, vires animósque contulit, ne deleretur à Syris, ad internecionem: partim autem, & ampliùs, jam extincto, *successorem* dedit *filium*, & è filio nepotem: qui, quæ *Syri* reges Samariticis terris abraserant, secundiore prȩliorum successu, recuperarent. Et tamen, (*quæ Circumcisæ gentis illius incircumcisa fuit, & effrænis, in Idololatriam, prurigo*); quiete respirationéque nonnullâ bellicîs à tempestatibus potiti, Rex & populus, à Deo protinus ad *Vitulos, stupore planè bubulô*, redierunt. Neque *Vitulis* contenti; *lucum* etiam, quem Herculi Sidonio jam olim *Achabus*, in Samariæ nemoroso clivo, suscitârat (ooooo); quémque *Jezabel* exscindi vetuerat, & *Jehúses* vastare prætermiserat: superstitione pertinacî retinebant. Tam ingratum igitur beneficiis suis Regem, Deus tandem, etsi *non cruentâ*, tamen *æternæ felicitatis extorrî*, morte sustulit: exploraturus quodammodo; num genitore gratiorem

Ruina Ieroboami.

rem se *filius Successor* præstiturus esset? Præstitit autem aliquãtô quidem feliciorem se bellîs, sed moribus nihilô meliorem, JOAS. Hic enim *Joachazis*, sicuti traditum sibi per manus â patre moriente regnum; ità vivendi quoque ritum, accepit. Nam & ipse, sicuti reges superiores universi, thura victimásque *Vitulis* adolevit. Unde planè permiranda sit *Josephi Flavii* temeritas, & confidentia; contra divinorum voluminum apertissimam auctoritatem, eum *Pium* ac *Religiosum* proclamantis. *(ppppp)* Qualiscunque tamen JOAS hic (cujus initia regni, cum extremis *Joâsis*, Iudææ regis, annîs concurrêre): strenuum interim bellô se, neque parùm fortunatum, exhibuit; Numine, ne sic quidem homini, tam perperam erga religiones affecto, prosperos militiæ successus denegante: quoniam hunc ille, paternîs olim precibus exoratum, *oppressi Populi vindicem*, assertorémque, destinârat. Ternis ergo præliîs *Benadádum* Syrum, *Hazaëlis* filium, profligavit. *Amasiam* quoque, Iudææ regem, insolenter ac temerè se provocantem; aciéque congredi, contra salutarem suam à mala mente dehortationem, ausum: in campis Bethsamæis, Iudaicæ ditionis

O 2 solô,

Ruina Ieroboami.

ſolô, cum univerſis copiis, ingenti clade fudit, regem ipſum captum, in catenis Ieroſolymã adduxit: ingreſsúsq; , victor ac triumphator, hoſtis victi Regiam ; murorum urbis partem diruit. neq; priùs reverſus *Samariam* eſt; quàm Sacris Ieroſolymorũ, profanîſq; palatii, theſauris raptîs, acceptíſque, quos voluit, obſidibus, *Amasiam* ſibi vectigalem, id eſt, paullò minùs, quàm *ſervum*, reliquit. Idem autem hic, ab *Eliſæo* moribundo, victoriarum de *Syris* complurium vaticiniîs, ac rei bene gerendæ conſiliîs, animatus inſtructúſque; non ſine fletu lamentíſque diſceſſit ab exſpirante *Propheta*. Nec tamen *ad Deum* ideò, legitimáq; ſacra, ſe recepit: *Vitulis* etiam ipſe ſuis immortuus, anno regni *ſextodecimo*. Quem, ſueto Samariticorum regum illatum Mauſoléo; *fatum ſiccum, Ruinâ* (proh dolor!) *irreparabilî*, detruſit *in Lacum ſicciorem*, ab *Ezechiele* Vate deſcriptum (*qqqqq*): *in quo non eſt aqua Refrigerii*; ſed *igne ſulphuréq; flagrans Stagnum.* (*rrrrr*) Hoc nempe præcipitium eos manet: quos, rebus hîc ſecundîs in altum evectos, immemor beneficiorum durities animi, tanquam grave ſaxi pondus, ad profunda detraxit. Cæterùm, ejus imperium filius excepit, IERO-

Ruina Ieroboami.

IEROBOAMUS: damnatum *primi Ieroboami* memoriâ vocabulum; omnibúsque bonis mentibus fugiendum, *nomen.* Iste tamen, (quod utique plus est) ne *mores* quidem, cognominis sibi, detestabilísque, Regis fugit: in *Vitulorum* cultu frequens & ipse, pertináxque. Quocirca mala, sine dubio, tam præsentis, quàm alterius, vitæ meruisset omnia: nec effugisset; nisi, misertus DEUS Israeliticæ gentis calamitatum, quibus premebatur à *Syris*; *publicè felicem fecisset eum, quem privatim habebat invisum sibi*, Ieroboamum. Quare, secundo Numine, *Vitulorum* licèt adorator, *Victoriæ pennîs* ac signîs, nec minùs *Ionæ* quoque *Prophetæ* vaticiniîs, incitatus: per omnia *Syrorum* castra prosperrimè *volitavit.* Ac primis quidem cōgressibus, *transamnanam* Israelitarum terram, à fontibus *Iordanis*, ad usque *Lacum Asphaltiten*, (qui, quod sæpe jam monuimus, *Mare mortuum est*) regno *Samaritico* restituit. Novissimô verò præliô, terram etiam *Emathitida*, quæ *Libani* montis radices citeriores stringit, recepit. neque destitit, quoad *Damascum* quoque, finitimásque Damasco ditiones, Davidi quondam Salomoníque possessas, postliminiò juris Hebræi faceret. Sed non, quàm

 victor

Ruina Ieroboami.

victor ex Deo, tam & *memor* opis Divinæ, celebratórq; *Ieroboamus*; cujus nomen *nascens* accepit, ejus regis impietatem, *moriens* secum asportavit: cadavere tenus, *sepulcrum Samariticum*; Animâ verò, *terræ Centrum*, ingressus, Inferorum aulam: in qua rex miser, *annorum unius & quadraginta, quibus imperavit*, ingratissimam Deo felicitatem, suppliciîs, non minûs ingratîs sibi, pro mensura scelerum, exsolvit. Habuit autem hæredem *regni*, quem & *vitæ*; ZACHARIAM, filium: *quartum* jam, *è sanguine Iehûsis*, *successorem*; sed, sine sanguine, *Iebusitarum* sceptra non finiturum. Cùm enim, intestinîs Ducum contentionibus, in regno Samaritico, per annos prope duodecim, *Interregnum* potiùs, quàm *Regnum*, fluctuâsset; *(sssss)* trahentibus, in suas unoquoq; partes, populi studia, Competitoribus, qui *Iehûsis* stirpem redactam in ordinem cupiebant: tandem tamen, ægrè licèt, successione *Zacharias*, à Numine sibi destinatâ, potitus est. Sed, obsistentibus sibi, quos spe suâ depulerat, etiam tum æmulîs; diu tenére potestatem supremam non potuit: *à Sellûmo, (ttttt) Iabêsi* filiô, purpuratorum illius facilè primô, per insidias ac dolum contractâ conjuratione, die

popu-

Ruina Ieroboami.

populóque palàm, ferrô dejectus; vixdum plenô regii dominatûs *ſemeſtrî* tranſactô. Periit autem & ipſe, *peccatîs magìs ſuîs*, & adoratione *Vitulorum*, quàm *manu Conjuratorum*, oppreſſus: ſecúmque traxit, & abſolvit, omne *Iehuſæa* Domûs, quod annîs centum, duobus, ac dimidiô, ſtetit, *Regnum.* Ità Sanguinariæ ſtirpis *Achabææ* cruenta vindex ſtirps *Iehúſis*, in cruore viciſſim ſubſedit: in lanienæ legitimæ, qua progeniem Achabi concîdit, pretium, *Quatuor*, ex promiſſo Divino, Reges, poſt *Iehúſem*, regni poſſeſſorem primum, adepta. *Totidem* enim, in Achabo, Iezabele, Ioramóque, regibus Samariticis, & Ochoziâ, Ierosolymorum rege, capita coronata de medio *Iehúſes*, propter impietatem, ſuſtulerat. Pro *Zacharia* porrò, tanquam pretium cædis, interfector illius, SELLUMUS, habenas regni cepit: *adminiſtravitque*, ſicut *Vitulorum* & ipſe cultor, *impiè*; ſicut Tyrannus autem, *infeliciter*, & non diuturnè. *Trigeſimô* namque ſuſcepti, pérque vim rapti, principatûs *die*, finem vivendi ſimùl, ac dominandi, fecit: à *Manahémo*, Gadi filiô, Therſitâ cive, trucidatus. Indignatus enim hic; *à Sellúmo*, nec regiæ ſtirpis homine, nec populi ſuffragiîs, aſſensúve, ſummæ

Ruina Ieroboami.

mæ rerum impoſitô, tractari regnum; gentiq; dici jus, ac leges, aliô jure nullo, quàm, quod ipſe ſibi ferrô procudiſſet: adversùs eum exarſit armîs. Itaque, nunc ſingulos concitando, nunc univerſos *urbis* ſuæ, quæ *Regia* quõdam & ipſa fuiſſet, incolas, atque finitimos: ingẽtem breviſſimo tempore multitudinem, non tam ad ſui (diſſimulabat enim ipſe ſui quæſtum) quàm ad æquitatis conſtituendæ, ſtudium, pertraxit. Eóque voluntariorum exercitu, primô ſtatim in regiam urbem adventu, tyrannum pariter, & prætorianas cohortes, unà cum præſidiis, ac Samaritis, *Sellúmo* juratîs, oppreſſit. Statim autem, *non tam ſe depellere Tyrannum, quàm mutare*, voluiſſe, declaravit: &, cùm modis aliîs, tum ipsâ ſtatim dominatûs invaſione, terroréq; gladiorum, ſiquis diſſentire niteretur, oſtentatô, palàm fecit. Ad ſummam! Impietate, quâ Jeroboamæos *Vitulos* amplexus eſt; truculentiáque, quâ regnum exercuit, abundè demonſtravit: Non ſe *vindicare* Zachariam, in Sellúmo; ſed, tum imitatione morum, tum occupatione poteſtatis, eorum utriuſque perſonam *agere*, voluiſſe. Quare primùm omnium, *Thapſenſes* (finitimam Therſæis urbem) unà

Ruina Ieroboami.

unà cum circumjectis, Therſam versùs, oppidis, ac municipiis, aggreſſus armîs, occupavit. quod mortalium illic, utriuſque ſexûs, & cujuslibet ætatis, reperit, obtruncavit: ac (quod crudelitatis genus, nec in Scythis oralim; hodie verò vix unquam in Scythiæ ramô, Turcîs, invenias) nequis illis naſci vel poſthumus aliquando paterni cruoris ultor, hoſtíſque, poſſet: matres Iſraëlitidas, hoc eſt, ſuæ gentis, locorum illorum univerſas, uteri manifeſtas, diſſecuit, à pectore deorſum versùs: in uno tunc eodémque facto, pluſquam millies iteratô, pariter & pudoris, & humanitatis, legum violatarum, multiplici nexu reus. Immanitatis tantæ cauſſa fuerunt, pendentibus adhuc inter Sellumum ac Manahemum regni controverſiis, præcluſæ Manahemo Thapſenſis urbis Portæ. Mirandum ergo non fuit; A tam nocente, nec diu, nec procùl, *divinam* abfuiſſe *manum*, *nefandorum omnium ultricem*: quæ, miniſteriîs uſa mortalis faſtigii, demonſtravit armîs vicariîs; *ſuper humana regum Solia majeſtatem immortalem volitantem, in eorum promerita, pœnáſq;, ſeriò vigilare.* Sub éadem igitur illa tempora, paullóque ſuperiora, *Jebuſæorum* regum, conſumptô ſuiſmet, & flam-

Ruina Ieroboami.

& flammîs, & libidinibus, Assyriorum rege *Sardanapálo*: victores, eversoréſque Ninivês, *Arbaces*, *Beléſus*, *Phules*, primi Ducum; ſuas ſibi ſinguli partes illius imperii, mutuô conſenſu conceſsúve, rapuerant. Mediam quidem, ac Bactrianam, Medus *Arbaces*; Babylonem verò *Beléſus*; Ninivéſque dirutæ reliquias, *Phules*. Horum poſtremus, Aſſyrii Niniviticíque regni quoquo modô reſtitutâ ſenſim, tam appellatione, quàm veteris imagine quadam amplitudinis; ad *Manahemi*, Samaritarum regis, uſque tempora, regnando pervenerat. (*uuuuu*) Eum, ferunt, aut à Thapſenſibus adhuc obſeſſis, aut, poſt excidium, à reliquiis, eorúmve propinquîs, excîtum; *Manahemo* bellum indixiſſe. Sunt, è diverſo, qui credant; *Phulem* ultrò, vel adversùs dominantem adhuc *Sellúmum*, vel pro ſeipſo poſtea, (quippe populi rebellionem, propter editam in *Thapſenſes* truculentiam, permetuente) per legatos à Manahemo fuiſſe pretiô conductũ; idque ſuo, quod, titubaturum eſſe, ſatis apparebat, regno *firmando*. (*xxxxx*) Quidquid autem horum fuerit, quorum poſtremum ego vero ſimillimum exiſtimaverim: veniebat *Phules*; arma, vim, & copias, oſtentans; e-

vaſta-

vastaturus (nisi, seu pretium operæ bellicæ, seu regni vectigalis stipendium, penderetur *annuum*) terram omnem *Samaritarum*. Ei proinde sibi, fortunísque suis, in perpetuum conciliando, nectendóque: *Manahemus*, cùm exhaustum jam populi vulgus tributîs esset; ditissimo cuique, maximéq; de nobilitate, stipendium indixit *quinquagenûm argenti siclorum* (*yyyyy*) *annuum*. quod hominum *sexaginta millia* cùm conferrent, *annua talenta millena* Manahemus ex eis redigebat: decenniô verò, quo rerum potitus est, *decem millia talentorum*; hoc est, *Sexagies centum millium aureorum summam*. qui *sex aureorum* (ut hodie loquuntur) *milliones* erant. (*zzzzz*) Universum hoc argentum *Manahemus*, in *Phulis* fiscum effudit: vel, ut haberet, cujus armîs adversùm subjectos tegeretur, *in imperio, malè partô, propterеáq; malè fidò*: vel, ne *Scutum* illud ipsum suum *Assyrii fœderis*, ac societatis, in hostilitatem aliquando converteretur; ut sanè conversum tandem est in successoribus *Manahemi*. Quæ res docet, *quàm sit instabile regnum omne, quod nec ope Dei, neque subjectorum benevolentiâ, fultum est*: unde consequens tandem fiat; ut, quod adagiô vetere ferebatur, *ne fer-*

Ruina Ieroboami.

ne ferreis quidem hastis fidi tutò possit, sed argenteis pugnandum sit. Ac *Manahemus* quidem, in hunc, quem dixi, modum, regnô potitus, ac functus; expletô tyrannicæ potestatis decenniô, vitâ cessit: caussam suam, ob tam fœdè cæsos Thapsenses, dicturus ad illud tribunal; à quo nullus *provocationi* locus est. Regnum porrò, filio per manum tradidit; cui PHACEIÆ nomen. *(a)* Hic patris, omniûmque regum superiorum, in *Vitulis* adorandîs, imitator; nec impietatem ultra, quàm in *biennium*, nec potentiam, prorogare potuit: in *arce turritâ* palatii Samaræi, conjuratorum oppressus, ac trucidatus, manu. Conspirationis illius caput, PHACÉAS fuit, *Romélia* filius, cohortis primæ, seu prætoriæ, tribunus; Hebræis, *Tertius à Rege*, dici suetus. Hic, consilii sui conscios, *Argóbum*, & *Arieum*, prætereáque *Galaaditas* quinquaginta, secum in Regiam trahens; testes eosdem, adjutorésque, *Phacejanæ* cædis, habere, suę dignitatis, & ad populum defensionis, existimavit. *(б)* Cui porrò *vitam* Phacéas; eidem, ac posteris ejus, etiam *regnum* ademit: *vigintiq;* deinceps *annîs* illud, iniquitate, qua corripuerat, eádem & administravit: par superioribus regibus universis, impiô

Ruina Ieroboami.

impiô *Vitulorum* cultu: neque diſpar caſtigatione; quâ Deus, tam ipſius regis, quàm plebis, in malo morigeræ, nefanda facta flagellavit. Primùm igitur omnium, erepta ſana mens & conſilium à Deo, *Phacéæ* fuit; ut in poteſtate ſtipendióque Regis Aſſyrii, *Manahémi* filiíque, regum antecedentium, exemplô, degere perſeveraret. Et opportunè tunc, Aſſyrio Regi, *Phuli*, vivîs exempto, filius *Teglath-Phalaſſar* ſucceſſerat. cujus ætatē haud dubiè *Phacéas*, ad rebellandum accommodatiorem ſibi ratus, quàm *Phulis* robuſtos annos, confirmatámq; potentiam; annui tributi jugum excutere, regum Samariticorum primus, cœpit. Quod igitur, à *volente* Phaceâ rex Aſſyrius, per legatos & internuntios, impetrare non potuit; id extorſit ab *invito*, caſtrîs & armîs: ac, pro tributo grandi, damnô longè grandiore, munitiones, urbes, terras, integróſque populos, avellit, & aſportavit. *Cis* Jordanem namque, bellô captas, *Ajónem*, Abel-Dômum, Máacham, Jánöen, Cedeſſam, & Azorem, oppida munitiſſima populoſiſſimáque, vaſtavit; & incolîs exhauſit. Regionem quoque *Nephthalæam* omnem, hoc eſt, *Galilæam*, quam *Gentium* appellabant; non depopu-

populatus tantùm est, sed planè vacuavit: cultoribus indè, maximam partem, in Assyriam traductîs. Postea, non contentus hac clade, quam *Cisamnanis* intulerat; ac vectigalî, quod novum, nec fortassè tolerabilius priore, Phacéæ pendendum, imposuerat: profectus cum copiis omnibus, *trans Jordanem*; terras *dimidiæ-Manassææ tribûs*, & *Galaaditidem*, ac *Rubenitarum*, inprimis populosas ac pecorosas, adeò redegit in solitudinem, & vastitatem; ut in iis nihil relinqueret, unde rebellionis metus aliquis ostendi posset. Omnem autem multitudinem reliquam, utriusque sexûs, *Láhelam*, *Háborem*, *Haram*, & in finitima Gozáni fluvio loca, (quæ superioris Mediæ quondam urbes ac provinciæ fuerant) abduxit. Ibi, *Servitutem, quam Deo noluerant, & Vitulis maluerant; barbaris & DIs, & nationibus, serviebant: idololatriæ dignissimô, creberrimisque promisso minîs, operæpretiò.* Nec tamen, vel post tantam rerum suarum plagam, *Phacéas*, aut à malitia destitit insani *Vitulorum* cultûs; aut ab inquieto bellandi, contra votis-suis-opportunos, studiô: sed, aliunde prædationibus reparaturus, quod Assyriacis cladibus amisisset; in Judæum regem, *Achazem*, arma, totis

totis reliquiarum ſuarum viribus, convertit. *Arbitratúſque*, quidquid ſibi regni ſupereſſet, *Rapinam eſſe* ſpoliúmq; , Phacejæ detractum, quem occiderat, ac beneficium gratiámque regis Aſſyrii, qui ſibi non totum ademiſſet; in minimis curis belli Iudaici ſucceſſum habuit: quippe, ſive vinceret, lucrum indè reportaturus; ſive vinceretur, haud ità magnô damnô res ſuas corrupturus, quas antè jam attritiſſimas haberet. Magnîs igitur animîs in Iudæam movit, è Samaria. Neque tamen multùm, *rex impius*, profeciſſet; niſi casù tunc in hoſtem *magis impium*, Deóq; pro peſſimis factis inviſum, *Achazem*, incidiſſet. Quare, permiſſu Numinis, Achazem, ac populum Iudæum, ſimulacris tunc addictos, plectentis; ſub unum eundémque diem, quo conflixit, unicô præliô *centum viginti millia* robuſtiſſimorum, è Benjamínis ac Iudæ tribubus, virorum, Phacéas interfecit. Quo pariter, adcò truculentô, præliô, mactandíque tumultu, ne regiæ quidem pueritiæ, nobilitatíque primæ, vitæ gratiâ factâ: trucidatus eſt, Zechris Ephraimitæ manu, Regis filius, *Maaſias* (γ), & Ezricas, regiæ domui præfectus; ac, vices regis obire ſolitus, Elcanas, purpuratus. Nec cæde

Ruina Ieroboami.

cæde ſatiatus *Phacéas*; ſecum in catenis Samariam abduxit, *mulierum*, *puerorum*, *ac virguncularum*, agmen miſerabile, *ducenta millia*: cum immenſa prædâ. Quos tamen omnes, priùs, quàm Samariæ pedem inferrent, *Obédi prophetæ* juſſu, primorûmq; de ducibus ac tribunis coactu, cum omni præda remiſit: cibo priùs, medicamentíſque, refectos; unctos ac delibutos oleô; veſtitos, & calceatos, è ſpoliis; ac, ſiqui minùs inceſſu viribúſque valerent, jumentis & curribus impoſitos: omni cum humanitatis ſignificatione, libertati primùm, deinde patriæ, reſtituit: Ierichuntem deportatos. Dignus *Phacéas* erat, qui tantæ civilitatis gratiæque famam, ad Inferos illibatam deportaret. Sed hujus pulcherrimi facti ſui gloriam, ipſe ſibi, ſubſequente mox hoſtilitate, maculavit, & deſtruxit. Cùm enim, utì *Regum barbarorum mobilia ſunt ingenia*, cum Syriæ rege, *Rasino* (qui *Benadádo Iuniori* ſucceſſerat) conſilia *Phacéas*, ac fœdus, ſociâſſet: & uterque decreviſſent, *Achazi*, Iudææ regi, (quòd is hoſtis ſui, regis Aſſyriorum, amicus eſſet) exauctorato; *Tabeélis* cujuſdam filium, ſibi junctiſſimum, in imperium ſufficere: vertente confeſtim annô, junctîs copiîs & animis

• Ruina Ieroboami.

nimîs, ad Ierosolymam castra collocârunt. Urgebant autem regem unum, & unam urbem, gemini reges, obsidione validissimâ; nec parùm diuturnâ: cùm interim omnis circumcirca Benjamínis, ac Judę, terra, cum agris finitimis, evastaretur. (δ) Quanquam autem *regem unum*, Deo pręsertim invisum, *regibus duobus*, expugnare, non admodum operosum esset: operosissimum tamen laboris successum faciebat, *Vrbis* Jerosolymæ, manu sitúque validissimæ, robustus, intrà muros, numerosúsque, propugnator. desperationis autem plenum negotium faciebat, ipse Deus, *pro circumsessis* tunc, *adversùm obsessores*, staturus. id, quod Jerosolymitis *Isaias*, vates regius, ac divinus, appromittebat. Nec fefellit promissi fides. *Teglath-Phalassar* enim, *Achazis* intellecto discrimine, cujus ingentibus auri promissis evocatus erat: primùm quidem, motîs in Syriam copiîs, Damascum, Rasini regiam, oppugnat: oppugnatæque famâ, *Rasinum* à societate castrorum *Phacéæ*, Jerosolymísque vexandis, avellit: quippe properantem, *sua jam magìs tueri, quàm alienis imminere fortunis.* Móxq; congressum acie, Damascenis in campis, & vitâ regem; & mœnibus veteríq; fastu

Ruina Ieroboami.

Damaſcum ; ac libertate denique facultatibúſque, Syros illos univerſos, exuit: *Cyrénem*, Medorum urbem, translatos. Rebus autem ità, ſicut dixi, circa *Raſinum* compoſitîs: in *Samariæ* deinde regnum adversùm *Phacéam* copias victrices Teglath-Phalaſſar mittit. urbes, agros, mortaléſque multos, & prædam omnium generum, capit. *Phacéam*, deſerere Ieroſolymas cogit; ac Samariam ſeſe ſuam, rebus jam extremîs, recipere. Cùm autem, quod voluerat, *Aſſyrius* aſſecutus eſſet; regum, inquam, inimicorum ab *Achaze* divulſionem: prædâ ſimul, ac plurimorum iterum *Iſraëlitarum* abductione (ε), *Vitulo* denique Danitarum *Aureô*, ſecum raptô, ditatus: (ζ) in Syriam Damaſcenam rediit: neque multò pòſt in ſuam Aſſyriam exercitum univerſum reduxit. Circumſidére verò *Samariam*, & nondum tempeſtivum, & ad expugnationem haudquaquam facilius, quàm Jeroſolymam, videbatur. Sed, quod *Samariæ* tunc dilatum, pro peccatis, ſupplicium eſt; id mox in *Phacéam*, Samariæ regem, deproperatum eſt. Cùm enim, & ob imperium iniquè raptum, & ob iniquiùs poſtea perniciosiúſque geſtum, multi paſſim ſummorum infimorúm-

Ruina Ieroboami.

rúmque fremerent: OSEAS eum, *Elæ* filius, purpuratorum illius, amicorúmque, facilè princeps, insidiîs occupatum, oppressúmque, paullò post discessum exercitûs Assyriaci, trucidavit: *annorum viginti tyrannum*, sed *innumerabilium regni malorum reum.* Etsi sanè, diu postea turbatâ seditionibus omni Samariâ, nondúmq; stabilî gentis ullo rege; depulsus impræsentiarum soliô *Phacéas* fuerit: meliora verò tempora, morésque, non restituti. Quanquam autem, ex quo *Phacéam* è medio sustulerat; gubernaculis admovere manum OSEAS instituerit: *Teglath-Phalassare* tamen mox tributîs eum opprimente; tum & popularium factione, novîs eum quotidie tumultibus exagitante, *servus potiùs servorum suorum, quàm rex,* Assyriiq; regis quæstor magìs, quàm tetrarcha fiduciarius, esse compulsus est: donec vix tandem, *nonô* pòst annô, *novem* alios *in annos*, attollere *coronatum caput* cœpit; sed, id ipsum *diminutione* demum in ordinem redigendum. Id quod sequentia declarabunt: quæ Regum Regníque Samariæ *Ruinas* in extero Solo soléque; quin, & in fuga pulveréque, collocabunt.

XI. Annus erat, à mundo condito, ter

Ruina Ieroboami.

millesimus, trecentesimus, quintus; Urbis Romanæ positæ, Romulíque Regis, quartus; Achazis, Iudææ Regis, duodecimus; Olympiadis septimæ Quartus: cùm *Oséas*, Phaceæ regis interfector, quòd in nonum jam annum, Teglath-Phalassaris, Assyriorum Imperatoris, pendendis ei tributîs, & imperiis exsequendîs, *servum* se probâsset; neque Reipub. partem ullam, pro Rege se gerendo, tractâsset: dignus denique Domino suo, tam diuturnâ servitutis patientiâ, visus est; qui, potestate saltem fiduciariâ, dominari Samaritis, & Israëlitarum reliquiis, inciperet. Itaque *regis* ei nomen, ac, quæ regiæ dignitatis insignia sunt, ab Assyrio conceduntur: & *Oseas*, hôc demum annô, verè regnandi facit initium. In hac autem potestate, tametsi Simulacrorum cultum Ieroboamicum, non, ut debuerat, antiquârit; & verò, ne degeneraret à regibus antecedentibus, ipse quoq; *Vitulum Aureum*, qui tunc unicus erat reliquus, in urbe Bethelæa, venerari soleret: in cæteris tamen, multùm à priorum impietate tyrannidéque recessit. In eo verò præcipuè, *religionis ac facilitatis* quandam imaginem exhibuit: quòd, cùm Reges Israëlitarum universi, Ieroboami Primi

Primi nefandâ violentáque lege, loca civitatésque regni ſui *limitaneas* cunctas, per quas eſſe tranſitus, Ieroſolymam versùs, adoraturis poſſet, præſidiîs militum excubiiſque validiſſimîs firmâſſent; quæ tranſituros prohiberent, aut interciperent: *Oséas* præſidia primus deduxit; *terniſque vicibus*, utì Legibus Moſaicîs conſtitutum erat, quotannis omnibus promiſcuè permiſit, Ieroſolymam, adorandi veri Dei cauſsâ, proficiſci. (*r*) Quod ſanè mirandum in primis fuit: quo tempore ſacrilegus Iudææ rex, *Achazes*, Templi- Dominici fores, & valvas, ac religiones, omnibus occluſit; eodem ipſo, Samariæ regem, *Oséam*, éadem illa, quantum eſſet in ſe, cunctis aperire. Quanquam autem talis, qualem expreſſimus, *Oséas* eſſet; ut, comparatione Regum ſuæ nationis, etſi *malus*, videri tamen *bonus utcunque* poſſet: in eum nihiloſecius, velut columellam ultimam, fundamento putrido ſubnixam, omnis tot regum antecedentium, gravata peccatîs, moles incubuit: quíque cæterorum omnium minimè deliquit, plurimùm in hac vita plexus eſt. Neque tamen defuêre, quas ipſe ſibi ſuum in malum contexuit, interitûs cauſſæ; ſicut, ut plurimùm, quæ-

Ruina Ieroboami.

quæcunq; foris calamitates in improbos incurrunt; intus, & ab domo, naſcuntur. Jam primùm omnium, *Teglath-Phalaſſare* vivis exemptô, *Salmanaſari* filio, ſucceſſoríque, cunctatus *Oséas*, vectigal anniverſarium exſolvere: traxit in regnum ſuum hoſtiles Aſſyrii regis copias; tributi fidem, ni ſpontè maneret in obſequio, viribus & armîs coërcituras. Ac tum quidem illicò manus dedit *Oséas*: opibus *ſuîs* infirmior, & *alienîs* nondum ſibi proviſîs. At non multò pòſt, annô nondum plenè vertente, mentem *Oséas* vertit: certúſque, detrectare deinceps, in perpetuum, tributi penſionem; cùm facilè perſpiceret, id abſque novâ gravioréq; *Salmanaſaris* exaſperatione nequaquam eventurum: quò firmioribus adversùm illius arma præſidiîs opibúſque res ſuas communiret; legatîs in *Aegyptum* miſsîs, *Regis* illius fidei ſe ſuáque committere, non dubitavit. Nec abnuit *Aegypti rex*, qui tunc, *Sua* nomine, diſcors Aſſyrio, quemvis obvium adversùs illius potẽtiam ipſe tegere, quam latiùs alterum dominari, malebat. Nimirum, *& Reges*, ac non ſoli *figuli*, certare mutuîs inter ſe mentium odiîs, haud alienũ majeſtate ſuâ ducunt: &, *Qui plus poteſt, plus*

plus Invidiæ ſuſtinet ab æmulo vicino. Quod utinam non & noſtræ tempeſtatis continentia bella, *de livore plerumq; nata*, loquerentur. Sed nos *antiquas* hoſtilitates, & *Oséæ* calamitates; exſequimur: *recentiora*, poſteritatis memoriæ, ſcriptoribúſque, relinquimus. *Oséas* igitur, defectionis ab Aſſyrio conſilia, ſocietatémq; Regis Aegyptii, tantâ calliditate tractare non potuit; quin ſuſpectus primùm, deinde ſenſim manifeſtus, *Salmanáſari* redderetur. Hic ergo, tanquam *fugitivum ſuum* injectîs manibus ad officium retracturus; relictâ Ninivâ, validiſſimam peditum equitúmque manum, tranſportavit in Syriam Damaſcenam: indéque, tranſitô Jordane, Samaritici regni terris infudit. Et *Oséas* quidem, tranquillîs ſuîs rebus hoſtilia ſolitus conſilia volvere; bellô poſtea, quod tamen ipſe ſibimet accerſierat, pavidus, latebras quærebat: Samariæ ſe mœnibus, & arci, contra vim Aſſyrii Martis, includens. *Salmánaſar* autem impunè primò regnum omne Samariticum pervagatus; obſiſtente nemine, prædas, incendia, quæque cætera, belli licentia ſecum affert, exercebat. *Vitulum* item *Aureum*, qui *Béthele* jam ſolus reſtabat, dejectâ columnâ, cum cæteris ſacris

Ruina Ieroboami.

profaniſque ſpoliîs, aſportavit (ϑ): Ut adeò poſthac miſerrimis Iſraëlitis *Numen* ſupereſſet *nullum*; quippe, qui *Deum verum* jam olim à ſe proſcripſiſſent: & tunc *Deos*, etiam *falſos*, amiſiſſent. Pervaſtatô verô, magnâ celeritate, nec minore paſſim clade, regnô, *Salmánaſar*; eodem adhuc annô, qui fuit *Oséæ* ſeptimus, & *Ezechiæ* Iudææ regis quartus, belli vim omnem in regni caput, *Samariam* (Aegyptio rege ſuppetias altùm diſſimulãte, contra ſpem *Oséæ*) convertit. Hanc, omnibus copiis circumſeſſam; poſtquam armîs, virîs, machinîs, ac balliſtîs, *fame* denique, *quibuſvis tormentîs bellicîs potentiore*, diutiſſimè, ſed fruſtra, fatigâſſet (tanta murorum firmitas erat, & oppidanorum intus obſtinatio) *poſt triennium* tandem expugnavit: *Oséam* vivum cepit (⁑); captum, in catenas & carcerem, ut plebejum ac *ſervile* caput, compegit: urbem diripuit: incolis arma detraxit, ac libertatem. Omnibus denique, quorum cauſsâ venerat, in regno Samaritico compoſitîs, ac ſub arbitrium ſuum redactîs; *Regnum* ipſum *Samariticum*, quod ſub Iſraelitici nomine, *ducentis* annis, & *quinquaginta quinq;* ſteterat, (ι) funditus evertit: *Regémq;*, compedibus ferreiſq; manicîs onera-

neratum, custodiâ quidem eduxit; sed in arctiorem aliam, secum eum trahens in Assyriam, conjiciendum dedit. Quibus in vinculis *Oséas*, non, ut *Rex*, sed, ut exempla novissima meritus *flagrio*, consenuit, atque consumptus est. Ne verò superessent in posterum, qui, more suô, *Reges*, ubi non invenirent, è corpore suo, per factiones, suscitarent; indéq; nunquam finis ac modus fieret, adversùm Assyrios, *in populo, seditionum amantissimo*, rebellandi: *Salmanasar*, quidquid electioris aliquantò populi superfuit, quod non aut in Iudęam, aut trans Jordanem, ad Moabitas, & Arabas, aut in speluncas denique, profundásque sylvas, fugâ se recepisset; in *Assyriam* primò secum transportavit. In *Medorum* deinde regiones, urbésque; nominatim autem, *Halam*, & *Háborem*, aliásq;, flumen *Gozánem* adjacentes, (κ) eos trajecit. Est autem *Gozan*, amnis ingens; in mare se Caspium evolvens: *Ortelio*, citra controversiam, *Araxes* appellatus. (λ) Qui fluvius cùm, ad Occidentem Solem, Armeniæ Majoris partem aspiciat; à Cori látere Colchos, & Ibéros, ac Ponti viciniam; ad Ortum verò, Mediam, Hyrcaniam, Bactrianam; ad Austrum autem, fines Persidis; ad A-

Ruina Ieroboami.

quilonem denique Septentrionúmque latera, Scythas, hinc quidem Europæos, illinc autem Asiaticos: minimè mirandum sit, ab recentioribus Divinorum voluminum expositoribus, Israëlitis his, à *Salmanasare* novissimê terrâ majorum suorum abstractis, loca nominum, tam inter se diversorum, assignari. Præter eos enim, qui, cum divinis monimentis, eos *in civitatibus Medorum* constituerũt, sunt, qui partem decem tribuum illarum in *Colchos* & *Ibéros* (μ) abducant: argumentum è *Circumcisione* petentes, quâ *Colchos* in infantes masculos uti, tradat Herodotus. Sunt alii, qui *trans Medorum Persarúmq; montes*, eos passim in *Septentrionem Orientis* effundant; quibus in locis, dictu mirum est, quàm multa suæ gentis millia reperisse se, confirmet *Benjaminus, Jonæ filius*, inquilinus Cæsaraugustanus, Israëlites: qui multos eorum, in montibus Haphtoniis, Chaldaicâ, refert, hodiéq; linguâ solitos uti. (ν) Sunt etiam, qui cum *Genebrardo* credant; à magna *Captivorum* illorum parte *Scythiam* insessam esse *majoris Asiæ*; non eam modò, quam *Catayum* hodie nominant, ubi multitudines sunt Israëlitarum: verùm &, quam *Tattariam*, ac perperam Tartariam, appellamus.

In hac enim *Hordas*, quas vocant, ſeu cœtus multitudinum nonnullos, adhuc retinere nomina, perhibent, tribuum Danis, Zabulonis, ac Nephthalææ: non ſine quibuſdam aliis originis Hebrææ monimentis. Genebrardus quoque ſuſpicatur; Occupatam à translatis Iſraëlitis fuiſſe *Tartariam* illam, quæ, Septentrionalis Orientis in angulo conſtituta, ſolitudinem Belgianam adjacet: ex eáque, *Cingi* quodam duce, ſub annum poſtea Chriſtianum milleſimum ducenteſimum, erumpentes, imperium repentè *Magni*, quem vocant, *Chami* conſtituiſſe. *Tartaros* autem hos, *Mahometis* deinde legem exſecrãdam tantò proniùs acceptaviſſe: quòd, ab Hebræis oriundi, *Circumciſionem*, à puerilibus jam olim annîs, ſecum circumferrent. Non deſunt etiam, qui, *Scythiam* ab eis *Europæam*, ſignatéque, *Ruſsiæ*, *Sauromatarum*, *Livonum*, ac *Moſcorum*, terras impletas eſſe, perſuaſum habeant: ob eam, quæ reperitur in illis, Hebræorum multitudinem. Nonnulli verò, longiùs adhuc multò captivos illos projiciunt: &, in *Americam* quoque delatos, cum Genebrardo contendunt. Argumento ſunt illis; ſepulcrorum ſaxa ſubterranea, notîs Hebraicîs vetuſtiſſimîs inſcripta,

pta, majorúmque noſtrorum memoriâ refosſa. Quibus equidem haud repugnârim. Intercedit autem eorum opinioni *Salianus*: qui, poſt *linguarum* potiùs *diviſionem* ſtatim, adeóque ſub Diluvium Noachæum jam dilapſum, Hebraicæ linguæ ſcientes, eò delatos eſſe, cenſet. (ξ) Ad ſummam! Ingens hæc fuit Iſraeliticæ gentis, latiſſiméque ſtrata, *Ruina*: quæ *tribuum decem* populos, ſabuloſi pulveris aut palearum inſtar, è vaticinio Moſis, ad *quatuor cœli cardines*, ac *Ventos*, diſſlavit. Et quanquam etiam tum in Chanaanitide, Moabitarum, Arabum, & Iſmaelitarum, abſtruſioribus terrîs, Iſraelitæ complures, inſcio Salmanaſare; vulgus item humile, conſciô, remanſerint, ad quos, progreſſu temporum, hinc indè captivorum & exulum, alii ſub alios, clam reverſi ſunt: tardiſſimè tamen, immò nunquam in ſolidum, ad priſtini ſtatûs ac gentis florem ſeſe recollegerunt. Neque mirum id fuit: cùm, præter *viraginem* unam *Juditham*, ſui ſexûs ætatíſq; Principem (quæ tamen & ipſa, multîs pòſt annîs, ſub *Manaſsis*, Judeæ regis, principatu vixit) nihil ibi *Regium*, veréque *magnum*, extiterit. Simul autem, & *coloniæ*, quas in regnum Samariticum deduxit Aſſy-

Ruina Ieroboami.

Aſſyrius, improbæ ſacrilegæq́; nationes; progeniem Iſraeliticam colluvione ſuâ mixturáque corrumpebant. Erant autem hi, quos indicavi, *coloni*, quiſquiliæ *Babyloniorum*, & *Avahæi*, *Cuthæique*; *Deſertæ*, quam vocant, Arabiæ *latrones*, & incolæ. Præter hos, *Emathitidis*, ad Libanum, ac Damaſci fines, & *Sepharvaææ*, maritimæ regionis, barbari cultores. Quos, cùm initiô, *Leonum* ſolitô-ferocior, ac denſior multitudo locîs omnibus, ac palàm, invaderet atque laniaret; *eò, quòd terram auderent incolere, quam ſibi cultuiq; ſui Deus, antiquitus jam, ſepoſuerat:* edocti poſtea legem cæremoniáſque Moſaicas; in impietate tamen ſuâ nihilo ſegniùs pergebant: ſingulæ gentes, ſingula, ſub ſimulacris ſuis, *Dæmonia* barbarica venerantes. Et hæ ſic, immiſtæ genuinis Hebræis, vivebant; ut hos, ſuæ pravitatis exemplîs, inflammarent; tandémque nomen eſſet infamiæ, *Samaritam*, (hoc eſt, *partim Moſicolam, partim Cacodæmonum cultorem*,) eſſe. Prognati ſunt autem ex his barbarorum fæcibus, mortales perfidi; rerum novarum, ac ſeditionum, ſtudioſi; principum legitimorum contemptores; prædones, & ſicarii. quorum è numero fuêre, qui poſtea vivum concremârunt

mârunt *Andromachum*, ab Alexandro Magno Syriæ componendæ præpoſitum (ο). Ex eodem genere nationum deſcendêre; qui *Garizæi montis* templum, Jeroſolymitano templo, non ſine religionum maximis pernicioſiſſimíſque turbîs, oppoſuerunt. Ex iiſdem denique provenêre, *Sicariorum*, ſectarúmque ductores, & antè Chriſti Servatoris ætatem, & poſt eam; *Dosîtheus*, ac *Simon Magus*: peſſimus uterq; ſuorum temporum *hæreſiarches*. Illi quoque, qui cum *Sadducæis*, Atheorum deterrimis, *Spiritum, Angelum, Corporúmq; Reſurrectionem*, cum Animorum immortalitate negabant; ex horum *Serpentum* nido prorepsêre: Divinorum voluminum auctoritatem omnem, præterquam *Moſaici Pentateuchi*, ſubruentes. (π) Tolerabile tamen utcunq; malum hoc fuiſſet; Samariæ ſolius, aut univerſim, Chananææ terras, hac, quam dixi, mortalium ac ſectarum peſte tunc infectas eſſe: ſi modò ſuîs ſe finibus oríſque tenuiſſent; nec in omnem reliquum ſe terrarum orbem diffudiſſent. qui cùm reliquias pernicioſi ſimulacrorum cultûs, ac *Vitulationes*, unà cum Moſaicis legibus, retinerent: in nefariis ſuis erroribus contumaciſſimè perennârunt.

nârunt. Sed nimirum, & ipsi *Samaritæ* posterîs temporibus, etiam longè post Christum, Orbi jam toti patefactum; *hæresî* teterrimâ Religionem sanam, ac rebellionibus turbulentissimîs Orientem, exagitavêre, sub Imperatoribus potissimùm *Justiniano, Justinóque Juniore*: sacris passim Imaginibus exterminatîs; sibíque (si Superis placebat) etiam Rege creato (ρ). Præter *Samaritas* autem, *Israëlitæ* cæteri, *tertiùm* ab Assyriis, utì dixi, *Capti*, sed *plusquam millies*, in omnes terræ nationes, *dispersi*; paucissimîs exceptîs, qui Christi subinde leges ac Sacra recepêre: venenatîs *Thalmudi* sui rivîs terrarū omnem inundaverunt ambitum. Quorum cum exsecranda deliriorum pertinaciâ, nostrîs adhuc temporibus, & in ipsa quidem *Europâ*, sic conflictamur: ut nos, non *gens* modò, sed ipse sæpe *gentis numerus*, fatiget. Fuit enim, cùm una nonnunquam urbs, paullò populosior, Hebraici nominis capita plusquā viginti, vigintíve quinque, millia numeraret. (σ) Quis igitur (ut aliquando suum adnaviget portum ista narratio) non videat, & *magnitudinem* Israelitici *Casûs*, & *multitudinem*? illam quidem, è *Novendecim* ordinè *Regibus* (τ), ad Tartari profunda

funda deſcendentibus;&illic ęternùm (proh dolor!) ſedentibus, ac ſeſſurîs: iſtam autem,è continente, tam numeroſæ gentis, ad uſque mundi finem, interitu. Quem geminat,tam præſentis, quàm futuri ſtatûs, infeliciſſima calamitas,atque ſtrages.

XII. Sed (per omnia ſacra profanáque te rogo, lector) quis hanc tantam ſempiternorum Ignium neceſſitatem, *Iſraëlitis*, ſive *Regibus*,ſive *Populis*,injunxit? Quis,è Solio vitáque,florentes quondam, ad Incendia, fine caritura, detraxit? Profectò, non *DEVS*; *cui proprium eſt, miſereri ſemper, ac parcere*; ſed *ſingulorum* & *omnium*, ſpontaneus impetus;prava voluntas; & peccandi libido. Nempe,Deo retrahente; Prophetîs reclamantibus; lege Moſis contrà ſtante; prodigiîs, beneficiîs, minîs,ac pœnis, dehortantibus; tamen ſuas ſinguli cupiditates,pro Deo, Prophetîs,lege,monitîs,habere ſunt auſi.Quódq; *Jeremias* poſtea, de ſui Sæculi ſceleſtis Iudæis conqueſtus eſt; hoc de Samariticis, & Regibus, & colonis, plangere non intermiſiſſet: *Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum; tanquam Equus, impetu vadens ad prælium.* (v) Ac *Reges* quidem Iſraelitas,ut *Vitulorum* ſacrilegum cultum excogi-

cogitarent, & â semel excogitato nunquam avellerentur; *Ambitio* pessum dedit, Regnique retinendi præposterum studium. *Prudentia* sanè mortalium, *Dei spiritu* carentium, sed Deo, planè *Stultitia*! Sapientia, non cœlô descendens, sed (pace vestrâ, Machiavellistæ!) *terrestris, animalis, Diabolica*! (φ) Perdidissent (inquis) sibi posterísve suis, Israelis imperium; si populus ad Judææ reges se retulisset. At, *ob id ipsum*, perdiderunt; Deo diffidentiam eorum plectente: non amissuri, si, Deô nixi, formidines humanas despuissent. Finge tamen; Populô *Jerosolymam*, & non ad *Vitulos*, eunte, regnum Israeliticum ad Domum Davidicam, Judææque reges, fuisse rediturum. Numquid igitur, ut tu decem annos, trigintáve, vel quinquaginta, principeris; amittere perfidia tuâ, *Vitulorúmq;* cultu, consultum putas, *Regnum omnium Sæculorum*, & *Æternitatis Imperium*? O, te, dementissimô quovis dementiorem! qui, post Mosen ac Prophetas, ne tantillum quidem adhuc sapis; quantum nunc obvius quisque *legulejus*: *In humano nimirum Solio te non posse Perennem esse: Sceptrum tuum, suápte naturâ fragile, paucorum fore mensium, aut annorum*: pro cujus proinde tutelâ,

Ruina Ieroboami.

non ſit inimicus tibi capiendus ille, *Cujus poteſtati nemo reſiſtere poteſt: nemóq; reſiſtit aliquando; ſimúlque pacem habuit;* (χ) *ſub quo curvantur & hi, qui mundi machinam portant, atq; circumagunt.* (ψ) An verò tu ſolus ignorabas, quod vel cæci vident; *Regnum tibi præſens, præſenti ſaltem cum vita periturum: nec ullum Opus humanum durare ſemper; mortaliq; labore, nihil effici perpetuum & immortale* (ω). Regum autem Regem, tuæque defectionis ultorem, nec mori poſſe; nec unquam ſuum finire principatum. Sed quæſtus (inquis) ingens, è populi defluxu, fiſco fuerat regio deceſſurus, *vectigalium* ac tributorum *imminutione, quæ Regnorum anima ſuccúsq; ſunt*; & Populus, *Vitulinorum* ſacrificiorum dulcedine depulſus, alienior à rege prohibente, majeſtatem illius enervaturus erat. Hoc nimirum, hoc ipſum eſt, Interitûs regum Iſraeliticorũ lethale punctum: quod idem, noviſſimîs hîs mundi Sæculîs, Principum haud paucos evertit, ut antiqua Sacra convellerent; novaríque religiones, permitterent, & amarent: *Populo* nempe *ne diſplicerent*; & ſuas interim opes amplificarent. De quo, ſiquis fortè dubitat; eamus in exempla ſanè neminem deſignan-

gnando, multò minùs nominatim exprimendo, sed ea duntaxat, quæ palàm Orbe gesta sunt, & in Acta monimentorum publica venerunt, generatim, tanquam nudas in lineas, colore destitutas, mittendo. Testis erit horum, Britannia; testis, magna Germaniæ pars: & Aquilonares, vel Insulæ, vel Chersonési, vel Regna, provinciæ, populi, Civitates. Exarsit alicubi vulgus, in studium *hæreticarum* Opinionum, ac librorum; non sine minîs, obsequii, siquid sibi negaretur, excutiendi. Permissa *Religionum libertas* est, ab altiore potestate: concessi Doctores, *errantes*, *& in errorem mittentes*: indulti libri, conciones, cœtus, in præcipitia pertrahentes? Ut POPULO PLACERENT, tam Optimates, quàm illæ tenebrionum FABULÆ. Displicuit alibi (*sed ubi*, *quæso, non?*) amara, Sacerdoti peccata detegendi, necessitas; non vulgo magis, quàm principi magistratuísque. Displicuit, legem illam, è Divissimo jure, Sacrísque codicibus, urgens, Romani Pontificis *interpres* Potestas. Statim igitur obviîs est amplexibus excepta doctorum, corruptorúmque, *tribus* illa, *largè manicata barbatáque*: quæ *delictorum* accuratam *Confessionem*, *Claviúmq; Pontificalium*, vim ac præ-

Ruina Ieroboami.

ac præceptum, eluderet. Adjecit Principum aliquis, aut Regum, aut alio quovis titulô Dominantium, mentem ad libertatem vitæ, libidinúmque licentiam: adjecit ad divites *Episcoporum*, *Abbatum*, Sacerdotiorum, *Cœnobiorum*, ac Basilicarum reditus, animum. Quæsivit igitur, ac celeriter invénit, éadem cupientes, approbantes, suadentes, *Ganeones*, *voluptatum amatores*, *alienorum raptores*; qui plebi, rudi, nec disparia sitienti, scriptîs & concionibus instillarent, *Divinarum legum intolerabile*, proptereáq; salvâ conscientiâ rumpendum, *onus*: quíque Romanæ Cathedræ totam auctoritatem *à fundamẽtis* (ut ipsi somniabant) exscinderent. In eundem modum, de *Conjugiis* est actum. Nam, sicui potentium sua displicuisset *uxor*, amore pellicis: *Præconem* reperiebat aliquem aut conducebat, *proletarium*; *multarum mulierum virum*; *lascivum hircum*: qui matrimoniorum, sub unum idémque tempus, adhuc vivâ priore conjuge, multitudinem laudaret. Ipsi verò, *Præcones* tales, è cucullis, aut antrîs educti, tam laxæ sententiæ suæ præmium à Principibus suis istud accipiebant: ut diffibulati, Romaníque Sacerdotii legibus exsoluti, gignerent, *crescerent*, *ac* *mul-*

Ruina Ieroboami.

multiplicarentur. Hoc videlicet erat; *Pro Vitulo* (quod vulgò dicitur) *Taurum exſolvere.* Sic hi, remunerationibus hujuſcemodi provocati; diruebant invicem *Eccleſiæ præcepta*, carnivoris & obeſis Primatum virorum ventribus præmoleſta. Vota deſtruebant, *Operúmq; Bonorum merita.* Virginitatem, unà cum *Virgine-Virginum*, infeſtabant. Purgantes *flammas*, in *fumum*, ac ludibria, vertebant. Infernos ignes extingui, nudâ Fide, mentiebantur. Ad ſummam! Suum unuſquiſque ſibi *Vitulum*, ad ingenium ac vota ſua, cudebat: erectúmque, populo colendum præbebat. Ipſi Magnates interim, capitáque populorum, Reges, Sacerdotes, Pontifices, ac Dictatores, erant: à quibus (ſi Cœleſtibus placet) jus provocandi non eſſet. Hæc Regum Iſraelis, & omnium, poſt hos, imitantium eos, Interitûs ac Ruinæ cauſſa fuit: Ambitio, radíxque malorum Avaritia. *Populus* autem *Iſraëliticus*, undénam periit? Regibus nempe peſſimis, in rebus, longè pejoribus, *libenter* obtemperando; non ſine quodam Excuſationis honeſtæ palliô. quando, naturæ vitiô, comparatum ſic eſt; *Vt, ad quod ſuâ quiſque cupiditate fertur, id Obſequium Neceßitatémque, nominet: & in ſcelere ſuo, tan-*

Ruina Ieroboami.

quam in umbra virtutis, acquiescat. Israëlitarum igitur pars maxima, non tam, quòd *regum* suorum imperiîs adigerentur, quàm, quòd ipsismet volentibus id esset; *Vitulis aureis* Danis ac Béthelis, urbium, & *Herculi Tyrio*, cæterorúmque Deorum ac Dearum Simulacris, victimas cædebant, thus adolebant, genua supplices inflectebant, in delubris, urbibus, lucis, excelsísq; montium arbustis, ac viretis: quoniam id sacrificiorum cœtuúmque genus crassæ voluptariæque gentis sensus ac membra demulcebat. id, quod *Jerosolymis*, ad aras legitimas, ac *Mosaicas* cæremonias, minimè licebat. Ibi namq; *purè Deus, à puris*, hostiarum sobriîs absumptionibus, *adorabatur*. At à simulacrorum cultoribus, *Bacchanalia vivebantur*. Confluebat uterque promiscuè sexus, & omnis ætas. Edebatur, potabatur; ludi fiebant, ac saltantium chori. psallebant in lucis puellæ; concinebant juvenes; ingenuísq; virginibus, ac matronis, immistæ meretrices & prostibula, similitudine morum suorum, ac turpitudinum, accēdebant etiam honestatem. Illic temulentorum clamores; amantium, in lasciviam fractæ voces, & carmina; tibiæ, lyræ, citharæ, psalteriáque, depra-

vabant

vabant animos, etiam caſtos; quippe, vinô jam præoccupatos. Et (ut in *Daphne* fiebat Antiochenâ, *Tempéque Theſſalicis* (*) ac templo Jeroſolymorum, Antiochi temporibus,) in nemoribus quidem, cum ſua quiſque pare, ſecedebat, ubi viſum eſſet, in abſtruſiora lucorum; indulgebátque ſuæ cupidinis intemperantiæ. tanquam id demum eſſet, quod ab ſuis, Vituli, cultoribus, atq; cultricibus, exigerent: *reiq; Divinæ* nulla *dari* conſummatior *opera*, niſi Venere, poſſet. In conſeſſibus autem *Excelſorum*, ut quiſque laſcivientes oculos in alienæ formam defixiſſet; colloquendi datâ copiâ, pelliciebat ad ſtuprum; & adulteria conducebantur, in proximam opportunitatem. Alia denique cuncti generis flagitia fiebant; *Idololatriâ*, *ſcelerum omnium magiſtrâ*, matréque fœcundiſſimâ, ſic eis dictante. Quæ ſpectans *Venerius* ille *populus*; ſub *Vitulinæ*, tam formæ, quàm carnis, epulo delicato (quod, à Vitulorum adoratione, ſemper inibatur) *Divinitatem*, hoc eſt, *Bonum Summum*, ſibi conſtituebat: ideóque nullius ad operis celerem exſecutionem, ac frequentem uſum, ſibi vim à regibus afferri tantopere geſtiebat: quàm, ad *Ventris* hanc *Voluptatem*. In quo profectò facilè

Ruina Ieroboami.

facilè quis *Imaginem* viderit *Evangelicæ*, quam hodie vocant, *Libertatis*, &, rigoris omni lege solutæ, *petulantiæ.* (αα)

Perierunt igitur & *Reges* Israëlis, & *populus*; ab *intestinis* sibi *vitiis* eversi potiùs, quàm ab *externis* Assyriorum *armîs.* Cúmque (quod mirãdum inprimis est) tum vel maximè, magísque postea *Judææ* rex *Ezechias* floreret; cujus anno *sexto* regni, Salmanasar *Oséam* & *Israëlitas* in Mediam abduxit: *Samariticum contrà regnũ* adeò jam à radicibus inchoatâ strage cóncidit; ut *novemdecim* Reges, haud ampliùs *ducentos annos*, & *quinquaginta quinque*, duratione culminis explêrint; Intráque regnum *unius Asæ* Jerosolymitæ, *Sex Israëlitæ Reges* consumpti sint. (ϐϐ) A principio verò regni Jeroboami, *Vitulorum* auctoris, ad Oséæ supremam cladem, non nisi *Tredecim* Jerosolymitæ reges; aut, si cum Flavio Iosepho Reginam Athaliam excludere placeat, *Duodecim*, gubernaverunt. Sed *Israëliticorum* quidem *Regum* plerique, cecidêre *tantisper*, alienæ manûs arbitriô: *Judaicorum* haud plures, quatuor. *Israëlitæ* denique Reges, non solitarii corruêre, sed, cum ingenti populi sui multitudine; barbarorum ferrô concisâ: *Judaici* contrà,

Ruina Ieroboami.

contrà, florentibus adhuc, aut certè sub *Ezechia* saltem revirescentibus, plebis quoq; fortunîs. Sub eodem igitur annorum curriculo, *plures* illic Principes; hîc, *diuturniores*: & *regalium* capitum, pauciores fuerunt in Iudæa *Coronæ*; plures autem in Israële, *cædes*, atque *victimæ*. (γγ) Fit nimirum hoc; ubi *Sceptri* potior est, quàm *Cœli* Deique, cura.

AVCTORES.

(A) *Ecclesiastici capite 47. vers. 21. de Salomone Spiritus Sanctus hæc ponit verba, ad quæ hôc locô allusum est;* Et inclinâsti femora tua mulieribus: dedisti maculam in gloria tua; & profanâsti semen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos, & incitari stultitiam tuam: ut faceres Imperium bipartitum. (b) *Ad fungendum munere suo, egressum esse Jeroboamum, ex urbe regia, patriam suam versùs; agnoscit, cum Josepho, Salianus, in annum mundi 3057. num. 25. Cum Comitatu verò egressum esse, nec ipsi negant; &, post alios, expressè tradit Stephanus Menochius, in caput XI. libri 3. regum: caussámq; addit; Jeroboamum* Salomoni charum, & Quæstorem regium, *fuisse; ideóq; incomitatum ire, vix decuisse,*

Q 5

Ruina Ieroboami.

ſe, vel debuiſſe. (c) *Iidem, quos modò adduxi, auctores; de via ſeorſim abductum, extra arbitrorum oculos, docent; præeuntibus, in hôc, Septuaginta Interpretibus, quorum phraſis eſt;* Et removit eum de via. (d) *Menochius, & cum eo plures alii, dicunt; Salomonis mentem ac decretum fuiſſe, ut Jeroboamum occideret: vel, quòd audiſſet, ei regnum ab Abia promiſſum fuiſſe; vel;* Quia populos ſollicitabat ad defectionem. *Et hoc poſterius ſanè probabiliſſimum eſt auctoribus eruditis: quorum idcirco & ego ſententiam amplecti, non dubitavi: contra opinionem cujuſdam, è recentioribus, ſed claris tamen, Temporum ordinatoribus: cui videtur Jeroboamus,* bonus ante regnum fuiſſe. (*in annum 3057. num. 39.*) *Quod equidem, probare non poſſum, multîs de cauſis; quæ, mea legenti, non difficulter in mentem venient.* (e) *Hoc Flavius Joſephus aſſerit, l. 3. de bello Judaico, cap. 4. &, poſt eum, expreſſiùs, Egeſippus de Excidio Jeroſolym. lib. 3. cap. 6. ante finem. Arbitrantur quoque nonnulli, huc alluſum fuiſſe à Propheta Amos, cap. 4. v. 1. clamante;* Audite verbum hoc, Vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ! (*) *Fuit enim ejuſdem regni, nominiſque, Jeroboamus alius: ut in ſequentibus narrabitur. Qui autem Jeroboamo Primo ſuffecti fuerunt, ii ſunt,*

Nadab,

Ruina Ieroboami.

Nadab, Baaſa, Ela, Zambri: quibus ſucceſſit Ambri, Samariæ conditor. Porrò, Jeroboamus Primus, etſi ſedem ſibi principiò imperii ſui Sichimîs cōſtituerit (uti refertur 3.reg.c.12.v.25.) poſtea tamen, Phanuëla quoq; urbe, vel recens poſitâ, vel reparatâ, videri poteſt, illic aliquamdiu manſiſſe. Cúmq; filius ejus primogenitus, & uxor, memorētur Therſæ *commorati; ſicut narratio ſequens referet: apparet, & Ieroboamum nonnunquam illic habitâſſe, ubi & ſui.* (f) *Ex Brocardo, Chriſtianus Adrichomius, in deſcriptione Tribûs Ephraim, n. 81.* (g) Incredibilem *enim urbis illius* magnificentiam brevibus explicari poſſe, negat *Adrichomius, locô citatô.* (h) *De terra* Chabul, *præter cæteros, Cornelius eruditè commentatur, in caput 9.libri 3. reg.v.13. De fœcunditate verò, ei inductâ, dubitare nō ſinunt, Brocardus, illius inſpector; & Bredenbachius: & vallis Sennimæa (de qua diximus in Ruina Siſaræ, Decade Ruinarum Secundâ) locáque Galilææ-Gentium alia fertilia, ei vel interjecta, vel finitima; quibus aſſiduâ tandem agricolatione ſimilis utcunq; eſt effecta terra Chabulæa.* (i) *Egeſippus, l.3. de Excidio, c.6. ad med.* (k) *Præter ea, quæ ſuper Galilææ amœnitate, glebæq; fertilitate, ex Hodœporico Stephani Gumpenbergii, & aliis, alibi produximus; minimè ſupervacuum*

cuum fuerit, hoc loco, inserere verba quoque Melchioris Seydlizii, Nobilis Silesii, qui anno 1556. Syriam ac Palæstinam adivit, & anno 1557. lustrare perrexit. Is in Ephemeride diei 25. Aprilis ità scribit: Als wir über gemelte Bruggen (Jacobsbruggen / über den Jordan gebaut) zogen / verliessen wir das schöne lustige Land / Galilæa; welches mit ville der Flecken / wiewol sie auch schlecht erbaut / so wol mit Wasser / Fruchtbarkeit / vnd Getraydе / Graß / Vich / vnd anderen / vil Land in Asia vbertriefft. *Hæc ille, linguâ Teutonicâ, quâ solâ Itinerarium illud (quod quidem ego sciam) vulgatum est.* (l) Christianos, *hic desertor, diversis diverso locô convitiis, & maledictis, interdum & Ironiis, immò & factis asperis ac tyrannicis, unâ eádemque operâ, insequitur; atq; in Misopogóne suo, quæ est in Antiochenos invectiva Oratio, pag. 97. appellat* populum, qui Impietatis sectam præelegit, ac sequitur: (*ait enim*, δῆμος ἅπας ἀθεότητα προελόμενος) & *pag. 107. urbes, Antiochiæ vicinas, laudibus extollit, non solùm ex eo, quòd, se imperante, Deorum templa quàm primùm restituerint; sed etiam, quòd sepulcra* τῶν ἀθέων, *id est, Christianorum, omnia, signô à se nuper datô, everterint. Sed nullo (sicut ipse putat) maledictô, crebriùs, & utitur, & oble-*

oblectatur; quàm, quòd Christianos appellitet Galilæos. *Hoc facit Misopogónis pag. 94. ubi Emisenam urbem collaudat, quòd* Galilæorum *sepulcra incendissent. & pag. 114. Antiochenis exprobrat; quòd (inquit) unusquisque uxori suæ mandet, ut omnia* Galilæis *(id est, Christianis Sacerdotibus, Viduis, & egenis) largiantur. Frequentiùs autem longè in Epistolis suis, id agit. Vt, Edictô adversùs S. Athanasium, ad Alexandrinos;* Galilæis, ὑπὸ τȣ̃ μακαρίτου Κονςαντίȣ φυγαδευθεῖσιν, *(id est, Christianis orthodoxis, à Divo Constantio, Imperatore Ariano, in exilium pulsis) se reditum in patriam, non autem Episcopis ad Ecclesias suas, permisisse. Vnde, nec Athanasio se concessisse, ut ad Cathedram suam Alexãdrinam reverteretur. sicut & mox, epistolâ ad Ecdicium, Aegypti Præfectum, denuò eum proscribit, & ut* Deorum inimicum, *& ut caussam, cur, ejus operâ, etiam ab aliis DI contemnantur: & quòd ausus sit, in regno suo, fœminas Græcorum illustres ad baptismum impellere. Epistolâ quoque ad Artabium, bis Christianos appellat* Galilæos- *dicitq;* Διὰ τὴν Γαλιλαίων μωρίαν, ὀλίγȣ δεῖν, ἅπαντα ἀνατραπῆναι, *hoc est, propter* Galilæorum *stultitiam (sugillat tempora Constantini Magni) minimô minùs abfuisse, quin omnia subverterentur. Decretô prætera,*

Ruina Ieroboami.

terea, adversùs Professores ac Magistros Christianæ pueritiæ; præcipit eis, ut eant in Galilæorum *Ecclesias: ibique Matthæum & Lucam interpretentur; & non in Auditoriis Homerum, Hesiodum, Demosthenem, ac cæteros; quorum Deos negent. In Epistolâ insuper, quam ad Aëtium dedit, Eunomianæ hæreseos Pseudoëpiscopum, ait; Se cæteris omnibus, qui à Divo Constantio in exilium acti fuerant*, ἕνεκεν τῆς τ̃ Γαλιλαίων ἀπονίας *(propter* Galilæorum *inertiam ac desidiam) reditum indulsisse. Ipsum autem, memoriâ pristinæ amicitiæ, etiam ad se, in Regiam, vocare. Epistolâ quoque ad Porphyrium Alexandrinum; Georgii (Pseudoëpiscopi Ariani, ab Ethnicis Alexandrinis discerpti) magnam, ait, ac copiosam, fuisse bibliothecam: sed, de* Galilæorum *maximè doctrina permultos in ea, variósque, commentarios extitisse. Quam proinde totam, ad se mitti Antiochiam, jubet: intentatis mortis minis, nisi diligentiam omnem adhiberet. Epistolâ denique ad Ecébolum; de* Galilæis, *ait, omnibus se tam clementer & humaniter statuisse; ut nemini vis inferretur. Quia tamen Ariani, apud Edessam urbem, in Valentinianos irruissent, enormiáq; in eos perpetrâssent; idcirco se eorum pecunias omnes, ab Edessenorum Ecclesia auferri jußisse, militibúsq; dividi; quò faciliùs,*

Ruina Ieroboami.

cilius, *quod illis* ὑπὸ τοῦ θαυμασιωτάτου νόμου (*ab* Admirabilissima *lege, scilicet Evangelii Christi*) *imperatum est, explerent: quò* Pauperes *effecti, faciliùs* ad regnum Cœlorum *pervenirent: neque regnò cœlesti, quod unum adhuc sperent, privarentur. Hæc ille* σαρκαστικῶς, *in* Galilæos *ad illud alludens Christi dictum, Matth.5* Beati pauperes Spiritu! quoniam ipsorum est regnum Cœlorum. *Ex hoc porrò Iuliani Apostatæ loquēdi genere, mos hic, Christianos appellandi* Galilæos, *etiam ad* Indos *tandem, Idolorum cultores, transmigravit. Nam, & apud S. Ioannem Damascenum, in historia Barlaami & Iosaphati, rex Indorum citeriorum, Abenner, antequam Christo se adjungeret, Christi sectatores nominat* Galilæos, *bis. cap.25. & rursus c.26 & cap.32. Idem ipsum &* Theudas *magus facit.* (m) *Theodoretus lib.3. histor. c.20. Vide & Cæsarem Baronium, Annal. Eccles. in ann. Christi 363. num.14. & seq.* (n) *Christianum Adrichomium, si placet, inspice, in Theatro Terræ Sanctæ, descriptione tribûs Nephthalææ, n. 50. ante fin.* (o) *In suo Misopogône, adversùs Antiochenos, pag. 129. editionis in 8. per Petrum Martinium, Morentinum, gente Navarrum, curatæ.* (p) *Ioan. c 4. v.22.* (q) *Actor. c.2. v.7. Nonne, ecce, omnes isti, qui loquuntur,* Galilæi *sunt?*

Loque-

Loquebantur autem Apoſtoli, ac Diſcipuli; Quorum, in omnem terram, *jam ab eo tempore*, ſonus exivit, & in fines orbis terræ verba eorum: *teſte S. Paulo, ad Romanos c. 10. v. 18. ex pſalmo 18. v. 5.* (r) *Numeror. cap. 32. per totum.* (s) *Flavius Ioſephus, paſſim in libris Antiquitatum Iudaicarum, & de bello Iudaico: nec non & Cajus Plinius, l. 5. hiſtoriæ naturalis, cap. 41. Gulielmus item Tyrius, apud Adrichomium, in deſcriptione Tribûs Gadææ, num. 35. Quanquam autem ſanè Egeſippus etiam, libro 3. cap 6. idem fertilitatis encomium, cum Ioſepho, non tam de* Peræa, *quàm de* Galilæa, *prodat: mihi tamen certum eſt; Eorum utriuſque ſaltem* interpretes (*ipſos enim auctores αὐτογλώττους, nunc quidem, ad manum non habui) confusè loqui; & adeò quidem, ut, apud eorum utrumque, deſcriptio Sitûs & Geographiæ, ad* Peræam: *ubertatis autem terrarum, ad* Galilæam, *manifeſtè pertineat. Alioquin enim ipſimet ſecum, in eâdem* Peræa, *& celebrandâ, & infamandâ, circa rem prorſus eandem, pugnarent, ac diſcordarent. Adrichomius tamen in terra Gad, num. 35. ac Tyrius, utì dixi, pro Fertilitatis laude, in* Peræa, *ſtant. Et mea, paullò ante, è Numerorum cap. 32. producta ratio,* Perææ *fœcunditati plurimum auctoritatis addit, ac ponderis.* (t) *lib. 2. Para-*

Ruina Ieroboami.

Paralipom. cap. 13. v. 3. & seqq. (u) *Cornel. à Lapide, in caput 12. libri 3. reg. v. 30. ducentos quinquaginta sex ponit annos regni Israëlitici : Iacobus verò Salianus constanter. 255. Ideo ego, ut aliquid utriusque sententiæ deferrem, particulam adjeci,* Circiter. (x) *Operæ fuerit pretium, propter & verbi divini tractatores, & eos, qui* Scandali *peccatum scriptîs, aut exhortationibus, exagitant, ad calculum vocari loca Scripturæ illa; quibus gravitas annotatur delicti regis Ieroboami,* Qui peccavit, & peccare fecit Israël: *ut audientes, legentes, numerantésque, divinæ sententiæ, toties iisdem verborum tonitruîs repetitæ, fulmina; absterreantur, ab inducendis ad peccatum quibuscunque mortalibus; ne judiciô se onerent intolerabilî. Sic igitur, ut expressi, loquitur Spiritus Sanctus, lib. 3. regum, cap. 13. versu 16. Capite 15. v. 30. & ad cap. eiusdem ipsum finem. Capite 16. v. 19 Capit. 21. v. 22. & 53. & rursus 3. reg. c. 16. v. 13. de Baasa, & Ela, Ieroboami imitatoribus. & de Achabo, lib. 3. reg. cap. 21. v. 22. Quartô præterea Regum libro, cap. 3. v. 3. & capite 10. ejusdem libri. v. 31. & cap. 13. v. 2. & v. 6. & v. 11. Capite item 14. v. 24. Capite 15. v. 9. v. 18. v. 24. v. 28. Capite 17. v. 21. vbi verba sunt;* Peccare eos fecit Peccatum magnum; *putà, Idololatriam, peccatorum omnium matricem*

Ruina Ieroboami.

& involucrum. [y] *Suetonius in Iulio, cap. 30. fin.* [z] *Thomas Campensis, de Imitatione Christi lib. 1. cap. 23. v. seu num. 4.* Qui multùm peregrinantur, rarò sanctificantur.

[Aa] *Herodotus Halicarnasséus, lib. 2.* [bb] Schor, *Hebræis est Bos: &* Appaim, *vel* Appim, *Facies, vultus, frontes. quasi dicas,* Bovem-vultuosum. *Et hæc mihi nominis* Serapis *origo, & explicatio, apud Cornel. à Lapide, in caput 32. Exodi, v. 4. potiùs arridet, quàm Iulii Materni, apud Baronium, in annum 389. num. 16. ubi Serapin, seu Sarapin,* à Sara, *vult deductum. Magìs item huic, quàm dixi, Cornelianæ accedo sentētiæ; quàm Philippi Camerarii, docti licèt alioquin viri, ICtique, Reipub. quondam Noricæ à Consiliis: qui in Operis suis Succisivis, cap. 72. ad medium, primam Compositi hujus,* Ser-ápis, *partem ac Syllabam, à σορῷ deductam, existimat: quasi* Sor-ápin *dicas; eò, quòd Sepulcrum [Græcè σορός] cujusdam Apis, Alexandriam deductum, venerationis Serapicæ dederit initium. Quod utiq; de Sepulcro* Bovis *nemo facilè vel interpretaretur, vel crederet [tametsi sanè fando acceperim; nostrâ tempestate fuisse, qui* Canem *Molosßicum, sibi Dominæq; pretiosum, ac morbo extinctum, sex, octóve, si non & pluribus, linteaminibus involutum, sepelierit in horto*

Ruina Ieroboami.

borto suo prætoriano. quod liberalitatis officium cadaveri humano & Christiano defuncti pauperis, sine dubio negâssent]. De Api *igitur, non* bove, *sed* rege, *Aegypti, capiendus Camerarii locus est: de quo nos hoc loco non loquimur. loquimur autem paullò pòst. Cæterùm, quod de hoc eodem* Api, *rege Aegyptiô, & Iosepho, Aegypti-totius, tempore septennis famis, nutritore conjectavi: aliquid ejusmodi, jam olim, Ruffinus etiam prodidit. quod, hîs jam scriptîs, & apud Cæsarem Baronium reperi, in annum Domini 389. num 16. quanquam, è suspicionis origine, nonnihil diversâ.* [cc] *De hoc Ariete, Curtius Rufus quoq; memorat, libro de rebus gestis Alex. Magn. 4. cap. 7.* [dd] *De hoc Api,* vivô *bove, non solùm Cornelius à Lapide nonnulla habet, in caput 32. libri Exodi, v. 4. sed etiam Cornelius Tacitus, l. 5. Historiarum, longè post initium. Clemens lib. 6. Constitution. cap. 20. Lactantius Firmianus, lib. 4. Institutionum, c. 10. Marcellinus lib. 22. Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 2. & Philippus Camerarius, Meditationum Historicarum cap. 72.* [ee] *Opus ac labor fuit, Bryaxis artificis; impensa, Sesostris, Aegyptii regis. De gemmis, contritis in pulverem usque, & in materiam statuæ Serapidis redactis, Ruffinus habet, lib. 2. cap. 23. & Clemens Alexandrinus, ad*

R 2 *Gentes.*

Ruina Ieroboami.

Gentes. [ff] *Cæſar Baronius, in annum 362. n. 6. De picturis autem, & Imaginibus* thoracis, *idem, in annum 389. num. 17.* [gg] *Ruffinus, l. 2 hiſtor. Eccl. cap. 23. quo loco idem auctor, ac poſtea ex eo, Camerarius citatus, Demolitionis illius ſimulacri narrationem, haud inamœnam, inſtituunt. quam, ſi noſtri fuiſſet inſtituti, hîc non prætermiſiſſemus. Vide & Calliſtum in Theodoſio.* [hh] *Cœlius Rhodiginus, Antiquarum lectionum lib. 1. c. 34. & aliquid etiam Baronius, in ann. 389. num 16.* [ii] *Exodi 32. v. 28.* [kk] *Suſpicatur etiam Cornelius; Ieroboamum, ad conciliandam ſibi gratiam Seſáci regis, coluiſſe in Aegypto* Apin, *Vituli ſpecie proſtantem: ac poſtea, occupatô Roboami regnô, ſperâſſe; ſe Aegyptiorum auxiliô faciliùs Iudæis reſtiturum. Ità opinatur, in caput 12. libri 3. regum, v. 28.* [ll] *Non illam, quæ trans Iordanem erat ſita; de qua dixi Decade 2. in Abimelecho & Gedeone: ſed aliam, quæ in tribu Ephraim, ultra ſepulcrum Ioſephi patriarchæ, verſùs Zephyrónotum jacebat. Vide Adrichom. in deſcriptione Ephraim, num. 75.* [mm] *Exodi cap. 34. v. 23.* [nn] *Hoc Iacobi Patriarchæ, de tribu Iuda, vaticinium fuit, Geneſ. 49 v. 10. quod nec Ieroboamum latére potuit, nec cæteros decem tribuum Iſraëlitas. Hujus autem, id eſt, Iudæ tribûs,* con

contribulem fuisse, Davidis omnem familiam, quis nescit; nisi, qui omnia ignorat? ac patet ex 1. Matthæi, & Lucæ 3. capite. [oo] *Vbi namq; Vulgata nostra legit* VITULOS; *ibi Septuaginta, &, ex his, Cornelius â Lap. in caput 32. Exodi, v. 4. Salianus item, in annum mundi 3061. num. 14. ex Iosepho, Ruffino, Tertulliano, Sulpitio Severo,* VITULAS *legunt. Immò Cornelius, Commentar. in cap. 12. libri 3. regum,* VITULARUM *tantummodo* CAPITA. *Ego tamen, Vulgatæ versionis Latinæ, Scriptorúmq; probatißimorum, vestigiis insistens; nequid novarem,* Vitulos *constanter, & ubique, retinui.* [pp] *Controversa non parùm hæc* Bethel *est, propter diversas complures, eásque cognomines inter se, urbes Betheles: ut videre est apud Cornel. à Lapide, in cap. 12. libri 3. reg. v. 29. & Adrichomium, in descriptione tribûs Ephraim, num. 27. Mihi placuit, amplecti* Cornelii, *Menochii, aliorúmque sententiam, ut communiorem.* [qq] *Genes. 28. v. 19.* [rr] *Iudicum cap. 17. & 18.* [ss] *Hæc vox,* Postea, *idcirco additur, hôc locô: quoniam Tabernaculum, illiúsque Cherubini, post Primam demum Aurei Vituli adorationem, fabricata sunt; ut constat è cap. 36 Exodi, v. 37. Præcessêre tamen aliquammultis sæculis adorationem Vitulorum Aureorum illam, quæ sub Ieroboamo, posterísque regibus*

Ruina Ieroboami.

bus Iſraëliticis,increbuit, [tt] *cap.10.v.14.* [uu *De hac Cherubini formâ, ac voce, per metatheſi diversè mutabilî; inſpice Cornelium à Lapide, i caput 25.Exodi,à v.18.uſque ad verſ.21.excluſivè per aliquot paginas.* (xx) *Oſeæ cap.4.v.2.* (yy *Oſeæ cap.4.v.1.* (**) *Lutherum rectiſsimè ſcri pſiſſe*, Fidem ſolam ſufficere ad ſalutem,*bo ipſo tempore, quo hæc condimus, etiam Martinu Beer, ſeu Vrſus, Norimbergenſis Prædicans, defen dere contendit; Colloquiò, de Invocatione Sancto rum mortuorum,à numero 106.uſque ad num.114* (zz) *Deuteronomii,capite 6.v.4.*

(Aaa) *Lege lib.2.Paralipomen. cap.11.ver 25.* (bbb) *Paralip. cap.XI.v.14.* (ccc) *Ibid.v 16.* (ddd) *3.reg. cap.19. v.18. quo loco Deus ai* Et derelinquam mihi ſeptem millia virorum *Ac S.Paul.Roman.11.v.4.* Relíqui mihi (*in præ terito*) 7000. virorum. (eee) *3.reg.cap.18.v.1* (fff) *Tobiæ 1.à v.1. uſque ad v.9.* (ggg) *Nu meror. cap.26.v.2. ac per totum caput reliquum uſque ad v.51.* (hhh) *Lege lib.2.Regum, ca 24.& lib.1.Paralip. caput 21.uſque ad v.7.* (ii *2.Paralipom. cap.13.v.3.* (4) *Vide libr. quar tum Regum,cap.17.de ſceleribus Iſraëlitici regn* (kkk) *Ità loquitur S.Ioan.Apocalypſ.c.6.v.1* (***) *Satis, è modo loquendi Sacræ Scriptur app*

appáret; Ieroboamum, antequam regni Quæstor, ac deinceps Rex, fieret; industriæ majoris, quàm nobilitatis ac natalium, fuisse, vel Opum. Expende librum 3. Regum, capite XI. versu 26. Verba item, libri 2. Paralipom. cap. 13. v. 6. Tametsi interim non eam inficias; Tribum Ephraimi (utpote filii, Iosephi illius Magni, Proregis Aegyptii) cæterîs quibusdam tribubus, quæ de Bala ac Zelpha ancillîs ortæ sunt, fuisse generosiorem. Nego tamen, omnes illius tribûs, æqualiter fuisse conspicuos, & opulentos. (lll) *Publ. Terent. Afer, Eun. Act. 2. sc. 1. ad finem.* (mmm) *Sic, in illo tersissimo Epigrammate, Poëta Romanus ἀνώνυμος lusit, apud Tranquill. in Tiberio, cap. 59.* (nnn) *De isto, Sacer Scriptor hæc ponit verba; 3. reg. cap. 13. v. 1.* Et ecce, vir Dei venit de Juda, in sermone Domini, in Bethel; Jeroboam stante super altare, & thus jaciente, &c. *Hujus ergo* Viri-Dei *nomen à divina Scriptura non proditur. Prodere conati sunt, extra Scripturam, alii; neque pauci: sed sanè usque adeò diversè variéque, ut vel hinc quoque luceat; Quàm inanem frivolámque vulgò sibi sumant operam, quicunque,* divinîs *destituti seu codicibus, seu Revelationibus ac Traditionibus, tamen* divinare *conantur. Hunc enim Vatem cœlestẽ, Flavius Iosephus,* Jadon *appellat: Adrichomius,*

Comestor, Dionysius Richelius, Nicolaus à **Lyra**, *Nicolaus Serarius, Gasp. Sanctius,* Addo. *Hugo Cardinalis,&* Addo, *&* Gad. *Divus Epiphanius,* Joam; *Tertullianus,* Semejam; *Clemens Stromatêus,* Samejam; *Theodor. & Glycas,* Joëlem. *Quanta, rogo, diversitas est ista? Tot pene nomina, quot nominantium capita. Quocirca, nos tutiùs eum, unà cum Sacro Scriptore, reliquimus innominatum.* (ooo) *Ità Christianus Adrichomius, in Chronologia suâ fusiore, in annum mundi 3970. sic fortaßis interpretatus verba libri 3. reg cap* 13. *v 33.* Quicunque volebat, implebat manum suam; & fiebat Sacerdos Excelsorum. *Quæ tamen verba Cornelius, cum aliis, aliter aliquantò exponit: ità tamen, ut sententiam Adrichomii non evertat.* (ppp) *Sic sentit Iacobus Salianus, in ann mun 3078 num. 2. fin. Neque reperi, qui dissentiret.* (qqq) *Hæc eruuntur è Septuaginta Editionis Romanæ. in quibus mulier hæc* Ano *dicitur: & Soror major Reginæ Aegypti, Taphnês. De alterius Sororis ejus, hoc est, minoris natu, nuptiîs, cum Adado-Idumæô, generis regii juvene; habes libr. 3. reg. cap XI. v. 19.* (rrr) *Libro de regibus Apostaticis, ad Constantium Augustum, sectæ Arianæ hyperaspisten acerrimum.* (sss) *Verba sacri Scriptoris, lib. 2. Paralip. c. 13. v. 20. sunt ista.* Nec valuit

Ruina Ieroboami.

valuit ultrà resistere Jeroboam, in diebus Abia (*Judææ regis:*) quem (*id est, Jeroboamum, ut Salianus, Cornelius, & complures alii, exponunt*) percussit Dominus: & mortuus est. (ttt) *Allusum est ad illud Proverb. 17. v. 11.* Semper jurgia quærit malus. Angelus autem Crudelis mittetur contra eum. (uuu) *Sententia hæc est Jacobi Saliani, in annum mundi 3081. num. 2. Alphonsi Tostati, quæstione 84. & Stephani Menochii in caput 13. libri 2. Paralip. ad finem.* (xxx) *Sethus Calvisius, Joan. Cluverus, Christoph. Helvicus,* Wilhelmus *Stratemannus,* Baësam *appellant eum. Thomas Lydwatus Anglus,* Basam, *&* Bassám. *Jacobus Cappellus,* Bahesam; *syllabis dissolutis; ut & Roboamum dissolvit in* Rehabeamum, *Helvicus. Vulgata autem Editio, cum Patribus, & Antiquitate,* Baasam *constanter scribit.* (yyy) *Ista Saliani, cæterorúmq; complurium, sententia est;* Ne fœminam *quidem ullam, crudelitatem Baasæ effugisse. (in ann. mundi 3085. num. 3.)* (zzz) *Haud absurdè Jacobus Cappellus, hanc ipsam belli caussam, si non, adæquatam, at certè primariam fuisse, mibi videtur conjectâsse, in ann. mun. 3053. cùm ait.* Hoc annô, videtur Asa, Mahacæ, matri suæ, Absalomi filiæ, regiam auctoritatem detraxisse; atq; hæc fuisse caus-

Ruina Ieroboami.

ſe cauſſa, cur, hactenus pacificus Baheſa, deinceps omnibus regni ſui diebus, Aſam bellô infeſtaret. *At Jacobus Salianus aliam quoq; cauſſam addit: quòd videlicet Aſa urbes aliquot montis Ephraim regno ſuo, jure belli victoriæque, reſtituiſſet. (in ann. mun. 3090.)*

(Aaaa) *Vide Salianum, in annum mundi 3100. num. 2. fin.* (bbbb) *Flavius Ioſephus, l. 8. Antiquit. cap. 7. De Ioramo verò, fratre tumultuarii regis Thebnis, habent Septuaginta Interpretes, apud Cornel. in caput 16. libri 3. regum v. 22.* (cccc) *Deduco hoc ex libro Budæi, de Aſſe: & doctrinâ Cornelii, in caput 18. Matthæi, v. 24.* (dddd) *Obſervârunt iſtud, tum alii, tum noviſſimè Stratemannus etiam, in Theatro ſuo Hiſtorico (quod Ienæ vulgavit anno 1656.) in annum mundi 3016. Et ſanè res ipſa, ratioque, dictabant, Sic ea regna nominari deinceps, ac diſtingui, oportere.* (eeee) *Vide, hoc locô, Salianum, in annum mundi 3119. & Toſtatum, in c. 3. lib. 3. regum, q. 3. apud Cornel. in cap. 16. libri 3. reg. v. 31.* (ffff) Ithobalum *Cappellus eum nominat: ac Tyrii Annales* Ithobalem, *apud Stratemannum in regibus Regni Iſraëlis, in annum 3025.* (gggg) Aſtarótham *Deam Cappellus vocat, in ann. mun. 3056. Aſtarthen autem, Ioſe-*

Iosephus l. 1. *contra Apionem. Cappellus, ibidem etiam interpretatur nomen* Etbahal : *dicitque, Quod Græcis* σὺν θεῷ, *Latinisque*, Si Deus annuerit; *id esse Tyriis (ac Sidoniis)* Et-Bahal, *id est*, Si Bahal dederit. *Hunc porrò Ethbaalem, & Tyri fuisse & Sidonis regem, Cornel. ait in c.* 21. *l.* 3. *reg. Et Stratemannus, loco cit.* (hhhh) Libidinosam, *ac* veneficam *quoque fuisse Iezabelem hanc; satis indicio sunt verba Iebu, regis novi,* 4. *reg. cap.* 9. *v.* 22. *ad regem Ioramum.* Adhuc fornicationes Jezabel, matris tuæ, & veneficia ejus multa, vigent. (*nisi* Fornicationum *vocabulô, ut sæpe in Scriptura sacra, mysticas intelligi malis, hoc est, Idololatriæ crebros actus*). *Sed* libidinum *indicium facit etiam versus* 30. *ejusdem capitis*; Depinxit (*Iezabel*) oculos suos stibiô : & ornavit caput suum : *cùm tunc tamen jam olim Vidua esset, & anus. Ac revera, quænam esse pudicitia poterat, in muliere, tam profligatæ vitæ, támque addictâ insanis Idolorum cultibus : ex quibus omnia alia, præsertimque Carnis, vitia scaturiunt?* (iiii) Veneficia *ejus* Multa, *arguit interfector illius Iehu.* 4. *reg. cap.* 9. *cit.* (kkkk) *Hoc significant verba S. Scripturæ* 3. *reg. cap.* 21. *v.* 20. & 21. Venundatus est, ut faceret malum; *sicut explicant Abulensis illic, & Cajetanus.*

Ruina Ieroboami.

nus. (llll) *Sic versum 39. capitis 22. libri 3. regum, exponit à Lapide, ibid. & Gaspar Sanctius, in cap. 3. Amos.* (mmmm) *Iosephus auctor est, lib. 8. Antiquit. cap. 7. ante med.* (nnnn) *Capite namq; 18. libri 3. reg. v. 19. ait Elias Achabo;* Congrega ad me * Prophetas Quadringentos Quinquaginta, Prophetásque lucorum quadringentos. *Versu verò 20. ait Sacer scriptor;* Misit Achab, ad omnes filios Israel (*apud quorum oppida scilicet, & pagos, luci Baal dispersi erant*) & congregavit Prophetas (*quos scilicet petierat Elias*) in monte Carmeli: qui erant numerô octingenti quinquaginta. (oooo) *3. enim libro regum, cap. 21. v. 9.* inter primos populi, *ceu Senator, & Iudex, locari jussus dicitur.* (pppp) *De filiis etiam Nabothi, occisîs eodem tempore, habes expressum 4. reg. c. 9. v. 25.* (qqqq) *Lege 4. reg. cap 9. v. 25.* (rrrr) *Hoc apertîs verbîs Salianus tradit, in annum mundi* 3138, *num.* 34. *Et* Biennium Imperfectum *Cappellus quoque agnoscit, in annum mundi 3095. nec dissentit Calvisius. Stratemannus quoq; assentiri cogitur: cùm dicat;* Bienniô (*regni*) exactô, Ahasiam decidisse per cancellos: *cùm tamen id paullò post mortem Achabi, saltémque nondum solidô evolutô annô, acciderit. Fateri itaque cogitur,*

gitur, Eum biennii *illius sui partem potissimam in regno egisse, patre adhuc in vivis constitutò: adeóque regni collegam extitisse.* (ssss) *Stephanus Menochius, in caput 1. libri 4. regum. & Salianus, Græco textui convenienter, in ann. mun. 3138. num. 40. Aliquantò verò idipsum secus, sed Scripturæ parùm concorditer, Iosephus narrat.* (tttt) *Hunc Tertium* Quinquagenarium, *fuisse* Abdiam *illum, Achabicæ domûs* Dispensatorem; *qui Dei veri Prophetas occultè sustentavit,* per quinquagenos, & quinquagenos; *Joannes Jerosolymitanus ait, cap. 15. apud Menochium. Sed profectò, vix probabile est; Abdiam illum ex universæ Domûs Achabææ Procuratore regio, tantopere redactum fuisse in ordinem: ut vel unius cohortis Tribunus, nedum, quinquaginta gregariorum, & unius manipuli, ductor pedestris, fieret.* (uuuu) Regis *namq; appellatione Idumæum illius temporis rectorem S. Scriptura dignatur, locò non unô: exempli caussâ, 4. reg. cap. 3. v. 9. & v. 10. v. 12. v. 13. Cur autem Salianus, & quidam ex aliis, eundem,* Proregem *potiùs dicendum, existimârint: vide, in Annum mundi* 3139. *num. 65.* (xxxx) *Huic autem conjecturæ meæ (videlicet, Torrentem illum fuisse,* torrentem-Zareth) *non obstant verba cap. 3. libri 4. reg. v. 20.* Factum est igitur

Ruina Ieroboami.

igitur manè, &c. & ecce, Aquæ veniebant per viam Edom! *Licèt enim* torrens Zareth, *decurrat ex Orientali plagâ; Idumææ tamen (hoc est, Edom) fines, etiam eò usque versùs excurrunt: & indè etiam ad Asiongaber, (maris Rubri, seu Sinûs Arabici, portum) sicut è tertio regum libro, cap. 9. v. 26. Salianus quoque eruit, & agnóscit, in ann. mun.* 3139. *num. 74. Addo ego: Flavium Iosephum sentire (nec dissentiente Salianô, ibid.)* torrentem *repletum fuisse aquîs, quæ ex* Edom *seu Idumæa, ubi pluerat imbre copiosissimô, à meridiana cœli plagâ, Septentrionem versùs, adeóque, in terræ Moabitidis extremos terminos fluitabant. Vbi proinde necessariò* Zareth torrens *exundavit. Quare, dicuntur* per viam Edom, *seu Idumææ* venisse, *in alveum* torrentis Zareth. (yyyy) *Omnes hæ, quas posui, caussæ concurrere potuerunt.* Primam *tamen, videtur Scriptura ipsa satis nobis ingerere: cùm libro 4. reg. cap. 3. v. 22. ait;* Primóque manè surgentes, & ortô jam sole, ex adverso aquarum (*quod fieri utique potuit; si apparatus ille, ad prælium, contigit circa Autumni exitum, & prope Solstitii hiberni viciniam. Tunc enim in Zarethum torrentem Sol oriens, ex obliquo saltem, adversus incidebat.*) Viderunt Moabitæ, è contrà, aquas rubras, quasi Sanguinem.

nem. (zzzz) *In Hebraico textu*, Charoſeth, *muros fictiles ſignificat. quod vocabulum quidam, convenienter Editioni vulgatæ, converterunt in nomen* Proprium. *Vide & Salianum, in ann. mun.* 3139. *num.* 77.

(Aaaaa) *Tota nata controverſia eſt è dictione Hebraica*, beno; *quæ ſignificare poteſt*, & Filium ſuum, & Filium eius. *Hoc tamen locô, notat*, Filium ſuum (*id eſt*, Meſæ) & *non* Filium eius (*ſcilicet*, Idumæi regis). *Etiam apud Græcos* (*ut exercitatis notiſſimum eſt*) *frequenter* αὐτοῦ, & ἀυτοῦ, *in eundem cadunt ſenſum. Vide etiam A Lapide, in caput 3. libri 4. reg. v. 27. Menochium, & Salianum, cum Abulenſi.* (bbbbb) Siclus *unus quatuor appendebat Julios noſtrates Romanos, ſeu Regales Ibericos. Vide Menochium.* (ccccc) *Hoc enim erat Quarta pars* Cabi, *id eſt, Cibi unius dieculæ, ſeu Chœnicis, libræ majoris Atticæ. Quod cùm ita ſit; non video, quid ſibi recentiſſimus Chronologus, è numero Novatorum, velit: dum in annum mundi 3045. ſcribit*; Benadadum *ad tantam famem adegiſſe Samariam: ut caput Aſini fuerit octogenûm ſiclorum argenti*; & quarta pars, venter ipſe, qui eſt in cavo columbarum, *quinûm ſiclorum argenti.* (*ad cap. 6. libri 4. reg. v. 25.*) *niſi fortè librarii ſit hoc loco* mendum

Ruina Ieroboami.

mendum. Scripturæ quidem verba, clarißima sunt: nec obscura verborum, ea, quam auctores eruditissimi suggerunt, explanatio. Stercus *porrò* columbinum, *salis, & condimenti, vel obsonii, vice fuisse fame laborantibus Samaritis; Iosephus, Theodoretus, Gelenius, Menochius, & alii, affirmant.* (ddddd) *Ex Græco namque & Hebraico, Chaldaicóque, textu, colligitur; hoc loco Græcarum insularum populos indicari: quarum propinquißima Palæstinæ Phœniciæq;* Cypros *fuit. Græci autem,* Cithæi, & Cethæi, *in Sacris libris nominantur.* (eeeee) *Colligitur è* 4. *reg. cap.* 4. *v.* 13. *& manifestum est aliunde, ex cap.* 8. *ejusdem illius libri, v.* 4. *ac deinceps, usque ad v.* 7. (fffff) *Allusum, ad illud Habacuc, cap.* 1. *v.* 10. Ipse de Regibus triumphabit; & tyranni, Ridiculi eius erunt. (ggggg) *Ad Galat. cap.* 6. *v.* 7. (hhhhh) *Iacobi cap.* 2. *v.* 10. (iiiii) *Nam* 4. *reg. cap.* 9. *v* 2. *&* 14. *dicitur Iehu, filius Josaphat, filii Namsi.* (kkkkk) 3. *reg. cap.* 17. *v.* 16. *&* 4. *regum cap.* 9. *v.* 20. *ac* 2. *Paralipom. c.* 22. *v.* 7. (lllll) *Vide de hac controversia, breviter agentem, & clarè, Stephanum Menochium, in caput* 9. *libri* 4. *regum v.* 27. (mmmmm) *De* Stibio, *sive* Antimonio, *vide eundem Menochium, in cap.* 9. *libri* 4. *regum, v.* 30. *ex Plinio, libro natural.* 33. *cap.* 6 *& Dioscoride,*

scoride, libro 5. cap. 99. (nnnnn) *Josephus, qui libro 9. antiquit. cap. 9.* quingentos *posuit, pro* quinquaginta, *erubuit Judæus, Romanis Græcisq; confiteri paucitatem: veritus, ut fidem inveniret, si, cum tam paucis, rex Israëlis, tamen â Syris populosis se expedisse, diceretur.* (ooooo) Lucum *illum, fuisse eum ipsum, quem rex Achabus plantârat, Salianus asserit, in annũ 3193. n. 7.* (ppppp) *Libro 9. antiquitat. cap. 9.* (qqqqq) *Ezechielis cap. 26. v. 20. & cap. 31. v. 14. & cap. eod. v. 16. & cap. 32. v. 13. ac v. 23.* (rrrrr) *Apocalyps. c. 21. v. 8.* (sssss) *De ista, plusquam undecim annorum, contentione, inter Israëlitas, super rege ac regno, donec Zachariæ tandem successio constabiliretur: locô non uno Salianus agit. ut, in annum mundi 3252. num. 3. ubi auctores etiam alios complures adducit: qui secum negent;* Continuò Zachariam, *à morte patris, regnare cœpisse. Et in ann. mun. 3255. num. 13. fin. & ann. 3263. per totum. Consentit Abulensis, & alii: qui tamen non* Contentionis, *sed* Tutelæ, *annos in illo undecennio duodecenniòve, agnoscunt. At verò Thomas Lydwatus, Anglus, in ann. mun. 3220. sentit; Zachariam statim à morte patris sui Jeroboami regnum iniisse: sed id seditionibus turbari cœptum, sensimq; dissolutum fuisse; sic, ut totius ejus regni, non nisi 6.*

S *postre-*

postremi menses numerati sint à Sacro Scriptor
Sententia hæc, qualisqualis in ipsa re (non est enim improbabilis) in nullo tamen Chronologiæ diataxin notabiliter turbat. Verba autem Lydwati sunt in annum mundi 3232. ista. Interfectô Zachariâ, rege Israëlis (cujus regni dissoluti tantùm sex mensium postremorum fit mentio; quibus vigere cœpit conjuratio, quâ sublatus est, omissîs præcedentibus annis 12.) *scilicet regni ejus, &c. In* Duodecennio *pleno, & Se insuper* mensibus *superadditis, aliquid, sed no multùm turbulentæ, novitatis est.* (ttttt) *Thom Lydwatus,* Schallúmum *&* Schallemum; *Stra temannus,* Sallúmum, *pronuntiant: ne loqui cum venerabili Antiquitate cogantur; quæ* Sellum *eum nominat.* (uuuuu) *De hoc, præter Gilbertum Genebrardum, libro 1. Chronographiæ, in regibus Israëlis, & alios quosdam; videri potest etiam S lianus, in ann. mun. 3235. num. 5. & 6. & in an mun. 3265. num. 4.* (xxxxx) *Congruit hoc, phra S. Scripturæ: quæ 4. reg. cap. 15. v. 19. sic loquitu* Et dabat Manahem Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium, & firmaret regnum ejus. *Quocirca magìs assentior opinioni, qua posui, postremæ.* (yyyyy) *50. Sicli argentei, p singula ditiorum capita, efficiebant 200. Rega*

Hisp

Hispanicos: juxta ea, quæ superiùs de valore Sicli diximus. Idem & Menochium sentire, postea vidi. Porrò declinandus hoc loco, reducendúsve in viam, Flavius Josephus est: qui tributum illud capit. 11. libri 9. Antiqq. circa medium capitis, ait, Drachmas *fuisse 50. & non*, Siclos. *cùm tamen Siclus (quem expreßè Sacer Scriptor ponit) sive* Stater, *Drachmam in se quater contineat: quod & Salianus, in ann. mundi 3265. num. 5. & 6. ex S. Epiphanio, & Villalpando, notavit. Quadruplô igitur grandior fuit illà potentiorum contributio, à Manahemo extorta; quàm Josephus finxerit: qui tamen, nec drachmæ Romanæ Atticæve, nec Sicli Hebraici, pretium, ac valorem, potuit ignorare.*

(zzzzz) *Vide Cornel. à Lapide, in caput Matt. 18. v. 24. Hoc porrò* mille Talentorum *tributum, fuisse* annuum, *adeóque* decies *Phuli fuisse numeratum à Manahemo, pro spatio annorum regni sub eodem Phule; bonîs ductus conjecturis Salianus, locô paullô suprà allatô, sentit.*

(a) *Stratemannus, ac Lydwatus, & siqui, nova sectantium, alii sunt;* Pekajam *illum nominant, Manahemi filium: quem Vulgata nostra lectio* Phacejam *dicit. Successorẽ verò illius* Pekah *dicunt; quem nos cum antiquitate,* Phacée. *Josephus autem, è contrario, lib. 9. antiq. c. 12. succes-*

sorem Phaceja,non Phacee,sed Phacejam & ipsu[m] nominat: nisi fortè sit Interpretis hic error. Eà-dem quoque novitatum cupidine,pruritúque, Se-ctarii nonnulli Phacee filium Romeliæ, *filiu[m] appellant* Remaliæ: *ac* Rasin *infrà,Syriæ regem* Rezin. (ϐ) *Hoc loco videndi Commentatores intérque se conciliandi,sunt, in 4.reg.cap.15. v.25 ubi* Argob & Arie, *quibusdam* loca *certa viden-tur;non autem*, Viri. *Quinquaginta quoque Ga-laaditæ,*occisi; *& non,*occisores. *Hebræa tamen & Chaldaica,Græcáque,lectiones, nostram senten-tiam statuunt. De conciliatione verò utriusque ex-plicationum istarum,agit,post alios,Menochius in caput idem,ejusdem libri regum,cit.* [γ] *Hoc re-fertur libro 2. Paralipom. cap. 28. à v. 7. ubi circ[a]* filium *hunc* regis *varii varia comminiscuntu[r] ne fateri cogantur,Achazis regis fuisse filium. S[ed] certè, Scripturæ Sacræ verba, quantum ad h[oc] clarissima sunt. Nec impedit, quò minùs* Fili[us] *hic* Regis *admodum puerulus fuerit: Achaze,ej[us] patre, viginti tunc annos natô. Aliæ sentent[iæ] nimis sunt contortæ;longéque petitis utuntur eff[u]giis. Vide & Salian. in ann. mun. 3294. num.* [δ] *Hoc loco* W*ilhelmus Stratemannus narr[at]* Pekah [*hoc est, Phacéam*] & Rezin [*Rasin Sy-rum*] ferrô & igne totam Judæam vastâss[e]

Qu

Ruina Ieroboami.

Quod non improbo. Illud autem haud perinde concesserim ei: quòd Obsidionis illius Jerosolymitanæ tempore [quam obsidionem, ponit, accidisse anno mundi 3208.] dicat, eos reges 1200. [sic enim signat numerum] militum trucidâsse; 200000. hominum, in tristissimam servitutem abduxisse: quos tamen, suasu Prophetæ Obed, manumiserint. *At id acciderat anno jam superiore: nec junctâ Rezini operâ; sed per Phacéam solum, & quidem, Jerosolymæ obsidione nondum incboatâ.* [ε] *Sic Josephus tradit lib. 9. antiqq. cap. 13. id, quod cæteri non improbant. Et hæc jam* Secunda *fuit Israëlitarum* Captivitas *Assyriaca.* Tertia, *eáque temporum illorum postrema, sub Salmanasare sequetur.* [ζ] *Hebræorum Chronicon, capit. 22. apud Salianum, in ann. mun. 3296. num. 6.* [η] *Gilbertus Genebrard. in annum mundi 3440. ex Hebræorum Annalibus, cap. 22. Quod & Salianus, cum aliis pluribus, admittit, in annum 3305. num. 6. & Menochius, in lib. 4. reg. cap. 17. v. 2. in verba illa sacri contextûs.* Fecítque malum coram Domino; sed non, sicut Reges Israël, qui ante eum fuerunt. [ϑ] *Hoc tradit Chronicon Hebræorum, cap. 12. admed.* [⁂] *Quidam, & in his nominatim, Calvisius Cappellus, ac Stratemannus, existimant;* Oseam *regem initiò statim,*

 hoc

Ruina Ieroboami.

hoc est, adhuc septimum agentem regni sui stabiliti annum, in manus & carcerem Salmanasaris, venisse: ac tum demum, captô jam rege, cœptam fuisse circumsideri Samariam. At Salianus aliique credunt, & ratio suadet; Oseam illico refugisse in urbem suam regiam; eámque cum civibu impigrè defendisse: quæ urbs alioqui, captivô jam rege, cùm esset sine capite, nec haberet, pro quo propugnaret, absque morâ se Salmanasari tradidisset; nec tam acerbam triennii obsidionem, & calamitatem, sine caussâ, pertulisset. Quòd autem S. Scriptura priùs mentionem faciat capti, *&* in carcerem *compacti*, Oseæ: *postea verò primùm, obsessa Samariæ; facit id, ut frequenter aliàs,* κατὰ πρόληψιν, *seu, per* Anticipationem, *posterioris gesti ante prius gestum. Vnde vix dubium ullum esse debet; Oseam in triennali obsidione perdurâsse: tandémque cum cæteris, immò præ cæteris omnibus, captum fuisse: ac, donec omnia à Salmanasare expedirentur in Syria, ac Phœnicia, in carcere tantisper adservatum.* (1) *Ex supputatione Jacobi Saliani: cujus* χρονολογισμόν, *haud temerè me dilserturum, primâ statim Operum istorum Decade sum professus; nec adhuc pœnitet. Ponit autem ille Numerum, quem ego posui, in Annum mundi 3314. num. 3. & 6. alibique crebriùs. Cornelius (ut alibi*

Ruina Ieroboami.

alibi monui) unicum *superaddit annum. Genebrardus autem.241. annos numerat, ac menses 7. Flavius Iosephus, annos 240. menses 7. diésque 7. Eusebius Pamphili 250. annos. Stratemannus 257. à morte Salomonis, & initio regni Ieroboami. Lydwatus 260. à divulsione regni Israëlitici ab Iudaico. Ioan. Georg. Herwartus, apud Cappellum, itidem 260. Cappellus ipse, 257. Torniellus 254. Scaliger, temporum emendator, 259. Aliter denique numerant alii*, in suo quisque sensu abundantes. *Sed Salianus chronotaxin suam, Scholiîs in annum mundi 3309. satìs in luce constituit; Regum Iudæ & Israëlis annîs inter se ἀντιπαραλλήλως compositîs, & expansîs. (κ) Quarum aliquot & Benjaminus nominat, locô non unô, in suo Itinerario, pag.155. & 162. & 170. 171. 172. 173. editionis novißimæ Lugduno-Batavicæ Elzevirianæ, ann.1633. In iis urbibus, plurima millia se reperisse Israëlitarum, memorat. (λ) In tabula* Geographiæ, *quam inscribit*, Sacræ; *si eam conferas cum tabula alia*, Expeditionis *nimirum* Alexandri Magni. *De Araxe, (gemino tamen) & Araxis in mare Caspium influxu, tradit etiam vir experientißimus, Adamus Olearius, l. 6. hodœporici Persici c. 7. cum Tabula maris illius, (quod ipse oculis usúque trivit) dimidiatâ pag.711.&c. & l.5. c.3. Tabulam*

Ruina Ieroboami

verò plenam invenies, fini libri 6. ſubnexam. [μ] *Chriſtophorus Helvicus, in Theatro ſuo Hiſtorico. ann.mun.3230.& Cappellus, in ann.mun.3276. Et de* Colchis, *etiam Genebrardus meminit; cùm, in* Arſereth *eos veniſſe, docet; quam, ait, nonnullos interpretari regionem Colchidem.* [ν] *Benjaminus, Itinerarii paginâ 159. editionis ſuprà laudatæ. Non enim diſtinxit opuſculum hoc in capita: quæ produci poſſent pro teſtimonio. Idem, pag.172. inquit;* In urbibus Nisboris, *ſeu Nisbonis (montanæ regionis*, qui montes fluvio Gozáni imminent) quatuor Iſraëlitarum inveniri Tribus: tribum nimirum Danis, Zabulonis, Aſcheris, & Nephthali: captivam multitudinem, quam Schalmanaſar, Aſſyriæ rex, abduxit. *Addit, pag.173.* Illorum Iſraëlitarum terram, ſeu regionem, ad vigintì quatuor dierum iter protenſam eſſe. Civitates, & caſtella, in montibus habere; quæ ab uno littore Gozan fluvius alluat: nec ullo gentium jugô premi; ſed eos Principi præpoſito parére, cui nomen ſit, Doctor Joſeph, Præfectus, Summus Levita. *Aliquid de hac Iſraëlitarum abductione, & diſperſione, vide etiam apud Adamum Olearium, Itineris Perſici libro 5. c.3. pag.545. de Portis Caſpiis.* (ξ) *In annum mundi 3314. num.13.* (ο) *Q.Curtius*

tius libro 4. de gestis Alex. cap. 8. (π) *Origenes Adimantius, homil. 25. in librum Numer. & l. 1. ac 2. contra Celsum; apud Genebrard. in ann. mun. 3443.* §. Samaritanorum origo. *Cæterùm, Salianus, de illis Samaritanis, qui Christi tempore fuerunt, clementius aliquantô judicium fert: quippe, qui, in annum mundi 3315. num. 17. dicat; Eos, post Machabæorum tempora, repudiatîs penitùs Idolîs, cæterà Judæis* ferè *consensisse: De templo verò, locóq; Adorationis, ex Ioan. 4. totam inter eos fuisse disceptationem. Bene dicit,* Ferè. *nam, in* Quibusdam *religionis punctis, alii, præeunte Iosepho, secus de Samaritanis, etiam illorum temporum, sentiunt. Quibus ego, non sine justis caußis, assentior: quarum non postrema est, quòd Iudæi Christo Iesu (cujus erant hostes juratißimi, & ideò in rebus minimè vulgaribus, aut exiguis, eum calumniari solebant) velut contumeliarum & conviciorum compendium, non semel objecerint, Eum esse* Samaritanum. *quem tamen certè* Garizæũ templum, *aut ejus locum, ac reliquias, de quibus Adorationis disceptatio erat, frequẽtâsse, nusquam legimus: adeóque, nec in illo loco, ac monte, sed Ierosolymis, adorâsse Patrem, scimus. Immò, Samaritani, Ierosolymorum templum petentem Christum, & Garizæam ædem aut locum declinantem, ob id-*

Ruina Ieroboami.

ob idipsum oppidis suis & hospitiis excludebant: quia facies eius erat, euntis in Jerusalem. *Lucæ 9. v.53. Oportuit ergo, Iudæos aliud longè majus, in Christo, crimen tangere voluisse, quo Samaritani infames esse illa ætate consuêssent.* (ϱ) *Hæc, è vita S. Sabbæ Abbatis, & è quibusdam Sanctionibus Imperatoriis, refert Cæsar Baronius, in annum Christi 530. n.3. & in ann. mun. 574. num. 2.&c.* (σ) *Legatur paßim Benjaminus, in hodœporico: & Hieronym. Osorius, de rebus gestis Emmanuelis, Portugalliæ Regis, l.4. histor. Afric. & Indic. l.4. ubi, die 19. April. anno 1506. sub turbidam Ecclesiastæ cujusdam, & imprudētem duorum collegarum ejus, concitationem, à furentibus Olysipponis civibus Christianis, ad 2000. Hebræorum interfecta, intrà triduum unicum, intráque mœnia unius urbis, tradit. etsi, meritò, nec ipse id approbet; ac neque Rex* Zelum *illum Concionatoris, & sociorum ejus, ac Civium, intempestivum, reliquerit inultum. Idem factum, ex Osorio, prolixè refert, ac per ordinem, Philippus Camerarius, meditationum historicarum cap. 40. Succinctiùs verò aliquantò Laur. Surius, Commentariô rerum, in orbe gestarum, in ann. 1506. ubi trucidatorum & combustorum Iudæorum, numerat 1930. Vbi tamen observes; longè maximam ejus gentis multitudinem,*

Ruina Ieroboami.

nem, per eosdem illos dies, neci subtractam, vel latebrîs, vel Christianorum quorundam pietate ac misericordiâ, fuisse: qui omnes alioquin interîssent. Ex quo constet, Quanta tunc Israëlitarum multitudo versata fuerit intrà muros & pomœria Olysipponis urbis: quippe, in quam, Osorio eodem teste, lib. 1. de gestis regis Emmanuelis, ad diem à rege eis præfixum, Iudæorum innumerabilis confluxisset exercitus. Id, quod ad propositum nostrum abunde sufficit. (τ) *Vt hanc Regum seriem accuratus & exactus lector in promptu semper, antéq; oculos, haberet constitutam: è re visum est, eorum hîc Catalogum, cum annis regni singulorum, apponi: quem & Iacobus Salianus, in Scholiis anni mundi 3309. pag. 213. edit. Coloniens. & meliùs, in Auctario Enchiridii, (licèt à typothetis per transpositionem turbato, ideóq; non, nisi oculato valde homini, legendò) aliiq; contexunt. Est autem, qui sequitur:*

Jeroboamus Primus, *regnavit annis.*	22.
Nadábus,	2.
Báasa,	24.
Ela,	2.
Zambri,	*diebus.* 7.
Amri,	*annis* 12.
Achabus,	22.

Ocho-

Ruina Ieroboami.

Ochozias, *cum patre adhuc, & pòst,*		2.
Joramus, *frater ejus,*		12.
Jehu,		28.
Joachaz,		17.
Joas,		16.
Jeroboamus Secundus,		41.
Interregnum,		12.
Zacharias,	*menses*	6.
Sellum.	*mensem*	1.
Manahen,	*annos*	10.
Phacejas,		2.
Phacée,		20.
Quasi Interregnum *rursus,*		9.
Oseas, *plenè Rex,*		9.

(υ) *Jeremiæ 8.v.6.* (φ) *Iacobi cap.3. v.15.* (χ) *Iob 9.v.4.& 13.* (ψ) *Ibidem, v.13.* (ω) *reg. Iur.* nullum. *ff.* (****) *Vide Abrahamum Ortelium, in tabulis calcographicis* Daphnês, *ac* Tempe: *in quibus, quæ de ritibus Idololatrarum, in Sacrificiis suis, diximus, oculis aptè subiicit: turpitudines, post carecta, densáque sylvarum arbusta, relinquens; conjecturâ magìs, quàm aspectu, deprehendendas.*

(αα) *Hujus rei Imaginem, penicillo faberrimè expressam, habet, & ab antiquo asservat, Ingolstadiensis Vniversitatis Conclave Academicum, seu, Patrum*

Ruina Ieroboami.

Patrum Academicorum Consultationibus destinatum, penetrale. In qua icone, circa Vitulum, *in sublimi constitutum columnâ, choreas ducunt, ac meretriculas suas, excucullati partim, partim adhuc cucullati, cuculi, religionum sacrarum Apostatæ, & Hæresiarchæ: cum desertrice quisque Vestali suâ, ad sudorem usque, saltantes; applaudente factis eorum, atque dictis, vesano, novitatúmque cúpidô, populô.* (ϐϐ) *Observârunt hoc multi: clarùmq; est, numerantibus ab Asa, filiô Abiæ: quo, regnum jam ingressô, Ieroboamus Primus interfectus est à Deo. Post eum, morte sublati sunt, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri. &, Achabô regnare jam orsô, biennium adhuc in vivis, & imperio, versatus est rex Iudæus, Asa.* (γγ) *Observare quoque, hoc locô, licebit;* Romæ *quondam, per annos circiter* ducentos *(L. Floro teste, lib. 1. cap. 1.) non, nisi* Septem, *imperitâsse reges: cùm in* Israële *contrà, unius unici regis* Asæ *anni Quadraginta, & unus,* Septem *reges Israëliticos devorârint: adeóque etiam* Ducenti *illi Romanorum regum anni, si solos Quinquaginta quinque annos superadjicias, Samaritanos & Israëlis reges* novemdecim, *tumulârint.*

Cætera, quæ crebrò, nimiúmq; sæpe, testimonia requirere suorum Auctorum videri possent; in immen-

Ruina Ieroboami.

mensum excrevissent. Quapropter, in summa, moneri satis est: Qui Regum hanc Israëliticorum Ruinam eruditione plenâ complecti velit; eum in 3. & 4. regum, ac 2. Paralipomenon libro, exercitatissimum esse oportere. Tunc, de Veritate narrationis nostræ dubitare non poterit; nisi, qui divinis quoq; libris fidem detraxerit. Historicus Sacer, verborum meorum obses erit.



RUI-

Ruinā Ieroboamī

RUINA XXXII.

Quæ fuit,

SENNACHERIBI, REGIS ASSYRIORUM.

BREVIARIUM CAPITUM.

I. *Quinam, post Sardanapalum, reges Assyriâ potiti sint, & quótnam annîs; enumeratur. Ezechiæ, regis Iudææ, regnum, Salmanasaris, & Sennacheribi, imperio concurrit. Is, tributi Assyriaci recusationem animô volvens: priùs Philisthæos sibi subigit. deinde, à Sennacheribo deficere certus, divina sibi humanáque, ad bellum Assyriacum sustinendum, adjumenta, multò antè, præparat. Ierosolymam autem præcipuâ diligentiâ firmat, ac permunit. Aegyptii quoque regis opem sollicitat: improbante tamen Deô. Cui Ezechias meritò confidere debuit (ut & fecit): quippe, de Divinis & ipse præclarè meritus.*

II. *Ob apertè detrectata sibi, ab Ezechia, tributa; Sennacheribus immensum, diversis ex gentibus, exercitum, in terram Chanaanitidem ducit: infe-*

*infestus, non hominibus tantùm, sed & DIs, ac v-
ro Deo. Bipartitîs autem factîs copiîs; earu
partem unam adversùs Philisthæas urbes, Ez
chiæ subditas, & hinc in Aegyptum, expedit: alte
verò cum parte, Iudæam ipse vexat, ac prem
Contra cujus adventum, omnésq; belli casus, adh
accuratiùs, quàm antehac, Ezechias Ierosolyma
munit; operáque cœpta perficit. Piâ quoq; orati
ne, suos ad spem, in Numine collocandam, exho
tatur: antiquorum allatîs fiduciæ documentîs,
exemplîs. Ac nihilominus ad Sennacheribum d
fectionis ab eo suæ deprecatores ablégat. Is ei do
sè pacem spondet; ingentémq; pecuniæ mulctam i
positam, adeptus, in hostilitate nihilosecius progr
ditur.*

III. *Sennacheribi Dux, Tharthan; expugna
Philisthæâ maritimâ, in Aegyptum promovet c
pias: &, Pelusio obsesso, tandémq; penetratô, cont
Aegyptios prosperè rem gerit: rege Aegypti à su
rum plerisque destituto; qui* Sethon *fuit, Vulca
simul Sacerdos. Caussæ destitutionis, referuntu
& regis tenacitas, imprudentiáque, qua militare
ordinem offenderat, reprehenditur. Is Vulcano s
supplicat: Deo tamen Cœli, aversô.*

IV. *Sennacheribus, inter hæc, adjiciens anim
Ierosolymis, sine suorum sanguine cladéve capie
di*

Ruina Sennacheribi.

dis: tribus missis eò Legatis, eam urbem dedi sibi, mandat. Inter Legatos illos, arrogantissimus, impiissimúsque, Rabsaces: primùm ad tres, ab Ezechia missos internuntios, ferociter insolentérque loquitur: regémque Ezechiam absentem insectatus, ostendit eis; In eo nihil fidei, nec opis, esse Iudæis: propugnatores urbis paucissimos: in Aegypti rege, spem vanissimam: in Deo Hebræorum (propter Excelsorum cultus, ab Ezechia abolitos) omnino nullam. Ingreditur deinde, narrare commoda Regionum, ad quas traducendi sint Iudæi dedititii; idque, jussu Dei Hebræorum.

V. *Interrumpens orationem Rabsacis, Eliacimus; rogat eum, ne Iudaicâ, sed Syriacâ linguâ, loqui pergat: idque, propter populum, qui in muris attendebat. Rabsaces autem, tanto magìs, & vocaliùs, Iudaicè loqui perseverans: novam exorditur declamationem, ad Cives ac milites. In ea, primùm exsequitur laudes ac fertilitatem regionum; quas Hebræi, deditâ Ierosolymâ, inculturi deinceps essent. Vbi Media potissimùm, & Bactriana, cum Hyrcania, prædicantur, à naturæ bonis. Deinde, demonstrare conatur impiîs argumentîs, infirmissimas DEI-Iudæorum vires, in illis contra Assyrios defensandîs: cùm nec alii DI ulli clientes suos, ac terras, præstare tutas, contra reges Assyriorum, potue-*

infestus, non hominibus tantùm, sed & DIs, ac vero Deo. Bipartitîs autem factîs copiîs; earum partem unam adversùs Philisthæas urbes, Ezechiæ subditas, & hinc in Aegyptum, expedit: alterâ verò cum parte, Iudæam ipse vexat, ac premit. Contra cujus adventum, omnésq; belli casus, adhuc accuratiùs, quàm antehac, Ezechias Ierosolymam munit; operáque cœpta perficit. Piâ quoq; oratione, suos ad spem, in Numine collocandam, exhortatur: antiquorum allatîs fiduciæ documentîs, & exemplîs. Ac nihilominus ad Sennacheribum defectionis ab eo suæ deprecatores ablégat. Is ei dolosè pacem spondet; ingentémq; pecuniæ mulctam impositam, adeptus, in hostilitate nihilosecius progreditur.

III. *Sennacheribi Dux, Tharthan; expugnatâ Philisthæâ maritimâ, in Aegyptum promovet copias: &, Pelusio obsesso, tandémq; penetratô, contra Aegyptios prosperè rem gerit: rege Aegypti à suorum plerisque destituto; qui* Sethon *fuit, Vulcani simul Sacerdos. Caussæ destitutionis, referuntur: & regis tenacitas, imprudentiáque, qua militarem ordinem offenderat, reprehenditur. Is Vulcano suo supplicat: Deo tamen Cœli, aversô.*

IV. *Sennacheribus, inter hæc, adjiciens animũ Ierosolymis, sine suorum sanguine cladéve capiendis:*

Ruina Sennacheribi.

dis: tribus missis eò Legatis, eam urbem dedi sibi, mandat. Inter Legatos illos, arrogantissimus, impiissimúsque, Rabsaces: primùm ad tres, ab Ezechia missos internuntios, ferociter insolentérq; loquitur: regémq; Ezechiam absentem insectatus, ostendit eis; In eo nihil fidei, nec opis, esse Iudæis: propugnatores urbis paucissimos: in Aegypti rege, spem vanissimam: in Deo Hebræorum (propter Excelsorum cultus, ab Ezechia abolitos) omnino nullam. Ingreditur deinde, narrare commoda Regionum, ad quas traducendi sint Iudæi dedititii; idque, jussu Dei Hebræorum.

V. *Interrumpens orationem Rabsacis, Eliacimus; rogat eum, ne Iudaicâ, sed Syriacâ linguâ, loqui pergat: idque, propter populum, qui in muris attendebat. Rabsaces autem, tanto magìs, & vocaliùs, Iudaicè loqui perseverans: novam exorditur declamationem, ad Cives ac milites. In ea, primùm exsequitur laudes ac fertilitatem regionum; quas Hebræi, deditâ Ierosolymâ, inculturi deinceps essent. Vbi Media potissimùm, & Bactriana, cum Hyrcania, prædicantur, à naturæ bonis. Deinde, demonstrare conatur impiîs argumentîs, infirmissimas DEI-Iudæorum vires, in illis contra Assyrios defensandîs: cùm nec alii DI ulli clientes suos, ac terras, præstare tutas, contra reges Assyriorum, po-*

tuerint. Vbi etiam; aut nullos ferè supereſſe Deos, contendit, extra Neſroch, & Sennacheribum: aut certè, prorſus imbelles: maximè verò, Deum Iudæorum. Sermonem denique, cum contemptu, concludit.

VI. *Rabſaci, nec populus reſpondet, nec regi legati. Sed hi quidem ad regem Ezechiam mœſti redeunt: populus autem, domum. Mittuntur ad Iſaiam Prophetam ab Ezechia, cum mandatis ac precibus, legati: quorũ petitionis forma, Summáque apponitur, ex ſenſu S. Scripturæ: ejúſque verborum cæteroqùin difficilium, mens explicatur. Ezechias interim in templo Deum orat: ac Propheta, domi ſuæ. per quem Deus Ezechiæ reſponderi, ſpéque ſucceſſûs optimi compleri, jubet: promiſſâ Ieroſolymorum ſecuritate; & Aſſyriorum, contrà, Interitu.*

VII. *Sennacheribus autem, cognitâ Ezechiæ in abnuendâ deditione, conſtantiâ: totîs exercitûs ſui viribus, ad oppugnandam Ieroſolymam, accingitur. Sed retrâhitur ab eo propoſito, nuntiô de Thâraca, rege Aethiopum; adversùs Aſſyrios exercitum educente. Contra quem proinde, & ipſe, maximis cum copiis, feſtinat: miſſis priùs ad Ezechiam iteratò mandatis, de Ieroſolymæ deditione litteriſque, in Deum blaſphemîs, & in Ezechiam arrogantibus. Ezechias & litteras, & cauſſam ſuam*

ſuam, in templo, Deo cognoſcendam, committit: adjectis precibus intentis. Deus continuò, per Iſaiam, increpandum prolixâ reprehenſione, abſentem licèt, Sennacheribum mandat. Cujus Orationis contextui, fida ſimùl verborum illius ſententiarúmq; (cæteroqui difficilium) explicatio intermiſcetur. Documentum additur; cum Deo reverenter, ab omnibus, tractandum eſſe.

VIII. Deus, orationis illius, quam Iſaiæ mandaverat, alterâ parte, ad Ezechiam directâ; conſolatur regem: &, quid trienniò illo, quo in Aegypto Sennacheribus (ex parte ſaltem temporis) hæſurus ſit, circa victum, agendum ſit, præſcribit. Pollicetur frugum copiam, ſuámque, pro urbe Ieroſolyma, tutelam: regisq; Aſſyrii irritam expugnandi ſpem; & ignominioſum, in Aſſyriam, reditum. Omnia, propter Se, & Davidem, ſervum ſuum fidelem.

IX. Huic Dei promiſſo, dum, cum ſuis, acquieſcit Ezechias; Sennacheribo tantiſper, admirandâ Numinis diſpoſitione, bellorum procellam omnem in Aegyptum & Aethiopiam effundente: morbo proſternitur, & repentino. & immedicabili. Quem Ezechiæ morbum, non ſeriùs, ſed ſub idem ipſum tempus, eveniſſe, per tranſennam oſtenditur. Vndenam ægritudo illa nata videri poſſit? Reſtitui-

tur rex priscæ sanitati. Cujus historia diffusa cu[m] prætermittatur; rationibus, ex Historiæ Lege petitîs, & allatîs, demonstratur.

X. *Sennacheribus, post longam in Aegypto, & Aethiopia, moram; reverti cogitat in Iudæam. Hibernat in finitimis locis. Herodotus, circa res Sennacheribi in Aegypto gestas, an vera scribat; excutitur. ubi de Muribus, illius regis exercitui perniciosis, narratio intertexitur: & de Pelusio, ab Assyriis capto, receptóque, quid tenendum.*

XI. *Annô regni Ezechiæ decimô sextô, rex Assyrius, cum omnibus copiis, undique contractîs, Ierosolymam versùs, expeditionem suam repetit. Quantô id cum motu fecerit, ac tumultu: &, qua iter habuerit? Ierosolyma tabernaculis & castrîs Assyriacis circumcingitur. Iis auditîs belli redivivi motibus, & conspectîs hostium castrîs; quanta coorta sit, in urbe, civium, præsertim seditiosorum, turbatio. Eorum, adversùs Isaiam, Ezechiam, ac Dei promissa, tanquam jam irrita, querelæ: deditionisq; consilia. Regis, è contrario, Prophetæq; & meliorum in urbe mortalium, constantia, preces; &, placando Numini, corporum afflictiones. Idque, nec sine caussâ; nec sine fructu. Dormientibus enim Assyriîs, intempestâ nocte, de cœlo veniens, blasphemiæ vindex, Angelus; Assyriorum*

cen-

Ruina Sennacheribi.

centum octoginta quinque millia internecione delet.

XII. *De ratione, quâ percußi sint Assyrii; secundùm varios auctores, variè disseritur. Non placet, Gladio interfectos esse; nec pestilentiâ; nec, jactis de cœlo fulminibus; ob caussas, quæ singulis bis modis subjunguntur. Vtrum verò, corde oppresso, vel spiritu intercepto, perierint; breviter ventilatur: & præfertur opinio, quæ sentit; Eos flammis intestinis incineratos esse: indumentis, ac cæteris, salvis. Cujus sententiæ commoditas, in propatulo proponitur.*

XIII. *Sennacheribus, manè postero experrectus; frustra suos, ad ministeria solita, præstolatur, inclamat, & quærit. Oculis tandem suismet credere cogitur; universum exercitum suum, altiore quadam vi, deletum. Idem, pauculi nonnulli, adhuc superstites ab Angelo relicti, regi nuntiant: & ad fugam eum incitant. Quibus acquiescens, eorum in comitatu, relictis omnibus, celeriter, & ignominiosè, suam repetit Assyriam.*

XIV. *Illius autem, comitúmq; fugâ; necnon, universâ castrorum strage, per speculatores partim urbicos, partim & per emissos exploratores, compertâ: Ierosolymitæ, tandem urbe catervatim egreßi, prædam infinitam inveniunt, diripiunt, as-*

Ruina Sennacheribi.

portant, & avehunt. Eâque, tam seipsum quisq; quàm Regem Ezechiam, præ cæteris, ditant: Deóq; gratas laudes persolvunt. Cladis autem Assyriacæ caussam, & auctorem proprium, *aliquamdiu ignorantes; ex Isaia deniq; tam discunt, quàm Isaias ipse priùs, à* DEO *didicerat: lætiq; de cætero, spoliis, ac successu rerum, tam secundo, fruuntur.*

XV. *Sennacheribus autem,* Niniven *reversus exiguâ gloriâ; cœptúsq; sibimet-subjectis fieri contemptui: exardescit in Israëlitas, qui sui regni tunc erant. In iis, post multos interfectos, etiam Tobiam persequitur; quòd occisos sepeliret. Exasperantur adversùs Regem Ninivitæ; palámq; in eum fremunt. Ipse, in periculo constitutus,* Deo *suo Nesrocho supplicat: eiq;, de filiis suis duos, victimam Humanam, voto promittit. Id filii, patris consilio cognito, deliberationéq; habitâ, præoccupant: patre ad ipsam aram occiso. Succedit occiso, filiorum tertius, Assarhaddon: à quo tamen Satrapæ quidam continuò deficiunt. In his, Merodachus, Babylonis rex à seipso factus; ad Ezechiam legatos mittit: etiam fœderis cum eo feriendi caußâ. Sennacheribi, tam corporis, quàm Animæ, interitus, eo dignus.*

XVI. *Ostenditur, sub hæc, Dei erga suos, tam*

tam Ninivæ, quàm Ierosolymis, commorantes, ad defendendum eos, paterna benignitas. Rigor, è diverso, castigationis justißimus; adversùs Assyrios, eorúmq; Regem: quorum apud Inferos sepultura, conditióq; producitur; verbis Ezechielis, ad hoc argumentum, partim disertè spectantibus, partim autem, accommodatis. Transitus inde fit, ad Blasphemorum, in Deum, divina, ac Sanctos, justißimam exagitationem: quibus, excusationem Ignorantiæ, *quam sibi præpandunt,* affectatę, *monstratur, ad salutem nihil profore. Perstringuntur autem, præ cæteris, Sacramentarii, Iconoclastæ, & Invocationis Sanctorum irrisores: qui, lætantes, cùm malefecerint, & exultantes in rebus peßimis; interdum, in hac quoq; adhuc vita, mercedem Impietatis recipiunt: Semper autem (nisi resipiscant) in futurâ.*

§ (*†*) §

Ruina Sennacheribi

RUINA SENNACHERIBI, ET EXERCITUS ASSYRIORUM.

(I.)



OST *Sardanapálum*, ab Arbace Medo voluntariô coactum incendiô, ſuámet in Regiâ finire vitam, utì dictum ſuperiùs eſt; *Niniven* Aſſyriíque regni fumantes reliquias, *Phules* ſucceſſor occupavit: paullatimque, non reſtitutum tantummodo, ſed & amplificatum, ad annos tenuit quadraginta tres, quaſi redivivum Imperium. (*A*) Regnum Phulis, *Teglath-Phalaſſar* excepit, filius ejus: anníſque rexit triginta, cum aliquot præterea menſibus. Hic (ut & Phules antea,) præter rapinas ac vaſtitates, Iſraëlitis frequenter illatas; eoſdem etiam, eorúmque reges, ſtipendiarios ſibi fieri coëgit. Quódq; pater nondum tentârat,

târat, ipſe primus, promiſsîs ac pactîs invitatus ab *Achaze* rege, tributorum acerbam & anniverſariam exactionem, etiam ad *Judææ reges* extendit. Eáque ſervitutis facies duravit, ſilentibus ac gementibus, Judęîs, ad uſque primum *Ezechiæ* regis annum; quô *Teglath-Phalaſſar*, vitâ functus, & imperium, & illud, qualecunque jus, exigendi ſtipendii, *Salmanaſari* filio reliquit. Nec deſtitit ab extorſione *Salmanaſar*, quoad deinceps vixit & imperavit; quod tempus decennii non pleni fuit. Is quippe finiit, *Ezechiæ* decimô principatûs annô; cùm aliquantulô priùs regnare cœpiſſet Ezechias, quàm Salmanaſar. *Subrogatus* porrò Salmanaſari *Sennacheribus*, cognomentô *Sargon*, *(b)* eodem genitus; tributariam in Iudææ reges tyrannidem, quantò patre ferocior ac tumidior, tantò conſtantiùs & imperioſiùs, exercere perſeveravit. Quæ principiô quidem ab *Ezechia*, quanquam ægrè tolerata; tacitô tamen cum dolore devorabantur: quippe, qui, ſibi virium ſuarum imbecillitatis conſcius, facilè perſpectum haberet; ſe, donec Philiſtæos quoque finitimos domaret, ac regni ſui tam urbes quàm opes corroboraret, Aſſyrio, *Regum regi*, fruſtra repugnaturũ: etiam

Ruina Sennacheribi.]

etiam in eo,quod,ei péndere,nec jus,nec decórum, esset. At verò, cùm, progressu temporis, & rerum indignitas illa cresceret, ex Assyriorum,in vectigales sibi Iudæos, insolentiâ (quam eis insolentiam, creber,atque continuus, variis è gentibus, victoriarum cursus faciebat); & *Sennacheribus*, insitô quodam in Hebræum nomen odiô, crudeliter Israëlitas, in urbē Niniven à Salmanasare nuper transportatos, tractaret; calumniis, fortunarum direptionibus, fugationibus, interfectionibus: excutiendum denique suis è cervicibus Assyriacum sibi jugum existimavit. Igitur,haud ultra differendum sibi, quod annîs jam aliquot animô volverat, *detrectandi tributi* consilium ratus *Ezechias*: annô regni sui decimô ferè tertiô, *palàm* solvere stipendia *Sennacheribo* regi, tanquam rex & ipse, proptereáque libertati natus, recusavit. Quanquam enim, si conferrentur inter se *regna*;Iudæa,*vix agellus* videri posset *Assyriorum*, Oriente totô diffusi *principatûs*, & *Imperii*: si tamen alternîs compararentur ipsi reges; haud inferiorem *Sennacheribo* se fore, Deo præsertim suô nixū, *Ezechias*,confidebat. Præterquam enim,quòd *regiam*, ex *Davide* progenitore, nobilitatem *Eze-*

Ezechias ab annis ampliùs quinquaginta, supra trecentos, ostentare, contra *Sennacheribi* regiam antiquitatem, posset; ut, quæ per *Phulem*, barbaricæ militiæ ductorem, cœpta, nondum annos *octoginta quatuor*, neque capita dominantium *quatuor*, excessisset: validissima sibi *Judææ rex*, intrà paucos illos, quibus regnum inire cœperat, annos, belli præsidia terrâ cœlóq; circumspexerat, atq; præparârat. Veritus enim idipsum, quod pòst evénit; adversùm se, detrectatâ tributi solutione, venturum, cum exercitu grandi, *Sennacheribum*; ne conjungi barbaris, ab *Oriente* Sole profecturis, barbari possent *Occidui*; néve Rex Assyrius augere copias in dies, ipséq; circumcludi: primùm omnium Philisthæos, impiam ac profanam, ad mare Phœnicium, gentem, subigere festinavit. Quibus & eripuit; quidquid juris & oppidorum, à Phœniciæ finibus, ad usque Gazam, ac primos Aegypti fines, obtinuerant. (*c*) Post hæc, ad suimet regni firmandas vires, conversus; urbes Iudææ cunctas, & castella, turrésque, quantîs potuit, opibus, adversùs vim inimicam, permunire solerter instituit. Præ cæteris autem omnibus, *Jerosolymis* intentus, adversùs quemvis incursum

Ruina Sennacheribi.

ſum armandis, & obvallandis: capita ſuburbanorum fontium omnia, rivúmque *Cedronem*, ne ſervirent Aſſyriis aquaturis, aut obturavit; aut canalibus ſubterraneîs in urbem induxit: ubi ciſternis ac ſtagnis profundiſſimis collectas aſſervavit undas: quæ mox, in tempore, civium obſidendorum ſitim ſublevarent. Intrà *Jeroſolymorum* verò pomœria, muros, ordine triplicî, tam foris, quàm interiùs, urbi circumpoſitos, unà cum turribus; partim inſtauravit ſemirutos, aut collapſos; partim novos penitùs, & à fundamentis, excitavit: nemine non operi manus admovente. *Mellônis* quoque *voraginis*, de qua dictum in Ruina Regum Iſraëlis eſt, mœnia; quâ parte *Sionem* montem, ab Aquilonis plaga firmiſſimô ſaxorum ambitu tuebantur, compage ſolidiore reparavit: apertíſque, jam ante periculum & ingruentem hoſtem, præmaturè diverſorum officinîs armorum; telîs, gladiîs, clypeîs, atq; cæteri generis corporum tegumentis ferreîs, armamentarium inſtruxit. (†) Ad *Aegyptium* inſuper *Regem* legatos, ac diverſarum opum munera, camelorum deportata dorsîs, miſit; amicitiam, & inſtantis ab Aſſyrio belli propulſandi ſocietatem, rogantes.

tes. (*d*) Quod, opis exteræ quæſitæ, conſilium, cùm manifeſtè Deus, per internuntium ſuum *Iſaiam*, improbârit: arbitramur equidem; id, *Optimatum* potiùs, quàm ipſiuſmet, inſigniter Deo probati, *regis Judaici*, vel auctoritate, vel importunô ſtudiô, ſuſceptum tunc, & expeditum, eſſe. (*e*) Quamvis autem ea *fœderis Aegyptii*, præſtandíque rebus in arctis auxilii, tota ſpes, & poſtea fefellerit Hebræos; & à Numine, jam ante motam Aſſyrii regis expeditionem, prædamnata labaverit (*f*): antequam tamẽ de mente ſententiáque Dei, conſtaret *Ezechiæ*; poterat aut is, aut procerum eius conſeſſus, legationis illius auctor, indè quoque nonnullã aliquamdiu, minùs formidandi regem Aſſyriorum, cauſſam fiduciámque concipere. Sed quanquam hæc, quæ diximus, utcunque firma *Iudæo* videri *regi* præſidia poſſent; ad repellendam ſuſtinẽdámve vim Aſſyriam (etenim, niſi Deô diſertè prohibente, *prudentis eſt Principis; humanîs etiã opibus ſua rectè conſulta ſubſtruere: ne tentare Divinæ potentiæ vires, exſpectatione cœleſtis auxilii penitùs otioſâ, videatur*): univerſa tamen interim *Ezechiæ* regis *fortitudo*, confidentiáque, ſic Deus erat; ut, eô niti ſolô,

ſolô, meritò cenſeri poſſet. Nec id temerè. Tametſi namque *meritis* ille ſuis minùs, quã *inſitæ Deo clementiæ*, confideret: non tamen nihil ille de *Deo*, diviníſque rebus ad eum uſque diem, bene meritus fuerat. Hic eſt enim *Ezechias* ille; qui, peſſimi genitoris præſtantiſſimus filius, ſimulac Judaici regni gubernacula ſuſcepit, templum Salomonæum, ab *Achaze* priùs patre perpetuò clauſum, recluſit: obſtructáſque, non reſeravit modò, ſed ornatui quoque, nitoríque priſtino, reſtituit templi valvas. Is eſt *Ezechias*, qui collium ſuperſtitioſa delubra ſubvertit: qui ſimulacra Deorum contrivit: qui turpitudinum latibula, lucos & nemora, ſuccídit: qui *Serpentem* Moſis *æneum* ad impios jam cultus trahi cœptũ, in pulverem ac favillas redegit. Ipſe, qui veræ Divinitatis adorationem; qui legitimas aras, & ſacrificia; qui Paſcha, qui ſollemnẽ Agnum, qui Sacerdotes, Levitas, Cantores, populorúmque concurſum, & univerſos ſacrorum ritus, in integrum reſtituit. Is eſt deniq;, quẽ, qualémq;, *DEO per omnia placentem*, in Ruina Davidicæ Domûs, etiam ſuperiùs, pro rei neceſſitate, deſcribebamus. Hæc igitur, aliáque talia, Principi religioſiſſimo, nequid

nequid inauſpicatius à bello timeret Aſſyriacô; neu' cœptæ jam detrectationi vectigalium immanere formidaret, animos addebant. Princeps autē ipſe, vividîs, ad fortitudinem, exhortationibus, populo ſtimulos in dies admovebat. Et ſuper hæc (ut ferè fit) *impavidi Regis alacritas, etiam imbellibus, omni bellicâ tubâ generoſius erat, ad audaciam, irritamentum*: quantumvis inter hæc nec *Aſſyria* quidem *claßica* dormitarent.

II. *Sennacheribus* enim, *anno* regni ſui quintô, qui *quartus decimus* Ezechiæ fuit; jam non cunctatione tantùm, ac tergiverſatione, ſicut ànnîs prioribus, ſed manifeſtâ tributi ſoliti negatione, *Iudæorum* in *rege* deprehensâ, vehementer irritatus: non ultra differendum exiſtimavit armatum, quo cogeret *Ezechiam*, imperium. Copias igitur, quantas, poſt *Semiramida*, vix alius priorum *Aſſyriæ* monarcharum, immenſas properè contrahens; equeſtris pedeſtríſq; militiæ formidandum eduxit exercitum. Erant autem ſub ſignis, non Aſſyrii tantùm, & Hyrcani, Medíque, Babyloniíque, (qui tunc populi *Sennacheribo*, quantumlibet inviti, tamen adhuc, parebant) ſed etiam *Arabes*: quippe, quorum non minùs, quàm *Aſſyria*-

Ruina Sennacheribi.

ſyriorum, regem, *Sennacheribum* Herodotus, in Euterpe ſuâ faciat. Præter hos inſuper, in eodem exercitu militabat, per *Salmanáſarem* nuper ſubacta, Moabitarum, Ammonitarum, Emathæorum, Phœnicum, ac Samaræorum, apta bellis, juventus. Cum his univerſis, & multitudine pavendîs, & barbarie truculentîs, nationibus; Jordane trajectô, movit in Judæam Imperator Aſſyrius: non in ſolum intentus *Ezechiam*, Judæóſque ſubigendos; ſed *Aegyptio* quoq; regi, (quippe, cujus in fœdus *Ezechiam* veniſſe didicerat; &, ejuſdem exſpectare copias auxiliares, nequaquam dubitabat) imminens, & infeſtus. Portabat autem ſecum, &, quocunque pedem inferret, circumferebat, primùm omnium, inſtrumenta belli, machináſque, munitionibus expugnandis idoneas; & caſtrenſem annonam, omni victûs genere refertiſſimam: deinde, *Deorum omnium* exterorum, & ipſius adeò *Supremi veriq; Dei*, ſuperbiſſimum impiiſſimúmque contemptum. Neque dubitabat ullô modô: quin & *Judæorum* eradicaturus, eádem facilitate, *Numen* eſſet; quâ gentium nuper aliarum *Simulacra* de medio ſuſtuliſſet. Expugnârat enim, exemplô majorum ſuorum, iîs, quibus regnum

regnum tenebat, annîs, hoc est, haud amplius *quatuor*, non populos tantùm & urbes, sed & eorum *Deos*, ac *Deas*: in quibus erant, qui Libani montis radices accolebant, *Emathæi*; maritimæq; nationes, *Sepharvaimæi*, cum *Arphadæis, Anæis*, & *Avæis*, Samaritarúmq; (sit licētiæ novatæ-vocis ea venia!) *Deunculis*, Dæmonísque sculptîs. Horum ille simulacra *lignea* flammis; ærea ferreáque fabricis armorum; argentea demum, & aurea, conflata fornacibus, in belli regníque vires, thesauris suis importârat. Unde factum est; uti, nemine *Deorum illorum* suî contumeliam vel ulciscente, vel (quod minimum fuisset) mussitante saltem, aut muginante; *Divinitatis-veræ* falsissimus æstimator, *Sennacheribus*, sibi persuaderet: iisdem se tumoris sui cornibus, in *Cæli-Deum* impetum esse facturum; quibus nuper ipse, vel pater ejus, ac progenitores, in minorum gentium mimicas *Deorum* statuas, ac Numinum formas ementitas, incurrisset impunè. Sed nimirum, *Cælo bellum inferre, Gigantum, ac Stultorum esse, non Regum, opus*; nondum hic infelix intelligebat. Unde *ferulis* erat, ac poenîs, erudiendus. Inter quæ tamen eum, dum is in supplicia pleniora maturesceret,

lascivire Deus Ter Optimus Maximus permisit; nec Deos pensi, nec homines, habentem. Cùm venisset igitur in campos Jerichuntis *rex Assyrius*; cujus exercitum ægerrimè planities illa, locáque finitima, capiebant: purpuratorum suorum habitô consiliô, copias divisit. Ac partem quidem earum, per Samaritici regni fines circumductam, misit, ad Philistææ regionis maritimas urbes, ac munitiones, occupandas; ex quibus *Ezechiæ* præsidia dejicerentur. Omnis enim, (utì superiùs expressum est) Philistinorum, ad *mare Magnum*, regio, Gazam usque, sub *Ezechiæ* potestatem, belli victoriæq; jure, jam antè concesserat. Eâ sub ditionem redactâ suam; videbat *Assyrius*, obsistente sibi nemine, proniorem futuram, in *Aegyptum*, expeditionem: eâque cumprìmis viâ se Regis illius, ad *Ezechiam*, auxilia, vel deterriturum ostentatione victoriarum; vel, ad arma collisîs armîs, prohibiturū & Aegypti penetrandæ facultatem inventurum. Cum his igitur copiis, *Tharthánum* misit; exercitatum belli Ducem, sibíque cumprimis fidum. Isque Philistæas urbes, & inter eas, omnium primam, *Azótum*, regi suo subjugabat. At dimidium exercitûs alterum,

Rex

Rex *Sennacheribus* ipſe ductabat;ac per omnē circumquaque *Judææ* tractum, & *Benjaminis* terram, deprædator agrorum, & oppidorum expugnator,ac direptor,ſecum raptabat: certus, ut primùm potitus minorum nominum urbibus atque caſtellis eſſet; armorum vim univerſam *Ieroſolymis*, tanquam procelloſam quandam tempeſtatem,ſuperinfundere. Verùm hæc tentabat tunc potiùs *rex Aſſyrius*; quàm revera, ſub unum ſtatim idémq; tempus, perficiebat. Urbes enim & oppida *Judææ* permulta tunc erant; & ad reſiſtendum, validiſſimo licèt hoſtium exercitui, nec ab operibus ac ſitu, nec à propugnatoribus, imparata. Totus nihilominus erat,in *Iudæa*,ſub ditionem ſuam redigendâ, *Sennacheribus*. (g) Neque tamen ſibi ſuíſque defuit interim *Ezechias*; hôc Aſſyriorum, tam hoſtılî, conatu ſibi nuntiatô: ſed primùm omnium ea, quæ iam ſuperiùs memoravi, tolerandi barbarici belli præſidia; murorum inſtaurationem; armorum apparatum; & copiarum ſuàrum, ac populi ſuburbani, conductionem,intrà mœnia Jeroſolymorum, ſupremâ munitionibus impoſitâ manu, perfecit. (h) Fontium item, ac rivorum, intrà Jeroſolymam per canales

 abdi-

Ruina Sennacheribi.

abditos immiſſorum, capita ſuburbana, pleniſſimâ tunc obturatione clauſa, barbaris ad uſum, in perpetuum, intercepit. Neque contentus *rebus*, ad obſidionem ſine damno tolerandam præparatîs: etiam *verborum* adjecit hortamenta; ſuæque, quâ Deo niteretur, fiduciæ *tempeſtivam*, nec tamen arrogantem, oſtentationem: collectis in platea Jeroſolymorum ampliſſimâ militibus, atque civibus, è loco ſublimiore, ſtimulos alacritatis, animóſque, ſubjiciens. *Ne paverent, neu' repugnandi mentem demitterent, in eo rerum impendentium articulò. Meminiſſent antecedentium mundi temporum; ac priſcarum Iſraëlitici populi, de barbaris, palmarum: quas reportaviſſent, exiguô ſæpe copiarum ſuarum numerô; contra tremendas robore multitudines proſperrimè pugnando. Sic* Abrahamum, *cum exiguo ſociorum agmine, cúmque trecentis, decem & octo, vernulîs, invaſiſſe reges Orientis quatuor; cum totidem eorum exercitibus, nuperrimè partâ victoriâ tumidîs: eóſque turbatos, disjectos, cæſos, ac ſpoliatos, ope Numinis ad internecionem uſque deleviſſe. Sic* Joſuam, *Iſraëlis Ducem Vnum, cum exercitu non plus* Uno *ſupra triginta Chananæorum reges, cum totidem eorum caſtris & exercitibus, tractu temporis ex-*

guo

Ruina Sennacheribi.

quô, fudisse, trucidâsse, profligavisse. Sic postea, Gedeonem, *virum* Unum, *ab horreis, ac tritici ventilatione, contra Madianitas eductum; trecentis manipularibus, ac pari numerô fictilium laternarum, tubarúmque, sine gladio suo, solis ipsorúmmet hostium gladiis, innumerabiles hostes occidione concidisse. Quòd siqui tamen etiamnum obsidendorum paucitatem, & eorum è diverso, qui Jerosolymam obsessuri forent, immensam multitudinem, in trepidationis caussam arriperent: numquid oblitos eos esse cœlestis illius Sententiæ, quæ iam olim pronuntiârit;* Non humano robore, militúmque numerô, bella, sed causâ, Deóq; propugnatore, consistere? *Num immemores esse promissionis Davidicæ: quâ pollicitus vir ille divinus, ore Dei, sit;* Brachia peccatorum contritum iri *(i); quippe,* carne *constantia, propteréaque fragilia: Deo verò fidentium,* ut arcus æreos, itâ lacertos *fore firmos? (k) Numquid & excidisse memoriâ, vatis* Elisæi *casum: quem, undique conclusum, cùm Syri quondam obsiderent, nec effugii facultatem humanam ullam ei relinquerent;* scirent, *nec ipsum animo propterea concidisse, neq; trepidare famulum suum, passum esse; cùm ei* monte, curruum & equorum igneorum *refertissimô, demonstratô, diceret:* Multos qui-

Ruina Sennacheribi.

quidem *adversùm se*, Syros; at longè plures, *pro se*, contra Syros, in armis esse. *Contra se*, mortales *hostes*; *pro sui verò tutelâ*, cœlestes *propugnatores*, *consistere*. *Quam vos* (inquit Ezechias) *Elisæi vocem, nunc & vestram facite*; *sic apud animum quisque suum reputando*: Numerus *Assyriorum* validus, & innumerus, est: validior autem, & innumerabilior, *Angelorum*. Et super hæc omnia, *Deus*, (*cujus hostis est Assyrius*) *amicus nobis*; *auxiliorum omnium instar*, *& compendiorum*, *erit*. Hîs *Ezechias*, aliísque talibus, sobriæ confidentiæ plenîs, verbîs; quantùm concionem *auribus*, tantùm *animîs*, arrectam, dimittebat: *eloquentiâ* sacrâ fortiùs, quàm *armîs*, adversùs belli dubia, confirmatam. Quoniam tamen, inter hæc, urbes eas & oppida, quorum incolæ, propter multitudinem, intrà *Jerosolymorum* pomœria recipi nequiissent, ab *Assyrio* malîs omnibus, intelligebat, affligi cœpta; vel ad incitas, aut ad opis desperationem, aut denique (quod istorum utroque detestabilius futurum esset) ad defectionem à lege Mosis, ad *Sacra* barbarica, compulsum iri: cuncta sibi priùs Rex optimus, quàm armîs, experiri, consultum, & populare, fore ratus; redimendam esse sibi gentis

tis suæ vexationem, urbísque regiæ securitatem, quantávis, etiam auctoritatis propriæ, jacturâ, constituit. Quanquam igitur ità, tam animîs, quàm armîs, ad excipiendum hostem, præparatus esset; ut non haberet, unde magnopere vires *Assyriorum* expavesceret: quò tamen, omnia fecisse priùs, quàm temerè bellâsse, verè dici posset; legatos ad *Sennacheribum* expedivit: rupti nuper obsequii, detrectatíque vectigalis annui, suîs verbîs, deprecatores. *In Assyrii deinceps auctoritate, Judææ regem, & cum fide, perstiturum; &, quòd fidem infregisset, mulctam nummariam, quantamcunque rex major regi clienti censuisset infligendam, sine morâ depensurum. Tantummodo, bonâ fide se reverti sineret ad priscum obsequium: &, quam movere cœpisset adversùs Judæam, ac Jerosolymam, armorum vim, & potentiam; eam deinceps, in pignus restitutæ pacis, abstineret, & abduceret.* Non invitus audivit hæc oratorum promissa *rex Assyrius*: &, quòd sibi supplicem dejectûmq; cernere *regem Judæum* videretur; &, quòd, ultrò sibi, videret, offerri partem opum illarum, quarum ipse nihilosecius, paullò pòst, residuum universum per vim esset ablaturus. Id enim, à principio jam expeditionis suæ, desti-

natum animô, ſpe, (ſicut autumabat), certiſſimâ devorârat. Ergo, quod petebatur, *ſine magnâ morâ*, ſed *non ſine magno dolo*, concedit: magnificóque verborum ambitu, quô ſuam abſenti *Judæo regi* demētiam, tentatámq; rebellionem, exprobabat, legatis dat *verboſam pacem*; *defectionis fictam veniam*; *diſceſsûs è Judæa, Punica promiſſa*: ſed hæc tamen ipſa, quãtumvis falſa, non niſi *ſub ingentis mulctæ*, continuò repræſentandæ, *conditione*, duriſſimáq; lege. Nam *argenti* trecenta ſibi *talenta* ſolvi jubet: *auri*, triginta. Quam ſummam ſiquis ad caput revocare voluerit; ingentem, & arctîs tunc *Judææ* rebus intolerabilem, deprehendet. Cùm enim *Talentum argenteum, ponderis Hebræi* ſiclorum ejuſdem metalli, *tria millia* contineret; *aureum* autem, *millia totidem* ſiclorum aureorum: ſicli quidem *argentei* ſinguli, quaternos pendebant Regales Hiſpanicos, Julióſve Romanos: *aurei* verò ſicli, noſtratis pecuniæ quaternos aureos. Quo fit; ut ex *trecentis* argenti, *trigintáq;* talentis auri, ſiclorum utriuſque generis immenſam, reguloque Judæo, (nondum tunc ditiſſimo) prægravem, aſſurrexiſſe numerum acervúmque, neceſſe ſit. At rex barbarus, acceptâ

Ruina Sennacheribi. tantâ

tantâ pecuniâ, quam Ezechias, ad ultima redactus, non è sacro minùs ærario, quàm profano domesticóque, corraserat: nihilô tamen, vel placatior, vel abstinentior; contra datam *Judæis* fidem, perrexit, hostiliter omnia vastare, rapere, circumsidere. Nec enim *pacis animum* illis, sed *verba* tantùm, *dedisse* se, gloriabatur.

III. Insolentiam autem ejus extollebant, rerum, in *Palæstinis*, & ad *Aegyptum*, principiò præsertim expeditionis illius, læti statim progressus, ac rumores. Jam enim, primùm omnium, nihil ad mare Phœnicium hostile post se, vel bellô non edomitum, *Tharthánus*, copiarum illius in Aegyptum ductor, reliquerat. Occupatîs enim, Anthédone, Rhinocorúris, & Ostracinâ; per Casiotidem terram, secundùm lacum Sirbonidem, penetrârat in Aegypti primos fines. Rectà deinde *Pelusium* aggressus: operibus illud, & ingentibus aggerum exstructionibus; tum præterea totîs castrîs suîs, instituit circumcludere. *Pelusium* porrò, quod sæculîs posterioribus *Tamiatis*, & *Damiata*; *Caphior* item, & *Helviopolis*; ac novissimè, *Belbáis* etiam, appellatum est: urbs fuit, ad *Ostium* Nili fluminis *Primum*, quod ad So-

Ruina Sennacheribi.

lis ortum vergit: &, Aegyptum è Palæſtina petentibus, omnium primum occurrens, ab urbis ejus appellatione nomen ſuum hauſit. (*l*) *Aegypti-Robur* Ezechieli vati (*m*); Suidæ verò, *Clavis* ejuſdem Regni, dicitur: aliis denique, *Limes*, quo principium Africæ diſterminatur ab Aſia, Solem occiduum ſpectante. Quo titulô proinde, *Clauſtrum* etiam, & *Fauces*, atque *Porta*, tum Aegypti, tum totius Africæ, rectè *Peluſium* nominari poſſit. Et hôc occupatô, regionum illarum *quaſi veſtibulô*; minori mole, non in *Aegyptum* modò, ſed in *Libyam* etiam *Aethiopiámq;*, miles externus victor, irrupturus erat. Id igitur ſpectans *Sennacheribus*; vi ſummâ, ſuîs auſpiciîs, ac *Tharthani*, Legati ſui, copiîs, expugnare *Peluſium* feſtinabat. *Nec* tandem *defuit induſtriæ, ſucceſſus ſuus.* Perruptîs enim (quod & inferiùs dicetur) ab Aſſyrio, poſt operoſum obſidium, clauſtrîs illîs; oſtióque Peluſiaco tranſmiſsô: penetratum in Aegyptum eſt; & cum Aegyptio rege, diversîs locîs, aliquoties collata ſigna, ſecundáque facta prælia ſunt, à *Tharthano*. Nam id dubitare, nec Divus Hieronymus, aliíque, ſuper Iſaiam, commentatores, ſinunt: nec Iſaias ipſe; clades, & captivitates, Aegy-

Aegyptiis & Aethiopibus (qui ſuppetias tandem Aegyptio regi ferre conati ſunt) è Numinis ore minitatus. Eas autem minas eventîs ſuis expletas fuiſſe; nemo prudens *vaticiniorum* ejuſcemodi, (*quoties abſoluta*, ſinéque *conditione* ſunt) æſtimator, in controverſiam deducet. (*n*) *Aegyptiis* porrò, non modò prima belli fortuna parùm propitia, poſteáque, cladibus aliîs ſuper alias, calamitoſior extitit; cùm adhuc auxiliîs exterîs ac ſocialibus carerent: ſed nec in poſterum, *Aethiopum* armis adjuvari cœpta, magìs ſe benevolam exhibuit. Cauſſa; tum *Dei furor*, ſuper illa ſe regna, ſicut ipſe decreverat, & ipſa meruerant, exoneraturus: tum præterea (ſiqua fides Herodoto) gentis Aegyptiæ perfidus in Regem ſuum, & in obſequia militaria contumax, animus: ideóque victoriarum hoſtilium *promotor* potiùs, quàm *propulſator*; quia ſuímet regis, viſcerúmque regni, *proditor*. Cujus rei cauſſam ex eodem, quem modò nominavimus, Halicarnaſséó geſtorum conditore, delibare libet: quæ talis eſt. Erat, eâ tempeſtate, Rex Aegypti, *Sethon*, Sabáco ſuffectus, & Anyſi, regibus Aegyptiis: quorum *prior* tamen, Aethiops, Aegypti regnum quinquaginta

ginta, fertur, annîs tenuisse; postea verò, nemine depellente, libens, voléns que, suos Aethiopas repetivisse. *Posterior* verò, cui natale solum *Anysis* urbs fuit (unde nomen quoque suum traxit) *cæcus* cùm esset, & bene tamen Aegyptios, qui plus cæteris sibi gentibus videre videbantur, regeret; Aegyptum cum ingentibus copiis occupanti *Sabáco*, regnum cessit: &, in palustria latibula, fugæ celeritate, subtractus, ibi vitam *inglorius quidem, sed tamen ignoratus* subsessori suo, *propter eáq; tutus*, egit. In Aethiopiam autem demum regresso *Sabáco*; mirificô Fortunæ lusu, tantô pòst, *Successoris sui* denuò *factus est Successor*, Anysis rex: imperiúmque priscum, etsi *luminum* adhuc *orbus*; mentis tamen ingentî *perspicacitate*, rexit: neque minore suorum gratiâ favoréque; quippe, quos liberalitate non inferiore, quàm ante se *Sabácus* fecerat, sibi devinciret. Huic autem, fatîs functo, *Sethon*, quem dixi, subrogatus est; *Vulcani Sacerdotiô* superstitiosæ genti venerabilis: quod *sacerdotiúm*, is etiam unà cum regno postea, *diademati* sociatîs *infulîs*, obire perseveravit. (o) Ingressus porrò regni, tam latè patentis, administrationem *Sethon*; hominum illorum ingeniô,

geniô, qui, de *minore* potentiâ repentè, præ-térque ſpem, ac natalium ſuorum ſortem, ad *ſupremam* evadunt: deſpicere gentem eam ipſam cœpit, à qua ſublevatus in altum fuerat. Præcipuè verò, *bellicoſiſſimum* quemque contemnere, *quorum tamen, non iræ minùs, ac ſtudia, quàm arma, formidanda fuerant*, inſtituit. Et, quaſi non majus illi negotium cum *hoſtibus* aliquando futurum eſſet, in *acie*; quàm cum *hoſtiis* ei victimiſque fuiſſet, ſub *cultris* ad Aras: ità milites, tum, ut inutiles ſibi, palàm faſtidiebat; tum etiam, honoribus imminutos, inglorios ætatem agere compellebat. Ne verò, ſaltem opibus aliquando *fortuniſque* ſublati, ſpiritus adversùm ſe militares reſumere poſſent, & erigere: paullatim agrîs etiam (quos illi *duodenos* viritim, à regibus antecesſoribus, acceperant) eorúmque priſcis poſſeſſionibus, illos extrudebat. Demens, &, cui veniſſet in oblivionem; *Periculosè crabrones irritari: nec ullum eſſe regnum firmum diuturnúmq; poſſe; quod nec armîs ſeptum, nec armatorum benevolentiâ munitum, eſſet.* Certè quidem abalienavit hâc, & arrogantiâ, *Sethon*, & avaritiæ turpitudine, pleramque Regni ſui multitudinem: ſed inprimis, omne *militare*

nomen.

nomen. (*p*) Factum est igitur; ut, irrumpentibus paullò pòst *Sennacheribi* copiîs in Aegyptum, ac *Pelusium* machinîs verberante, finitimáque loca populationibus evastante, Tharthanô Duce; *Sethônem*, tantis his malis occursurum, *in arma nemo, natus armis*, sequeretur: sed vix exiguus *cauponum, institorum, operarúmque, manu victum quotidianum exercentium, manipulus: imbellis, præterea, déq; foro deductæ*, plebeculæ *turba*, *belli magìs umbra, quàm corpus*, in expeditionem iret. (*q*) Quâ re fiebat; ut præliô justô diu, vel nullo *concurreretur*; vel nullo non *Sethon succumberet. Assyriorum enim etiam aspectus solus*, tanquam leonibus cervos ac lepores territantibus, ità timidos *ac trementes Aegyptiorum pedes, in fugam avertebat.* Sethonem igitur, in has, quas memoravi, redactum angustias; quídnam, post omnia toties incassum per suos tentata, consilii speíque melioris caperet; anceps cura distringebat. Et *Herodotus* quidem, *Ab Aegyptio cuncto milite destitutum illum, plorâsse*, refert, *ac lamentatum:* Deinde, quasi *Mars* etiam, *Minerváque*, bellorum præsides ab illis tunc sæculis habiti, pariter eum exsecrarentur, & odissent: ad *Deum* confugisse *suum*, (haud dubiè,

Ruina Sennacheribi.

biè, *Vulcanum*) quippe, cujus is & Pontifex erat; & in ſacrario palatino dedicatam ſtatuam habebat. (r) *Vulcanum* autem, ſecundùm quietem, ei ſemet offerentem; ad urgenda cœpta, denuóque belli tentandam aleam, *feliciter* adhortatum eſſe. Nam, ſub hæc, continuò Peluſii ſolutam ab Aſsyriis obſidionem fuiſſe. Quod tamen nos univerſum, cujuſmodi ſit, & quàm veritati conſentaneum; inferiùs, ſuô locô, diſcutiemus. Interim autē, *hiſtoriâ profanâ cunctâ certior*, *biblici ſcriptoris auctoritas*; dubitare nos non ſinit, de *Tháraca*, remotiorum *Æthiopum* Rege: copias in Ægyptū, adversùs Aſsyrium, movente. (s) Quas Æthiopiæ copias, dum Aſsyrios hinc quidem vexant, & aduersùm ſeipſas laceſſunt; indè verò, nonnihilô regis Ægyptiorum à cervicibus eos divertunt: conjectura non improbabilis ſuadet, etiam à *Sethóne* fuiſſe, ſi minùs ſtipendiô, precariò ſaltem, evocatas. Tametſi ſanè, nec *Æthiops*, Ægyptio conjunctus, adversùs *Tharthanum*, ac *Sennacheribum*, quidquā promoverit: DEO (quod acta ſequentia docebunt) non Aſsyriæ-*Victores*, Æthiopas, ſed Iræ ſuæ *Victimas*, deſtinante.

IV. Proſperîs igitur, uti dicere cœperamus,

mus, Aegyptiaci belli, per *Tharthánum*, initiis, auctâ plurimùm insolentiâ, sibi cæteroquin antè jam insitâ, *Sennacheribus*; volvere secum instituit: quónam modo, nec *Judæam*, sine plena victoriâ, dimitteret (utpote, cujus oppida munitiora, tunc vel maximè, premere perseverabat, ac, seu vi, seu pactîs, occupabat,) & interim tamen *Jerosolymam* quoque, cujus incursus & obsidio longè maximum erat militem requisitura; sine magnâ temporis ac belli mole, citráque suorum sanguinem & cladem, redigeret in potestatem. Tandem igitur ei placuit, & ut *præsidenti*, nihil negatum iri suis, nec iniquis quidem, postulatis; &, ut *Superbo*, regiæ civitatis spontaneam deditionem *verbîs regiis* imperare. Quod ut *Ezechiæ*, civiúmque, grandiore terrore perficeret: cum *manu validâ*, comitatúque magnifico, quò magìs *Assyriacam*, tam majestatem, quàm potentiam ac vires, ostentaret; *tres* è purpuratorum suorum numero *legatos*, & in his ferocissimum, sibíque Deorum hominúmque contemptu simillimum, *Rabsacen*, *Jerosolymam* expedit: adjunctîs ei *Rápsari*, *Tharthanóque* quodam; qui *Tharthano*, bellum in Aegypto gerenti, cognominis erat. His mandat, quæ dici

dici *Judæo-regi*; quæque civibus Jerosolymitis, velit: ipséque tantisper, *Lachis* urbis, (quæ *Lobnam* inter, ac *Ramáthам*, mediô ferè situ jacebat, ad Australe latus vergens) mœnibus imminens; castrîs eam circumsidere, munitionibúsque, pergebat. *Rabsaces* igitur, cum suis, *Jerosolymam* profectus; quanquam eam ingredi, sitúmque, cum multitudine defensorum urbis, eádem simùl operâ tacitus explorare, (*t*) gestiret: clausam sibi tamen, metu multitudinis comitum ejus, invénit. Quod proximum igitur erat: ad *Aquæductum Piscinæ-superioris* (quæ tunc erat *in via* campi, quo pannos eluere *fullones*, & ad Solem siccandos suspendere, consuêrant, Austrum versùs (*u*), extra mœnia, quæ *Sionem*-montem, ac *Regiam*, cingebant) *Assyrii* substiterunt. Indè Regem *Ezechiam* ad colloquium, super summa rerum, bellíque rationibus, evocant. At ille suam legatis Assyriis præsentiã committere detrectavit: partim, quòd tantæ barbarorum multitudini, quæ parvi fidem ac fœdera faceret, parùm crederet; partim, quòd id minùs è *sui gradûs dignitate* futurum intelligeret, nuntiorum, se citantium, arbitriô, *Regem* a auribus oculísque populi sibi subjecti stare:

Regis Sennacheribi.

re: mandatáque mancipiorum Principis Aſ-
ſyrii, *Davidicæ ſtirpis* Principem coràm acci-
pere. Ne tamen eorum aſpernari poſtulat
videretur: ad tres *Legationis* illius *primores*,
totidem, viſum eſt, *è primoribus Ieroſolymitis*
ablegare. Progrediuntur igitur ad eos, redu-
ctîs mox à tergo portîs, *Eliacîmus* (x), do-
mûs regiæ *procurator*; idémque (quod credi-
dêre quidam) ſacræ quoq; pecuniæ quęſtor,
in Templo Salomonæo: (y) *Sobna*, Legiſpe-
ritus; quod litteratorum genus, Hebræi ſer-
monis conſuetudo *Scribas* appellat: *& Ioa-
hæus*, Asáphi filius, ab Arcanis, commentariiſ-
que regiîs, quem noſter hodie loquendi mos,
à *Cancellis*, nominaret. Hos, ad portam eun-
tes, ac poſtea digreſſos urbe, civium (ut in ta-
libus rerum motibus fieri conſuevit) ingens
à tergo ſubſecuta multitudo; ſumma mœ-
nium, ac turres, & pinnacula, *Colloquii* loco
viciniora, confertim occupârat: permittente
quidem id humaniſſimô Regum, *Ezechiâ*;
poſtquam concurſus hic ei renuntiatus eſt
diſertîs tamen verbis, per deſtinatos, eodem
ſubmiſſos, imperante; *Satìs ut haberent, audire
ſpeculariq; de cætero, nemo ſe legatorum verbis, in-
terrogatiſve, reciproco ſermone, miſceret, aut inter-
pone-*

poneret. Poſtquam porrò ventum ad congreſſum eſt; priores Aſſyrii ſermonē exorſi ſunt: & eorum audaciſſimus, Rabſaces; *Quoniam mutuum*, inquit, *orationis noſtræ commercium, quod in rem tamen illius magis, quàm noſtram, futurū fuerat, aſpernatus eſt Ezechias veſter* (his ipſis enim eſt uſus verbis Rabſaces; Regis eum appellatione, faſtu barbaricô, dedignatus: ut & *Darius* poſtea *Codomannus* Perſes, *Alexandrum*, Macedonum regem) *hæc ſunt, quæ, Sennacheribi Regis Aſſyriorum, hoc eſt*, Regis-Regum, *verbis, ex nobis diſcat abſens; dum fugit ea præſens. Permittat, ac tradat*, Regi Magno, *non jam, impoſitam nuper centum talentorum argenti, trigintáq; talentorum auri, congeriem; quam ſtipendii ſimùl, ac mulctæ, nomine, ſicut debuit, ità pependit: ſed & ſeipſum, & Ieroſolymam, unà cum incolis ejus, univerſáq; reliquâ Iudæâ. Credat enim; hæc omnia, jam dudum, non Sua, ſed Magni Regis, fuiſſe. Primùm, ex quo tempore Servus illius eſſe cœpit; penſitatione tributorum, amiſſæ Libertatis exuvias profeſſus. Deinde, peccatîs recentibus; quibus, etiam fiduciariâ ſe regni Iudaici poſſeſſione, ſciens, ac volens, dejecit: quando non modò vectigalis deinceps eſſe detrectavit; ſed, præter hoc, novum ſibi Dominum, Ae-*

gypti regem, Magni Regis hostem, fœderibus, ac nummariis pactionibus, adscivit. à quo ne nunc quidem, dum clausus undiq; constrictiúsq; tenetur, recedere meditatur. Insanus utique, nulliúsq; cordis, & consilii! si, quam cœpit, in rebellionis cogitatione perseveret. Amentes autem & vos; &, quicunq; muris clauduntur istis, indigenæ, vel inquilini: si prava volenti, pravioráq; machinanti, Rebelli subscribitis. Nam, dicite mihi! Quibúsnam vel confisi subsidiis, *vel retenti* Commodorum *illecebris, aut insurgitis in Assyrios, aut Assyriæ Iudæam antefertis?* Subsidiorum *vobis fiduciā ista (puto) faciunt; si bene spes vestras assecutus sum. Ezechias vester; copiæ defensorum urbis; Aegyptii regis fœdus, & auxilia; pósque cætera jam universa conclamata,* Deus ille vester, *cujus esse vos in tutela, persuasum habetis.* Emolumenta *verò, quæ vobis odium regionum externarum, vestræ contrà nimis immodicam æstimationem amorémque, subiiciunt; Terræ vestratis bonitas, atq; fertilitas, est. Hæc omnia, cujusmodi sint; agitè, percurramus. Ac primùm omnium;* Ezechiâ *quis vanior? quis promissorum facilior, fidei fluxior, fœderum inconstantior, verborum factorúmq; mendacior, ac mutabilior? ut, qui, diversô quidem spei, sed uno tamen oris sui, flatu, regum maxi-*

maximorum obsequia juret; ac mox dejeret: detrectet; & continuò recipiat: recalcitret; ac statim denuò supplex fiat: pœnis digna committat; & illico, pœnitentiæ simulatione, muneribúsque, contumaciam redimat: donec iterum, ad pœnitenda revertatur; Omnium temporum, ac ventorum, homuncio. Propugnatorum *autem* urbis *vestra si nescire nos multitudinem, aut paucitatem, arbitramini: vehementer erratis. Nam sanè! producite, siquid in vobis roboris ac virorum est; & in castra nostra transeundi facultatem eis, commeatúmque, præbete. Dimißis ego, de copia jumentorum nostrorum immensâ,* duo *largiar* equorum millia; *qui, sine comparatione, plura possem. Ità mihi Belus noster propitius! ità Magni Regis nostri Divinitas, præsidio nunquam sit! si* totidem *vos, de copiis vestris,* insessores, *quot ego, de stabulis nostris, asturcones, suppeditare valeatis. Adeò, pleniora nostra, vel sola sunt equilia; quàm universa vestra tecta, stabula, castra. Sed nempe; destitutos ab his,* rex Aegyptius *sublevabit; & cornu vobis cristásque surriget? Ille quadrigas falcatas; ille curruum, & aurigarum, & equorum, equitúmque, metuendam Assyriis tempestatem, effundet. Miserum enimverò Martem illum! miseriorémque Iovem, ac Tonantem! qui primùm ipse*

Ruina Sennacheribi.

gum, & Imperia: qua, quæso, fronte vos, ac fiduciâ, cum Ezechia vestro, protegi vultis ab eo; cujus ipsi vos umbracula, sacratáq; loca cuncta, vasta fecistis, atq; deserta? Cujus Excelsa, lucos, altaria subscribentibus vobis, Ezechias dejecit, excidit, ac demolitus est; ne stirpe quidem, aut trunco; ne ruderibus quidem, aut (quod minimum esset) ararum pulvere relictô: qui pulvis monimento junioribus esset; ubinam majores eorum victimas aliquando thuráq; Deo suo succendissent? Ad unicam autem, unius Aedis, aram, *lege Sacrorum durissimâ tyrannicâque, tanquam ad carcerem, & vos, & hostias vestras, Numénq; suum, imperiosus Flamen, alligavit: jussitque,* vel Jerosolymorum in Templo, vel nusquam, rem fieri Divinam. *Et speret quisquam, nisi mentis imminutæ vir; tot Ezechiæ sacrilegiis, non tam exasperatum Deum vestrum, quàm placatum ac delenitum esse? speretne quispiam impudens; Eum ad auxilia descensurum mortalium illorum: quorum ipse manibus* ex omni colle frondoso, nemoréque lætô, *detractus; de* Cœlo *quoq;* suo (*si quod tamen habet) timere sibi, periclitariq;, coactus est: ne fortassis & indè detruderetur? Mihi credite! siquid in eo Consilii, siquis Majestatis suæ sensus, adhuc superest: contumeliam hanc tantam ulciscetur;*

inque suæ dignitatis violatores animadvertens, exscindet excisores: & extirpatores eradicabit. lege, non tantùm Majestatis, *sed &* Talionis, *aget. Et adhuc tamen hæc ità dissero; tanquam divinans, aut conjiciens; Eum pœnas de vobis expetiturum. Quasi verò non jam factis ipsis vindictam, & mandârit nobis; & per manus nostras exerceat? Nam certè quidem, tam per somnia frequenter, & Oraculorum haruspicúmq; responsa, Sennacheribus, Rex magnus noster, adversùm vos impulsus est; quàm nostrâ, patrúmque majorúmque nostrorum, memoriâ, Phules, Theglath-Phalasar, ac nuperrimè Salmanasar, Assyriæ Reges, incitati fuerant: quando Phœnicas, Tyrios, Samaritas, & Judææ partem, evastaverunt. Ipsius, siquid vestrum Numen est: aut, si nihil est, Deorum omnium, unanimi stimulô, reliquimus Niniven: & Judæam ac Jerosolymam aggressi sumus. Ipsis, siquid sunt, aspirantibus; si nihil sunt, Regis nostri Divinâ Felicitate, tot jam in manibus nostris urbes & oppida vestra sunt. quæ verò nondum sunt; propediem erunt.* Viris, *ubiq; victoribus, si DI nulli sint; pro DIs, successus, & Fortuna, sunt.* Cœlum *sanè, noster Belus-Juppiter, & Adonajus vester, occupent.* Assyriorum-Cœlum, omnis est Mundus; *cui jura dant. tantæ*

præterea potentiæ, per utrumq; Solem diffusa, vis, ut Hebræus omnis hic, qui nunc capita de muris tollit, populus ac miles, cum universo Regni suo robore, nec infimi quidem unius, ex Imperiô nostrô, Satrapæ, minis & apparatui bellico par sit futurus. Quantò minùs ergò, Satraparum omnium Imperatori Monarchæq; Regi? Sunt igitur hæc, quæ refutavimus hucusq;, spei vestræ bellicæ, Magna, si DIs placet, subsidia: Princeps, aio, vester; miles, ac civis, propugnator: Pharao, socius & protector; Deus, extremi discriminis vestri Clypeus, ac propulsator. Nunc autem, & Commoda *regionis vestræ qualia sint, & quàm digna, quæ nauseam vobis Assyriæ nostræ Mediæq; creent, &, quasi voluptatum compedibus quibusdam adstrictos vos, in Iudæa detineant; per transennam saltem aspiciamus. Patebit etiam hinc: non majores fuisse pinguiorésq; quondam caussas; cur gentem vestram Deus, ut affirmatis, vester, ex Aegypto limosâ, sterilibusq; Sinæ solitudinibus, in Chanaanitidem evocârit: quàm, cur nunc, è Chanaanitide, migrare jubeat, in Assyriam: cùm, armorum nostrorum operâ, vos illuc transferri mandat. Ipsius enim (siquid monita Divina sunt) magìs, quàm Imperatoris Assyriorum, omnis hæc est expeditio. Nostra, signa sunt, & Columbæ (cc) vexillorum: vestri*

stri verò Numinis, ut antè monui, ductus est, atque Tubæ.

V. Cùm autem hæc diceret *Rabsaces*, & quidem *Judaicâ*, (quam usu, studióq; longo, didicerat) linguâ; quippe, *Judæos* ad Optimates: populi sensim multitudo cœtúsque major, supra mœnium partem illam, quæ *Legatis* exadversum opponebatur, convolans; intentiores arrigere visus est aures. Erátque periculum, ne, prædicandîs à *Rabsace* regionis Assyriacæ deliciîs, emollirentur audientes; ad telluris alienæ genium, natalis soli commodis anteferendum. Periculum quoque: ne *Deus*, à *Rabsace* migrationis auctor & impulsor jactatus, falsò sine dubiô; complurium tamen malè-credulorum mentes, tanquam indubitabili veritate, permoveret. Visus est igitur, interrumpendus iste, *Declamatori* propior, quàm *Legato*, sermo: ne cum pernicie serperet, ad quos, non expediret. *Eliacimus* itaque, de sententia quoque comitum duorum; *Rogamus*, inquit, *Domine, nos tui, Magnique Regis, ad omnia licita, ministri. Libeat tibi; quæ supersunt, Syrô sermone, (qui tibi sine controversia, tam familiaris, quàm nobis non ignotus, est) prosequi; ne de Iudaico*

gum,& Imperia: qua,quæso, fronte vos, ac fiduciâ, cum Ezechia vestro, protegi vultis ab eo; cujus ipsi vos umbracula, sacratáq; loca cuncta, vasta fecistis, atq; deserta? Cujus Excelsa, lucos, altaria subscribentibus vobis, Ezechias dejecit, excidit, ac demolitus est; ne stirpe quidem, aut trunco; ne ruderibus quidem, aut (quod minimum esset) ararum pulvere relictô: qui pulvis monimento junioribus esset; ubinam majores eorum victimas aliquando thuráq; Deo suo succendissent? Ad unicam autem, unius Aedis, aram, *lege Sacrorum durißimâ tyrannicâque, tanquam ad carcerem, & vos, & hostias vestras, Numéng; suum, imperiosus Flamen, alligavit: jußitque,*vel Jerosolymorum in Templo, vel nusquam, rem fieri Divinam. *Et speret quisquam, nisi mentis imminutæ vir; tot Ezechiæ sacrilegiis, non tam exasperatum Deum vestrum, quàm placatum ac delenitum esse? speretne quispiam impudens; Eum ad auxilia descensurum mortalium illorum: quorum ipse manibus* ex omni colle frondoso, nemoréque lætô, *detractus;* de Cœlo *quoq;* suo (*si quod tamen habet*) *timere sibi, periclitariq;, coactus est: ne fortaßis & indè detruderetur? Mihi credite! siquid in eo Consilii, siquis Majestatis suæ sensus, adhuc superest: contumeliam hanc tantam ulciscetur; inque*

inque ſuæ dignitatis violatores animadvertens, exſcindet exciſores:& extirpatores eradicabit. lege, non tantùm Majeſtatis, *ſed &* Talionis, *aget. Et adhuc tamen hæc ità diſſero; tanquam divinans, aut conjiciens; Eum pœnas de vobis expetiturum. Quaſi verò non jam factis ipſis vindictam, & mandârit nobis; & per manus noſtras exerceat? Nam certè quidem, tam per ſomnia frequenter, & Oraculorum haruſpicúmq; reſponſa, Sennacheribus, Rex magnus noſter, adverſùm vos impulſus eſt; quàm noſtrâ, patrúmque majorúmque noſtrorum, memoriâ, Phules, Theglath-Phalaſar, ac nuperrimè Salmanaſar, Aſſyrii Reges, incitati fuerant: quando Phœnicas, Tyrios, Samaritas, & Judeæ partem, evaſtaverunt. Ipſius, ſiquid veſtrum Numen eſt: aut, ſi nihil eſt, Deorum omnium, unanimi ſtimulò, reliquimus Niniven: & Judæam ac Jeroſolymam aggreßi ſumus. Ipſis, ſiquid ſunt, aſpirantibus; ſi nihil ſunt, Regis noſtri Divinâ Felicitate, tot jam in manibus noſtris urbes & oppida veſtra ſunt. quæ verò nondum ſunt; propediem erunt.* VIRIS, *ubiq; victoribus, ſi* DI *nulli ſint; pro* DIs, *ſucceſſus, & Fortuna, ſunt.* Cœlum *ſanè, noſter Belus-Juppiter, & Adonajus veſter, occupent.* Aſſyriorum-Cœlum, omnis eſt Mundus; *cui jura dant. tantæ*

gum, & Imperia: qua, quæso, fronte vos, ac fiduciâ, cum Ezechia vestro, protegi vultis ab eo; cujus ipsi vos umbracula, sacratáq; loca cuncta, vasta fecistis, atq; deserta? Cujus Excelsa, lucos, altaria subscribentibus vobis, Ezechias dejecit, excidit, ac demolitus est; ne stirpe quidem, aut trunco; ne ruderibus quidem, aut (quod minimum esset) ararum pulvere relictô: qui pulvis monimento junioribus esset; ubinam majores eorum victimas aliquando thuráq; Deo suo succendissent? Ad unicam autem, unius Aedis, aram, *lege Sacrorum durissimâ tyrannicâque, tanquam ad carcerem, & vos, & hostias vestras, Numénq; suum, imperiosus Flamen, alligavit: jussitque,* vel Jerosolymorum in Templo, vel nusquam, rem fieri Divinam. *Et speret quisquam, nisi mentis imminutæ vir; tot Ezechiæ sacrilegiis, non tam exasperatum Deum vestrum, quàm placatum ac delenitum esse? speretne quispiam impudens; Eum ad auxilia descensurum mortalium illorum: quorum ipse manibus* ex omni colle frondoso, nemoréque lætô, *detractus; de* Cœlo *quoq;* suo (*si quod tamen habet*) *timere sibi, periclitariq;, coactus est: ne fortassis & indè detruderetur? Mihi credite! siquid in eo Consilii, siquis Majestatis suæ sensus, adhuc superest: contumeliam hanc tantam ulciscetur; inque*

inque suæ dignitatis violatores animadvertens, exscindet excisores: & extirpatores eradicabit. lege, non tantùm Majestatis, *sed &* Talionis, *aget. Et adhuc tamen hæc ità differo; tanquam divinans, aut conjiciens; Eum pœnas de vobis expetiturum. Quasi verò non jam factis ipsis vindictam, & mandârit nobis; & per manus nostras exerceat? Nam certè quidem, tam per somnia frequenter, & Oraculorum haruspicúmq; responsa, Sennacheribus, Rex magnus noster, adversùm vos impulsus est; quàm nostrâ, patrúmque majorúmque nostrorum, memoriâ, Phules, Theglath-Phalasar, ac nuperrimè Salmanasar, Assyrii Reges, incitati fuerant: quando Phœnicas, Tyrios, Samaritas, & Judææ partem, evastaverunt. Ipsius, siquid vestrum Numen est: aut, si nihil est, Deorum omnium, unanimi stimulò, reliquimus Niniven: & Judæam ac Jerosolymam aggressi sumus. Ipsis, siquid sunt, aspirantibus; si nihil sunt, Regis nostri Divinâ Felicitate, tot jam in manibus nostris urbes & oppida vestra sunt. quæ verò nondum sunt; propediem erunt.* VIRIS, *ubiq; victoribus, si DI nulli sint; pro DIs, successus, & Fortuna, sunt.* Cœlum *sanè, noster Belus-Juppiter, & Adonajus vester, occupent.* Assyriorum-Cœlum, omnis est Mundus; *cui jura dant. tantæ*

Ruina Sennacheribi.

ſuómet à cœlô, regnóque, depellere belli nubem non ſufficiat; quâ premitur à Thartáno, copiisq; noſtris. Quis autem unquam erexit alium; qui ſuámet in ſtrage jacet? Deinde, ne ſit jam Sethon; ne Cæcus, ante Sethonem; ne Sabácus Aethiops, gentis Aegyptiæ ſupremum culmen. Sesácos nobis, & Bócchores, ac Pſammos, & Oſorchos, (z) & illa, quantô vetuſtiora, tantô potentiora, Pharaonum nomina, pro vobis, ſi vultis, ex inferis revocate. Docebunt vos, univerſorum temporum Aegyptiorum litterata monimenta; captâ de fœderatis pecuniâ, ſemper largè promiſiſſe reges illos: præſtitiſſe, vel nihil, vel exiguum. Frequenter etiam; à ſimulatione fœderum, repentè converſos in hoſtilitatem, evertiſſe reperietis, quos, erecturos ſeſe, venditârant. Nimirum, ſui fluminis, jam olim, Arundines ſunt, Pharaones omnes. His, in ripa Nilotica ſeſe, baculorum ac ſcipionum in ſpeciem, erigentibus; & repentinô, vel ventô, vel tactu, diffringi ſolitis: quiſquis, ambulatione feſſus, ad reſpirationem incumbere tentârit: is nugas aget, & casûs ſui ludos exhibebit. Nam, quæ ſolida videbatur, ac ſtatura; primô ſtatim ponderis ſenſu canna diſiliet: innitentémq; ſibi manum, arundinis fractæ ſubintrantes aculei perforabunt. Viator autem, ſaucius, ac gemens, aliò ſe, deceptâ ſpe,

ſpe, convertet. Tales Aegyptiorum Reguli ſunt, ac Dynaſtæ. (*A a*) *Fatigatis bello, vel ſervitute, vicinis nationibus; ſuppetias, ac levamen, oſtentant. Aurum accipiunt;* & *auxilia promittunt. Tandem autem, & mittunt; quod ipſum tamen nondum Setbon fecit. Sesácus, & alii, fecerunt. hodiéque faciant, ſi viri, ſi fidi fœderatis ſunt, exopto. Sed ſanè* (*quod, direptione ſui, Roboamus veſter expertus eſt*) *in ſinum ac gremium accepti regnorum; & in fœderum ſocietatem coëmpti: fœdera juramentáq; rumpunt: opum reliquias exhauriunt, aſportántq; : regna nuda, reges ſpoliatos, omnes denique bonis omnibus everſos, in luctu ſqualoréq; deſtituunt. Et quiſquam poſthac Aegyptum, aſylum; & illius auxilia, Salutem arbitretur: niſi, cui clades, victoriæ ſunt; & pernicies, rerum inſtauratio? Verùm, nimis hæc multa ſunt, ſuper Aegypto: nec erat opus oratione tam diffusâ, contra ſpes exteras illas; quas vel cæci veſtri vident, nullas unquam fuiſſe, vel, in ventum difflatas. At* ADONAIUS (*bb*) *vobis, hoc eſt,* DEUS *ille veſter, ad opem, adversùs Aſſyriorum vires, expediendã, reliquus & ſufficiens eſt. Primùm, ſi concedamus* (*quod poſtea tamen videbimus*) *aliquid, humanas ultra vires ac Solia,* veſtrum *eſſe* Numen; &, *illo nolente, fruſtra niti Maximorum ſceptra Regum,*

Ruina Sennacheribi.

gum, & Imperia: qua, quæso, fronte vos, ac fiduciâ, cum Ezechia vestro, protegi vultis ab eo; cujus ipsi vos umbracula, sacratáq; loca cuncta, vasta fecistis, atq; deserta? Cujus Excelsa, lucos, altaria subscribentibus vobis, Ezechias dejecit, excidit, ac demolitus est; ne stirpe quidem, aut trunco; ne ruderibus quidem, aut (quod minimum esset) ararum pulvere relictô: qui pulvis monimento junioribus esset; ubinam majores eorum victimas aliquando thuráq; Deo suo succendissent? Ad unicam autem, unius Aedis, aram, *lege Sacrorum durissimâ tyrannicâque, tanquam ad carcerem, & vos, & hostias vestras, Numénq; suum, imperiosus Flamen, alligavit: jussitque,* vel Jerosolymorum in Templo, vel nusquam, rem fieri Divinam. *Et speret quisquam, nisi mentis imminutæ vir; tot Ezechiæ sacrilegiis, non tam exasperatam Deum vestrum, quàm placatum ac delenitum esse? speretne quispiam impudens; Eum ad auxilia descensurum mortalium illorum: quorum ipse manibus* ex omni colle frondoso, nemoréque lætô, *detractus; de* Cœlo *quoq;* suo (*si quod tamen habet*) *timere sibi, periclitariq;, coactus est: ne fortassis & indè detruderetur? Mihi credite! siquid in eo Consilii, siquis Majestatis suæ sensus, adhuc superest: contumeliam hanc tantam ulciscetur; inque*

inque suæ dignitatis violatores animadvertens, exscindet excisores: & extirpatores eradicabit. lege, non tantùm Majestatis, *sed &* Talionis, *aget. Et adhuc tamen hæc ità dissero; tanquam divinans, aut conjiciens; Eum pœnas de vobis expetiturum. Quasi verò non jam factis ipsis vindictam, & mandârit nobis; & per manus nostras exerceat? Nam certè quidem, tam per somnia frequenter, & Oraculorum haruspicúmq; responsa, Sennacheribus, Rex magnus noster, adversùm vos impulsus est; quàm nostrâ, patrúmque majorúmque nostrorum, memoriâ, Phules, Theglath-Phalasar, ac nuperrimè Salmanasar, Assyrii Reges, incitati fuerant: quando Phœnicas, Tyrios, Samaritas, & Judææ partem, evastaverunt. Ipsius, siquid vestrum Numen est: aut, si nihil est, Deorum omnium, unanimi stimulò, reliquimus Niniven: & Judæam ac Jerosolymam aggreßi sumus. Ipsis, siquid sunt, aspirantibus; si nihil sunt, Regis nostri Divinâ Felicitate, tot jam in manibus nostris urbes & oppida vestra sunt. quæ verò nondum sunt; propediem erunt.* VIRIS, *ubiq; victoribus, si DI nulli sint; pro DIs, successus, & Fortuna, sunt.* Cœlum *sanè, noster Belus-Juppiter, & Adonajus vester, occupent.* Assyriorum-Cœlum, omnis est Mundus; *cui jura dant. tantæ præter-*

Ruina Sennacheribi.

præterea potentiæ, per utrumq; Solem diffuſa, vis, ut Hebræus omnis hic, qui nunc capita de muris tollit, populus ac miles, cum universo Regni ſuo robore, nec infimi quidem unius, ex Imperiô noſtrô, Satrapæ, minis & apparatui bellico par ſit futurus. Quantò minùs ergò, Satraparum omnium Imperatori Monarchæq; Regi? Sunt igitur hæc, quæ refutavimus hucuſq;, ſpei veſtræ bellicæ, Magna, ſi DIs placet, ſubſidia: Princeps, aio, veſter; miles, ac civis, propugnator: Pharao, ſocius & protector; Deus, extremi diſcriminis veſtri Clypeus, ac propulſator. Nunc autem, & Commoda *regionis veſtræ qualia ſint, & quàm digna, quæ nauſeam vobis Aſſyriæ noſtræ Mediæq; creent, &, quaſi voluptatum compedibus quibuſdam adſtrictos vos, in Iudæa detineant; per tranſennam ſaltem aſpiciamus. Patebit etiam hinc: non majores fuiſſe pinguioréſq; quondam cauſſas; cur gentem veſtram Deus, ut affirmatis, veſter, ex Aegypto limoſâ, ſterilibúſq; Sinæ ſolitudinibus, in Chanaanitidem evocârit: quàm, cur nunc, è Chanaanitide, migrare jubeat, in Aſſyriam: cùm, armorum noſtrorum operâ, vos illuc transferri mandat. Ipſius enim (ſiquid monita Divina ſunt) magìs, quàm Imperatoris Aſſyriorum, omnis hæc eſt expeditio. Noſtra, ſigna ſunt, & Columbæ (cc) vexillorum: veſtri*

stri verò Numinis,ut antè monui,ductus est,atque Tubæ.

V. Cùm autem hæc diceret *Rabsaces*, & quidem *Judaicâ*, (quam usu, studióq; longo, didicerat)linguâ; quippe,*Judaeos* ad Optimates: populi sensim multitudo cœtúsque major, supra mœnium partem illam, quæ *Legatis* exadversum opponebatur, convolans; intentiores arrigere visus est aures. Erátque periculum, ne, prædicandîs à *Rabsace* regionis Assyriacæ deliciîs, emollirentur audientes; ad telluris alienæ genium, natalis soli commodis anteferendum. Periculum quoque: ne *Deus*, à *Rabsace* migrationis auctor & impulsor jactatus, falsò sine dubiô; complurium tamen malè-credulorum mentes, tanquam indubitabili veritate, permoveret. Visus est igitur, interrumpendus iste, *Declamatori* propior,quàm *Legato*, sermo: ne cum pernicie serperet, ad quos, non expediret. *Eliacimus* itaque, de sententia quoque comitum duorum; *Rogamus*, inquit, *Domine, nos tui, Magnique Regis, ad omnia licita, ministri. Libeat tibi; quæ supersunt, Syrô sermone, (qui tibi sine controversia, tam familiaris, quàm nobis non ignotus, est) prosequi; ne de Iudaico.*

quo

quo nunc usus es, in aures militum ac multitudinis, in mœnia confluentis, illabente; siquid asperitas aliquantò jacias, è tanta viciniâ periculum, cum collegis legationis, adeas: & nos, qui prohibere non possemus, apud Magnum deinde regem, violati gentium juris, invidiam incurramus. Nam, ne nescias, tum omne vulgus aspectu frequentiæ, secum sentientis, & fiduciâ loci securioris, ad opinionem contumeliarum, in ultionis impetum esse mobile, velòxque, solet: tum inprimis, *Iudaicum; (dd) quoties præsertim arma secum, & hostilitatis titulum, gerit. Vnus aliquis insolentior, incitatiórque, civis, aut miles; per furorem in vos contortò jactóque temerè jaculò, tota trahere secum bacchantium examina, parem in insaniam, queat. Quorum, quis tam subitò potentérque deinde, sopire dementiam castigator possit; ut non priùs facinus ingens, in legatorum sacrosancta jura, consciscatur? (ee) Cui toti discrimini, sermo, quod dixi, peregrinior, minúsq; trivialis, submissiore præsertim vocis tenore missus, remedium præparabit.*

In hæc *Eliacimi* verba, modestiæq; plena postulata, *Rabsaces*, arrogantium indole, quibus sana consilia ludibrio sunt, circumlatis ad collegas, equestrémque comitum multitudi-

tudinem (*ff*) oculîs; *Videtis* (inquit), *quàm pro ſalute noſtrâ ſollicitus hic, ſuorum etiam umbras & cadavera capiti timeat noſtro?* Mox deinde, nequid alienũ à ſuperbiſſimo ſuo ſpiritu, *vir, omnium aliorum contemptor,* ageret: idipſum, quod diſſuaſum erat, omni ſtudiô verſurus in contrarium; ab internuntiis, quos allocutus hucuſque fuerat, averſum vultum & verba, transfert ad ſtantem in mœnibus populum: orationémque, ſecùs penitùs, ac rogatus fuerat, *clamoſiſſimam*, tumultuoſiſſimámque, tanquam Plebis-Tribunus aliquis, è *Curia* jam, ad *Quirites* ac *Roſtra* tranſgreſſus, exorditur: &; *DI meliùs!* (inquit, ſermone denuò Iudaico) *quàm, ut hi, quorum ſaluti conſulturus huc acceſſi, pro fido benevolóque conſilio, mihi ſpicula rependant! Cur enim è caſtris, miſſu Maximi Regis, Ieroſolymam excurri? Num tui forſitan, Eliacime, tuique reguli, ſervandi cauſsâ? quos equidem, propter contumaciam, nec ipſa quidem, ſi vel maximè velit, ſervare Salus poſsit. Nónne legationis noſtræ potiùs iſta mens eſt, atque propoſitum: miſerari, tanquam in cavea confectas fame feras, ſic, concluſos Ieroſolymorum mœnibus, cives & incolas? pallentes inediâ; confectos macie; ſpiritu fatiſcentes; ac, niſi* corpo-

corporum suorum purgamentis & fæcibus, tenuissimò pendentem adhuc stamine sustentent animulam: ante crastinum Solis occasum, vitales vobiscum reliquias exhalaturos? (†) Equidem, castrorum nostrorum comparatione, Ierosolyma, vix vicus, aut prædium est: copiæq́; vestræ, nostris compositæ copiis, vix pars, ac numerus, sunt. Et tamen, quæ nobis abundè superest, res frumentaria, nulla vobis; spes messis autem, & in longinquum, &, protritis ab exercitu segetibus, inanis est. Igitur, tam pauci licèt; necessariâ tamen & inevitabili fame contabescetis. Pereundum, & vobis est, & liberis conjugibúsque vestris; quod inter vos ipsi, reor, querelis taciturnis susurrãtes confitemini. quod & si negaretis; res ipsa loqueretur: &, exesi macie, vultus vestri faterentur. Quænam est hæc igitur (proh malùm!) amentia? quæ vestra, viri Ierosolymitæ, vecordia: lactari vos, eludique, scientes prudentésque, futilibus Ezechiæ vestri promissis, ac declamatiunculis; quibus vobis cœlestem, nescio quam, adversùs Assyrios, opem pollicetur? auribus contrà surdis prætcrire Regum omnium maximi potentissimique, Sennacheribi nostri, fidem, obsequium, amorem? respicere dynastæ vestri, clausas ad dandum, & vacuas ad auxiliandum, manus? E contrario, totius Orientis Domi-

n-

Ruina Sennacheribi.

tui, rectorisque, dexteram, promissorum fidam, gratiaeq; liberalem, aversari? Quin potius igitur id, cujus ego vobis suasor, Rex-magnus autem, dictator & auctor est, agitis? Terrae vestrae sensum & aestimationem, nimis immoderatam, & illius, quē Ezechias vobis jactat, DEI fiduciam; discite sensim, ex animis evulsam vestris, oblitterare. Quod enim, de Terrae vestrae genio, nisi nos Oratoris hujus vestri sermo, parùm tempestivus, interturbâsset, dicturus fueram: idem nunc explicatiùs aliquantò dico. Glebam vos colitis, campestrem, ac montanam; Melle, sicut jactare vos audio, lactéque fluitantem; frumenti divitem, ac pecoris & armentorum abundantem: vinearum, ficuum, & olivetorum, fertilem: quódque vivis à fontibus, fluviorúmque perennibus aquis, vobis deest; id torrentium cisternarúmque frequentiâ suppletis. Vera sint haec; ut, esse, puto! sed sanè, si quid sapitis; & his frui pergite, quoad è re vestra, regísque Magni voluntate, fuerit: & tamen, opulentiores his, terras insidebitis, ad quas opportunò tempore transferemini; dummodo nunc interim, Ierosolymis egressi, vósque liberósque vestros, ac fortunas, invictissimo Sennacheribo permittatis. Post haec enim, compositis ab eo Phoeniciae Syriaeq; rebus, & Aegyptô perdomitâ; summâ, tum eius munificen-

Ruina Sennacheribi.

nificentiâ, tum voluntate veſtrâ, tranſportabimini; pars in Mediæ Bactrorúmque, pars in Hyrcanorum, ac Margianæ, regiones, & in Orientis opulentas provincias alias: quarum, cum veſtris collata terris, bona terræ, multîs paraſangîs Perſicîs Chanaanitidem univerſam antecedunt. Perennes illic fluvii, cryſtallóque limpidiores undæ; Choaſpes, Araxes, Medus, Rhyndacus, Ziöberis, Oxus, Bactrus: quorum minimo, poſtremóque, compoſitus veſter iſte Cedròn, quid, niſi cloaca? Iordanes autem, ac Ciſon, toti quanti, quid niſi rivuli ſunt; non fluvii? Tritici porrò meſſes, ne Libycis quidem Mœſianiſque cedunt. Pabuli, pratorúmque, luxuries, altitudine graminis atque ſucco, Meſopotamicis campis haud inferior; in unica Medorum, eáque ſpatioſiſſimâ, planitie, quam nos Hippóboton, ex ejuſmodi jumentorum alimento, vocamus: præſtantiſſimi ſeminis equorum millia quinquaginta continua caſtris nutrit, præſepibúſque palatinis. (gg) *Hæc éadem Media, quamvis oleâ bacciferâ* (hh) *veſtris, quos admiramini, montibus & campis oliviferis concedat: ſub Portis tamen Caſpiis, humilî licèt concavóque locô, naturæ divitias univerſas, ac fructuum ubertatem, expandit. Et tum illic, tum alibi paſſim, Citriorum malorum ingentes in cœlum arbores,* (ii) *ac præ-*

prædensa nemora, consurgunt: foliis, laurorum æmulis, nullóque vento defluentibus; odore, succóq; pomorum medicatô; veneris inimicô; senescentis anhelitûs fomenta. Quibus addite, Laserpitium, Cyrenaico nonnunquam præstantius; &, siquando bonitate cedit, multitudine frequentiáq; defectum compensans. (kk) Taceo, Medum amnem; qui quàm meritò regioni dat omni nomen, tam copiosè præbet & Medicam, Orienti celebratam herbam: floribus ipse, pascuisque nemoribus, quidquid alluit, utrimque riparum exornans. (ll) Quid autem, quæ post Mediam ad Ortum jacet, Boreæ propiorem Bactrianam, & Hyrcaniam quoq;, prædicem? terras, quæ, suismet sese deliciis opibúsque celebrantes, hederâ laudis alienæ non egent: pampinîs ipsæ vitibúsque nativîs gloriosæ: cæterâque glebæ fæcunditate lætæ. Pomorum in Hyrcania copiam immensam, etiam arborum, quarum mellifera sunt folia, multitudo coronat (mm). ditant eandem & segetes, è granorum de culmis fortuito casu, spontaneæ; densisque meßibus exsurgentes. Mel, item, ex oleis emanans (nn): vitésque singulæ, vini singulas metretas proferre suetæ: ficeta denique, ficuum modios, ex unica stirpe sexagenos, protrudentes. (oo) De Bactrorum autem vitifera fertilitate; non equidem mentiar, quod fortas-

ſis Aſiatici Minores, de botris Eucárpiæ ſuæ (pp): ſingulîs illius urbis uvîs ſingulos onerari currus: Eóſque, ponderis magnitudine, gementes nonnunquam, & inter vecturam confractos, ſub unico racemo, concidiſſe. Sint hæ Græciæ fabulæ! Vos autem, Hebræi, torrentem, neſcio quem, ac Vallem (ut audio) Botri, ſub Neheléſcolis *nomine, celebratis; quem* botrum, *antiquitas veſtra jactare fertur,* de vecte *ſuſpenſum,* duobus à bajulis *eſſe deportatum. Nihil hîc fidei derogabo veterum. fuerit hæc* Uva! *quæ, ſi fuit,* una *fuit, ac fortaſſis &* unica. *Quotus enim quiſque, cujus in arbitrio bonæ rei delectus eſt, non ex omni copia tollit id; quod maximum eſt, ac præſtantiſſimum? Sed Hyrcania noſtra, vicináque Margiana (qq), vites paſſim exhibent, truncorum ac ſtirpium tantâ craſſitie; quantam* virorum duûm *occurrentia ſibi mutuò, conſertáque, brachia complexu metiantur:* Racemos *verò,* duorum cubitorum *longitudine dependentes (rr). In hæc igitur Orientis beata regna, vos quoque (ſicuti Samaritæ nuper, & Iſraëlis cæterum nomen) inducemini; colenda, poſſidendáque, coloniarum, & inquilinorum, lege. Quorum vos locorum, ſi modò vultis ipſi, ſi Magni regis imperiis acquieſcitis, & in deditionem ſpontaneam venitis; eſſe Cives & incolæ ſempiter-*

piterni potestis. (*ss*) *Ibi tum, qui nunc* Jerosolymam, *natale solum*; & Assyriam, *Exilium vocatis: vice rerum ac nominum inversâ*, Patriam *dicetis* Assyriam *atq; Mediam*; Jerosolymam *verò vestram*, Exilium, *ac relegationem. Certè non, ut hîc, ità Medorum in terris, fame contabescetis. Dixi, quod* inter duo *priore mihi locô propositum hucusq; fuerat*; Cur nec in immensum arridere vobis *Judæa vestra* debeat: nec ullo modo displicere *terra nostra. Superest, ut & fatuam vestram, quam* in Deo, *nescio quo, majorum vestrorum, defixistis* fiduciam, *sermone meô demoliar.* (*tt*) *Agitè nunc ergo! Quis est iste tandem, quem pro* summo Numine, *próq; Cœli terrarúmq; Rectore, colitis,* ADONAIUS? *Quis eum, vestrûm omnium, aut sensit unquam, aut contrectavit; aut præsentem præsens, & alloquentem alloquens, convénit? Immò, quod minimum est Deorum cum Hominibus commercii genus:* quis *hunc* vidit *uspiam*; *aut*, qualî frontis orisque specie, *citra somnium, aut oculorum ludibrium, aspexit? Cùm præsertim ipsi vos* (*ut nonnunquam, à referentibus arcana vestra, didici*) *fateamini*; Non posse *cuiquam contingere mortalium*, & vivere simùl, & vidisse Numen *vestrum. Tanquam verò conspectus Divinitatis illius, viliùs emi nequeat*;

Ruina Sennacheribi.

queat;quàm mortalitatis impendiô. Pretioſa, mehercule, majeſtas; ſi, quò videas, Qualis ea ſit, *paciſci debeas; ut tu* non ſis! *(uu) Quantò civiliores igitur, & in hominem humaniores, omnes, & Orientis, & Græciæ, DI: Juppiter-Belus, & Mars, & Saturnus, & Aſtarte-Venus, & Neſróchus, Magni regis noſtri Deus;* &, *Aſſyriorum commune Numen, Semiramis; aliæq; cœleſtes in terris Poteſtates? Quarum*, Semiramis *quidem, in* Columbis *ſaltem, ſe præſentem ſiſtit. Cæteri verò Deorum, in* auro *ſtant, aut* argento, *vel ære, ſcitè ductô; vel Pariô marmore, fabrè perpolitô; vel Cedro denique, perennes in ſtatuas efformatâ, venerabiles. Hos nos* videmus; *hos* tangimus, *ac ſentimus. horum aliquos, & olfacimus; odoratis è ſtirpibus elaboratos. interdum autem (ne neſciatis) etiam* aure *percipimus; Oracula fundentes, & futurorum nobis Arcana prænuntiantes. Quorum omnium nihil vobis* ADONAIUS *præſtat veſter: aut, ſi quid aliquando; de* Ciſtæ *cujuſdam inauratis, ac mendaci ſuperſtitione plenis, tabulatis, tanquam ex* antrô magicô, *perplexum aliquid ſuſurrare perhibetur: ut dubium ſit attonitis; Silentióne conſulentes, an Reſponsô, nebuloſiore circumvolutos, ab ſeſe dimittat? Et hunc talem,* inaſpectum, inſenſilem, incontrectabilem, ac ſurdum,

ſurdum, & elinguem, *Deum Regulus veſter, ac veſtra fallax opinio, promittere vobis audent, adversùm vires Aſſyrias, Opitulatorem, & aſylum? At; quibus rogo de cauſsis? An ideò; quòd Vnus-unicus, utì jactatis, Deus, Deorum multitudinem ſuperet? an, quòd,* Imaginarius *ipſe Ieroſolymorum Juppiter,* tot Vera *præſentiſſimáque terrarum orbis Numina, viribus anteiturum ſe confidat? Quod, quàm ſit vanum, & inane; nemo, reor, niſi puer, aut puerilis ſtultitiæ ſuppliciô dignus, ignorare poteſt. Quid enim?* Jovéne, *Deo-Deorum, & Saturno, Marte, Belo, Cœlitum antiquiſſimis; aut Hercule, Semideorum fortiſſimo, potentior Adonajus, aut eſt, aut fuit? Vel herclè, ſiquid unquam fuiſſe viſus eſt: numquid & præſente ſpirantéq; Deo, Dominóq; noſtro,* Sennacheribo, *præſentior ac præſtantior eſt? Quibus adjungite, ſi placet, & majores Sennacheribi; Reges Aſſyriorum priores: quorum tamen Rex iſte potentiam, armorúmq; robur, quantùm annis præceſſiſſe ſinit, tantùm Martio ſucceſſu, perpetuiſq; Victoriis, antecurrit;* Triumphator, *non* hominum *modò, ſed &* Deorum. *Id ſi neſcit* DEUS *ille veſter: eat (ſuadeo) diſcátq; Deorum totius Orientis, vel ex ore lamentóq;, vel exemplis & exſcidio. Quàm pulcrè namq; ſua quiſq; regna, ſuos populos, aras, ac tem-*

Ruina Sennacheribi.

ac templa, tutati sunt; qui, ne sibi quidem ipsis, statuisq; suis, ac simulacris, esse potuêre præsidio? Vel, si potuerunt: ubinam igitur, aut terrarum nunc, aut cœlestium regionum, sunt? Vbi, Libani montis accola vetustus, Emathæorum Deus, Asimas? (x x) *Vbi, maritimorum Phœniciæ portuum DI præsides, Portunus, Castor, atq; Pollux?* (yy) *Vbi Deus Arphadæus, Anæus, Avæus, Samaritarum nuper tutelæ; nunc* umbræ? *Quos autem hodiernæ Samaritarũ coloniæ Deos adorant: numquid non iidem priùs, Regum nostrorum ante genua procubuerunt; à nobis bellô, cum populis suis, subacti? Babylonius, inquam,* Sochothbenôthus? *Chutæorum,* Nergel? *Hevæorum,* Nebahazus *&* Thárthacus? *Syrophœnicum maritimorum,* Adrameléchus, *&* Anameléchus? *(z z) & ipse denique Tyriorum Sidoniorúmq; tutor,* Hercules *antiquus?* nam, *quem nunc ei substituerunt, Deus* recens *est, & herì ferè natus. Omnes hi DI, Deæque; tum & præter hos, Gozanorum in Medis; & Haranæorum, ac Resephiorum; &, Orientis Gentium, Edenorum, Numina: (* * *) Phuli, Theglath-Phalasari, Salmanasari, regibus Assyriorum, jam olim in spolium ac ditionem, belli captivitatisq; lege, concessêre:* Numina *quondam ingentium populorum; nunc autem vana duntaxat, ad lu-*

Ruina Sennacheribi.

ad ludibrium, Nomina. *Nec destitit Assyriaca, cœlo victrix ac terris, armorum potentia: donec, & illo DIs suis, & istis Deorum metu, vacuatîs, universa* Divinitatis *auctoritas ad* duo *redigeretur* capita: *Nesróchum*, inquam, *mortuum; quem Sennacheribus noster adorat:&* Sennacheribum *ipsum*, *qui* vivus *vidénsq; Deus, ab Assyriis adoratur. Ità, Qui* primus in orbe fecit Deos, Timor (*Aaa*);*is idem eos, altioris potentiæ viribus, destruxit: uniq; culminis Assyriaci reverentiæ, substravit se; quidquid ubiq;* Divinum, *aut erat, aut videri volebat.* Fortissimîs *ergo* Deorum, & *sui vel solâ multitudine formidandis, nec Samariam antehac, nec Tyrum, ac Sidonem, & littora Philisthæa: nec Emathiam ac Syriam, Mediámq;, contrà vires nostras tutari valentibus: credétne quisquam, nisi planè delirus, Iudæorum Numen (si tamen ullum illis Numen est) esse præsidio posse suis his Ierosolymis; ità jam clausis, quasi penitùs dudum captis? Credet aliquis; ubi* robustissimarum *gentium* DI *succubuêrunt*: illic, adversùs invictam Assyriorum potentiam, ausurum aliquid, aut *valiturum, hunc solitarium* Circumcisorum DEUM? *(bbb) Quæ verba Rabsaces*, cùm non absq; superbissimâ vocis elatione, digitorúmq; crepitantium contumeliosô talitrô,

Ruina Sennacheribi.

litrô, contra Sionem, arcis *(ccc)* Regiæ montem, contráq; templi frontem contortis oculis, *exſpuiſſet:* ad ſuos obversô mox corpore, *novus Orientis Mezentius*, geſtu ſignificabat; *Ex æquo ſe mortales pariter & Immortales audere deſpicere.* Præſtolabatúrque; quid, aut *Cives* ſibi, præſidiariíque, *de mœnibus*; aut, cum ſociis, *Eliacimus* eſſet, *extra mœnia*, reſponſurus.

VI. Et populus quidem, alto defixus, tam ſtupore, quàm ſilentiô, nihil ad iſta Legato repoſuit Aſsyrio: partim, quòd diſertè taciturnitatem in mandatis haberent à rege; ſicut in ſuperioribus narratum eſt: partim (& rectè) quòd *Divinæ* pariter, ac *Regiæ* Majeſtatis, quarum utramque *Rabſaces* invaſerat, Cauſſam ac defenſionem, aliter, quàm plebejô, tractandam ore, judicarent. Silentes igitur, ac ſuper eventu legationis ſuſpenſi, de mœnibus, ſuam quiſque domum, receſſerunt. At non eádem uſi diſſimulatione ſacrilegorum *Rabſacis* ſermonum, *Eliacimus*, & collegæ; diſruptîs (ex Hebræo more, quoties aliquid Numini contumelioſum ad aures accideret) corporum ſuorum tegumentîs, teſtati ſunt averſantis animi juſtiſſimum dolorem; ídque ſpectantibus, ac, pro barbarici

faſtûs

faſtûs conſuetudine, cachinnantibus, Aſſyriîs. Mox, nullô redditô legatis, ſed, velut in regis ſui nutum dilatô, reſponsô; laceriîs veſtibus, ac fletu rorantibus oculîs, ad *Ezechiam* revertuntur; de Barbarorum, inprimíſq; *Rabſacis*, intolerabilibus in regem Deúmque conjectis contumeliîs quiritantes. Terruiſſent alium, & præſertim, erga cœleſtia ſecus affectum, Principem, Aſſyriorum iſta tonitrua, verborum minîs atrocia. Fregiſſent animum, *Legatorum* inſuper, in armis equíſque latè fulgurantes, copiæ. Neque dubium: quin *Achazes* quiſpiam, aut *pavidæ mentis* Roboamus, continuò manus poſtulatis hoſtium dediſſent: imbecillitate virium ad *humanas* tantummodo rationes, nec *altiùs*, expensâ. Quod accidere ſanè neceſſarium eſt illic, ubi Scelerum Impietatíſque Conſcientia ſubſidii Divini fiduciam excludit. Vident enim, exactô malitiæ ſtadiô, metam aliam, quàm pœnas, nullam ſupereſſe. Non autem talî mentis habitu rex *Ezechias*; ſed, ut palma, ventîs ac tempeſtatibus agitata, fortior ex ipſa malorum concuſſione, repertus eſt: quia *Pius*; quia religioſus; & Deo, domeſticóque morum teſtimonio, confiſus. Contentus e-

Ruina Sennacheribi.

nim primò, Divinæ majeſtatis, tot maledictîs impetitæ, contumeliam, dolore cordis interiore, foríſque regiæ purpuræ dilaceratione, teſtari: quantum convitiorum *Rabſaces* in Deum, tantum ipſe mox, è diverſo, laudum ac reverentiæ, congeſſit. Neque dubium eſt; quin irriſioni barbari, ſibi renuntiatæ, religioſas ipſe lacrymas, piámque mœſtitiam, repoſuerit. Deinde, ſive reſponderi legatis juſſerit; ſive, quod propiùs prudentem conjecturam eſt, ipſo ſilentiô ſuô, ſatìs locutus pro ſe ſuíſque ſit; *Poſtulatis tam indignis, arma ſe potiùs, ac ſanguinem, & extrema quæq, quàm obſequium tam fœdum, impenſuros*: (*ddd*) ipſe quidem, regalibus ſibi detractîs indumentîs, ac nautici ſqualoris cilícinô, de pilis, amictu nudæ cuti ſuperinducto; ſeſe comparat ad ſupplicandum, pro periculi magnitudine, *Potenti Deo-Cœli*. Simùl autem, eodem in veſtigio, *Sacerdotii* totius venerabiliſſimum quemque, moribus ac ſeniô gravem, cum Eliacimo Sobnáque, veſtitos etiam ipſos piloſîs corporum operimentîs, ad *Iſaiam*, Amóſi filium, regiæ ſtirpis virum, & Altiſſimi Dei *Propheten*, ablégat. His mandat; utì doceant eum; *Quantô verſentur in diſcrimine res Jeroſoly-*

ſolymorum; quorum ipſe quoq; Civis & alumnus eſſet (habitabat enim Ieroſolymis Iſaias) : *quantô barbarorum in contemptu volutetur, non Rex tantùm, noménque Judaicum univerſum; quorum minima tamen, in deſpectione poteſtatis altioris, eſſet ducenda ratio: ſed, quod extremum ſit impudentiæ furoriſque genus, ipſe ſedens in Cœlo, DEVS. Ac ſceleſtos quidem illos, unà cum Rege ſuo, cujus iuſſu Numini maledixerint, improbitatem tam inauditam, nec à ſe, nec à comparatis adversùs eos copiis, ablaturos impunè fore. Nam, omnium in eos ardere, tam mentes, quàm dexteras, armatas. Sed accidere ſibi, quod fœminis prægnantibus, partum conantibus, nec tamen emolientibus: virium imbecillitate, continuiſque laboribus, nixûs felicitatem deſtituentibus. Ità, ſuas quoque ſuorúmque juſtiſſimas, in vindictam, animorum flammas, intus æſtuare clauſas: ſed in ſucceſſum foràs, ob paucitatem pugnantium, adversùs Aſſyriorum immenſum exercitum, humanitus nunquam eſſe fortaſſis erupturas. Divinis igitur opibus ac præſidiis, in rem tam arduam, indigere ſe: quæ, dubio procùl, Iſaiæ ſaltem precibus (ſi nihil, apud Deum, regis ac populi valitura cauſſa foret) negatum non iri. Petere ſe proinde, non ſuo magis, quàm univerſi ſangui-*

ſanguinis Hebræi, nomine; cujus ſtirpis vix tenues ſuperſint fibræ: ne cunctetur, vir, apud Numen gratioſus, celerem extorquere maledicentiæ vindictam; quam, ut, à nemine clariùs auditam eſſe, quàm à Deo, *certum ſit: ſic, à nullius dexterâ caſtigari ſeveriùs, quàm ab illius ejuſdem, par, ac juſtum, eſſe.* DIVINITATEM *exploſam, vindicari quoq; divinitus, æquum eſſe: Sceleriſq; tam atrocis in pœnam, cui tota non ſufficiat terra, totum effundi debere cœlum.* Hæc, ut dixi, mandavit *Ezechias*, ſacro nuncianda Vati, per deſtinatòs ad eum Oratores. Ipſe verò, potentior omnibus, cauſſæ tam probabilis, Actor, apud potentius Tribunal, futurus: in *Templum* ſe *Salomonæum* confert: Ibíq;, nunc protenſis in cœlum manibus, nunc in genua dejectus, inque faciem pronus, cæsîs inſuper hoſtiîs quoque, *placandi cauſsâ* lege præſcriptîs *(eee)*; éadem Deum, quæ rogari per legatos ab *Iſaia* juſſerat, ipſe quoque, verbíſq; diffuſioribus, nec ſine lacrymis, obſecrat. Quod eodē ipſo tempore cùm domi ſuæ faceret & *Prophetes:* quid mirum erat; Duorum, Numini tam charorum, capitum, more ſagittarum ardentium erumpentes in Cœlum, penetrantésque, preces *(fff)*, Deo fuiſſe cordi,

Ruina Sennacheribi.

di, Cœlestibúsq; curæ: neuter ut sine sperato successu surgeret è loco, quem, prostrati corporibus, ac jacentes, occupârant? *Iunctarum enim*, socialiúmq; *precum*, si præsertim calore non disparî densentur, validius ad impetrandum esse robur; ne *poëtæ* quidem veteres, nedum *sacri vates*, dubitaverunt. (*ggg*) Igitur *Rabsaces* quidem, cum suis, postulatorum irritus, ad regem suum, cum armato frustra comitatu; rex autem *Ezechias*, in arcem *Sionæam*, plenus animorum speíque bonæ, redierunt. In cœlo verò, nubibúsque, jam sensim, consiliô dexteráque Dei Vindicis, in Assyria castra, Fulmen, & ultio, cudebantur. Et id agi; nec Deus *Isaiam* orantem, nec *Isaias* legatos Hebræi regis, responsum præstolantes, celavit. quibus ad Ezechiam, hæc, ex ore Numinis, mandata dedit. *Omitteret metum: & Assyriorum impios in Divinitatem sermones, pro saxis haberet, in cœlum quidem jactis; at in capita jaculantium relapsurîs. Intentatas verò belli vastationisque minas, cava sinè flammîs tonitrua, brutáque verborum fulmina, duceret. Sennacheribum enim, neque tunc obsidioni Jerosolymorum admoturum esse manum; quippe, formidinis, divinitus immittendæ, spiritu consterna-*

ſternatum ; adventantiſque novi cujuſdam hoſtis nuntiô perplexum: ad cujus rumoris auram ille, non Jeroſolymam tantùm intactam, ſed reliquam quoque Judæam, infectis rebus, ſit omiſſurus. Poſt hæc autem, *quanquam ad vetus obſidionum expugnationúmque conſilium revertentem; majori tamen clade, priuſquam quidquam hoſtilitatis attingeret, repulſum in Aſſyriam iri: dexterâq; denique, non tam hominum ferientium, quàm Dei permittentis dirigentiſve, proſtratum; gladio daturum pœnas, qui linguam ſuam ut gladium exacuiſſet in Deum: (bbb) & ore moribundo morſurũ terram; qui ponere non eſſet veritus os maledicum, in Cœlum.* (*iii*) Hæc breviter tunc, animandi tam regis quàm conſternati populi cauſsâ, perferenda regiis ab Oratoribus ad *Ezechiam,* Iſaias, auctore Numine, mandavit: donec, pluribus eum erigendi, copioſiúſque conſolandi, major paullò poſt exorta cauſſa; tam *Deum, Ezechiæ familiariorem,* quàm interpretem Dei, *propheten, fecit eloquentiorem.* Cujus *occaſio* fuit ea, quam nunc exponam: quæq; *Sennacheribum* iterum, & graviùs, Honoris Divini *Furem fecit*, ac Prædonem.

VII. Reverſo namque, ſicut dictum eſt, in caſtra, cum ſociis, *Rabſace*; Regíſque Judaici fi-

ei fiduciam omnem, non in copiis viribúsq; (quæ nullæ ſint) ſed in *Deo-Cæli*, conſtitutam eſſe, renunciante: graviter indignatus *rex Aſſyrius*; expugnandæ, quam tunc poſt dimiſſam Lachin obſidebat, urbis Lobnæ conſilium differre conſtituit; universámque belli Judaici vim ac molem, adversùs Jeroſolymam ſolam, Ezechiámque, convertere. Convocatîs igitur *Aſſyriacîs* propemodum omnibus, ex omni Judæa cæterâ, copiîs; & in ſua caſtra conductîs: à Lobnæ mœnibus ac finibus expeditionem, in agrum Jeroſolymitanum indicit. Ac jam in procinctu Rex erat, & exercitus: cùm, ecce, nihil minùs exſpectantibus, ex Ægypto nuntius ac litteræ celeres, ad Sennacheribum, à Tharthamo, copiarum ad Peluſium Duce, perferuntur. Iîs nunciatur: *Regis Ægyptii fluctuanti fortunæ, fortaſſéq; Judææ quoq; pendentibus rebus; ſive fœderum nomine, ſive per ambitionem, ſuppetias eſſe laturum Aethiopum regem, Tháracam.* (*kkk*) *Eum, jam nunc, maximîs agminibus & itineribus, in Ægyptum, & adversùs Aſſyrios, properare. Nec dubitandum: quin, conjunctîs, & Sethon, & Tháraca, viribus, ſi proſperè rem adversùs Aſſyrios in Ægypto geſſiſſent; eádem audaciâ moturi ſint in ipſum*

Ruina Sennacheribi.

psum Sennacheribum, ejúsq; copias, per Judæam sparsas; ad Ezechiam, fœderibus sibi connexum, auxiliîs levandum: nisi, celeritate summâ, totiúsque Martis Assyriaci viribus, obviàm iretur. Etsi sanè tamen, non omnem omnino Iudæam præsidiîs Assyriorum nudari, consultum sit: ne, (sicut fieri consuêsset) omni solutus hostili metu, rex Iudæus, à tergo superveniret Assyrio, Sethonem ac Tháracam impugnanti; sociúsq; gemino Magni Regis hosti, tertius adjungeretur hostis. Hic rumor, & hæc epistola *Tharthámi*, vehementer Assyrii regis animum, nec ex vano, concussêre. Re namque verâ, *Tháraca*, rex Aethiops, in subsidium Sethonis; &, si Genebrardo fides est (*lll*), etiam *Ezechiæ*, cujus oppugnari sedem urbémque regiam rumor (etsi falsus) attulerat, veniebat. Eáque cuncta, quæ metuenda Regi suo *Tharthámus* ingerebat; esse formidini jurè potuêre. Prævertendum igitur esse, tam ingentis, ac tam latè diffundendi, belli discrimen, ratus *Assyrius*: illico dimissâ, præcipitatâque, tam Lobnæ, quàm Ierosolymæ capiendæ, cogitatione; totóque Iudaici belli negotio curis aliîs potioribus interscissô: totum se convertit, ad *Tháracam*; quàm fieri maturrimè posset, opprimendum. Eo

con

Ruina Sennacheribi.

consiliô, relictîs paucarum duntaxat, quas in Iudæa jam occupaverat, urbium præsidiîs, in sui tutelam magis, quàm hostium memorabilem aliquam cladem, aut terrorem: profectionem, quam Ierosolymam indixerat, mutatîs jam vocibus atque classicîs, versísq; retrô signîs, in Ægyptum pronuntiat, & Aethiopiam. Illuc universum rapit exercitum; quem & ipse per se, nec jam per auspicia tantùm, ac legatos, ducit: *Majori periculo majorem pariter obicem opponendum*, præ se ferens. Interim autem, ne, se *dimissum veriùs, quàm dilatum*, Ezechias ratus; Assyriorum abitu, tanquam omni jam formidine defunctus, insolesceret: ac, vel præsidia deleret Assyriaca, per Iudæam sparsa; vel hostes Aethiopas Ægyptiósq; quoquo pactô, novîs, seu copiîs, seu consiliîs, auctum, aut adjutum, iret: per internuntium, ad eum, in itineris ipso procinctu, misit epistolam *(mmm)* cum mandatis. Quorum quidem mandatorum, éadem prorsus, non *summa* modò, sed pæne *verba* quoque, fuerunt; quæ, primâ statim legatione, per *Rábsacen* effutita, memorabamus. Epistola verò, talis erat. *Rex Regum (nnn) Sennacheribus, Ezechiæ, Saniorem aliquãdo mentem! Quod*

 nuper-

Ruina Sennacheribi.

nuperrimè per Rabſacen te noſtrum, ſociósq; legationis ejus, hortati ſumus: illius nunc iterum iterúmq; vehementer auctores tibi ſumus; ut, Ieroſolymîs ultrò nobis apertîs, præſidia noſtra, ſicut urbes ac gentes aliæ quàm plurimæ, recipias: nec ad extremæ nos hoſtilitatis cardinem impellas. Equidem, adversùs Aethiopem nunc, & Auſtri regna, propero. Sed tu, noli putare; nos & tibi pariter, & ſpei, capiundi Jeroſolymam, terga vertere, recedendo. Longiſſimas enim adhuc, latéque ſe porrigentes, habemus manus: quarum alterâ dum Ægyptum Æthiopiámque ſtringimus; alterâ nihilominus, Orientis imperium, & Judææ poſſeſſionem, complectemur. Quapropter, & Tháracam nunc inſequemur: & te tamen, inter hæc, non dimittemus. Nec dixeris illud vulgare nobis; Duos, uno tempore, lépores captanti, neutrum captum iri. *Nos enim, exiguô temporis intervallô, non* duos *modò, ſed* tres, *in caſſibus noſtris ferratis,* lepuſculos *aſpecturi ſumus; concluſos, ac trementes:* Tharacam, *putà,* Sethonem, & Ezechiam. *Quid namque vetat, quò minùs id quàm primùm eveniat? Aut, quis Deorum, hominúmque, conatibus obſtabit noſtris, tam conſtanter ad vota fluentibus? Ac mehercules! mirari non ceſſamus; quánam tu fiduciâ, neſcio cuju*

Numi

Numinis, *ac* Potentiæ cœlestis, *nixus*; *pollicearé, Jerosolymis quidem tuis, securitatem, ab armis Assyriis: tibi verò, rupti fœderis impunitatem, à nobis; precariique regni perpetuum & tranquillum, incubitum. Crede nobis!* Fallere (ooo) nôrunt & Numina: *maximéque generis illius, ac, farinæ; cujus Tuum illud est. Quod nemo videt, tangit, audit: id invicem, adversùs implorantes se, cæcum, fugitivum, evanidum, surdum est. Sed fac tamen; per omnia sibi constare Divinitatem illius: ac numeris omnibus absolutas esse Majestatis ejus vires. Numquid ideò nostrum quoque robur adæquabit? ne dicam, & supergredietur? Satìs noster tibi Rabsaces nuper; satìs fama, rumórque publicus, & annalium monumenta, descripserunt, Regum Assyriorum invictas, erga mundi regna, manus. Nostram autem, & ipse sentis: ac senties, haud multò pòst, efficaciùs: Quò minùs idcirco speres; Vnicum te Regulum, ex omnibus Orientis, iisque magnis, regibus, ADONAII tui beneficiô tutelâque, vim nostram evasurum. Quid enim? Num evasêre, vel gentes ullæ liberatæ; vel, gentium se liberatores professi, DI? quos omnes, vel numerare duntaxat, longum esset: & numeravit tamen Rábsaces tibi noster; inutilésque demonstravit adoratoribus fuisse*

 suis.

Ruina Sennacheribi.

suis. Ad eorum igitur modulum, ac mensuram Deorum, Tui quoque (siquid sapis) Dei pedem, ac dexteram opitulantem, exige: nostrisque tandem imperiis acquiesce. Præsidia nominis Assyriaci, quæ sunt in urbibus Judææ captis, inviolata tantisper relinquito: dum ex Ægypto revertamur. Nos isthæc ad te postrema damus, per epistolam & cursores, mandata; salutaria, si resipiscere didicisti: Si nescis adhuc; peremptoria. Námque Stylum in hastas posthac, gladiósque, vertemus. Hîs, in hunc, quem retuli, modum, mandatîs perscriptísque; *Sennacheribus*, cum exercitu pleroque movit in Ægyptum: seséque Tharthamo, quantâ potuit celeritate, conjunxit. *Ezechias* autem, perlatîs ad se, per nuntium Assyrium, regiis codicillis, ac deditionis imperiô decretoriô: nequaquam animô comminutus, more *filii*, casus omnes adversos *paternum* in gremium confidentibus querelis effundentis, in Templum Salomonæum, Numinis alloquendi caussâ, recta contendit. Ibi, sicut nuper, non tam rerum suarum extremo discrimine, quàm iterata DEI contumeliâ, commotus: *epistolam* quidem Sennacheribi regis, impiæ criminationis plenam, expromit: & evolutam, explicitámque

qu

que, divinis oculis, quasi perlegendam expendendámque, proponit: ipse verò, rursus in genua faciémque pronus, totum in preces se dat; crebrísque gemitibus ac lacrymîs interpolatas supplicationes in Cœlum effundit. *Rogabat* autem, quæ proximè quoque Deum rogârat: *ut, vindictâ, populis omnibus terrisque manifestâ, suas DEVS ter max., adversùs sacrilegam Assyrii linguam ac manum, injurias ultum iret: neque differret, ostendere regnis terrarum universis; Se Solum verum, vivúmque, nec alium aliquem, præter se, DEVM esse. Deos cæteros omnes, & inprimis, vanissimum Sennacheribum, Divinitatis esse fabulas, mendacia, pulverem, ac favillas. Numina Manu facta; manibus itidem humanis, meritò faciléque dissolvi, destruique. Solum Cœli Numen, (quippe, quod ex seipso solo, nullius effectoris externi beneficiô, sit) Inviolabile nullius, vel manu, vel ore, semper fore. Tantô verò studiosiùs nunc approperandam esse maledicentiæ barbaræ castigationem: quantò, si mox & Æthiopibus eum, & Ægyptiis, fieri bellô superiorem, contingeret; insolentiâ furiosiore, victrix, & impunita, Regis impietas, revolaturæ foret in Judæam. Incastigatam enim, &, præter hoc, felicem adhuc, Improbitatem vix Superis unquam,*

Ruina Sennacheribi.

quam, nedum mortali patientiæ, venire posse tolerabilem. Hæc *Ezechiæ* regis, ex animô, Divinæ gloriæ studiis intimè succensô, deducta postulata; *Deum, qui benevolentiâ se vinci nunquam sinit,* invicem commodorum illius, ac dignitatis, reddidêre fautorem: ac longè jam, quàm antea, studiosiorem. Qui namque *cum Bono bonus, & cum Electo* (quod David ait) *electus est: amico* quoque fit *amicus: &, amicitiæ lege, cum eo sua, tam vitæ pacisque bona, quàm animi decreta, communicare gaudet.* Continuò proinde, quid Ezechiæ responderi velit, *Isaiam* Deus admonet. Hic, è templo reversum; per internuntium, *bonum* (utì nuper) *& Heroë, qui Deo curæ sit, dignum, animum habere* jubet. Quantùm enim in Cœlum, *Sennacheribi* voces impiæ contra fortunas Ezechiæ; tantùm, è diverso, pias *Ezechiæ* preces, adversùs *Sennacheribum*, ascendisse: Regémque, sub unum idémque ferè tempus, auditum illîc utrumque; sed diversissimis esse fatîs: *alterum*, ingentibus suîs emolumentîs; extremîs verò malîs suîs, alterum. Hanc autem divini responsi summam, hoc compendium, esse. *Sionem, ac Davidicam urbem, omnémque cæteram Jerosolymam; à Sennacheribo*

cheribo nunc quidem, tanquam Ninivês quoddam mancipium, minis, terroribus, duriſque deditionis imperiîs, ad omnem ſervilis conditionis vilitatem, exagitari. Sed fore tempus: cùm, è contrario, Sionis mons, & arx; cùm omnis cætera Jeroſolyma, ſuîs cum incolis, contemptura Regem Aſſyrium, & illius exercitum, ſit: exſibilatóque barbaricô faſtu, ferocibus minis explosîs, perditiſque Sennacheribi tam rebus, quàm conſiliis, in ludibrium tractis; irridentium more, poſt dorſum fugientis, motura caput, & quaſſatura, ſit. Et id quidem ſummo jure meritôque; Superîs pariter ac mortalibus approbantibus, Aſſyriorum inſolentiſſimis caſtris eventurum: inprimiſque Supremo Caſtrorum Ductori. Quid enim? Ecquid in huminiſtratum homuncionem aliquem, Sennacheribi maledicam exſertam eſſe, ſtrictámque, linguam? Ecquid in lignea lapideáve Simulacra, manuum humanarum opera, caninum barbari convitiatoris latratum ſæviſſe? Numquid in Idolum quodpiam, aut in Poëticos Græciæ Deos, hoc eſt, Dæmonia, ſuperciliosos Aſſyrii regi Oculos eſſe ſubrectos? & non potiùs, adversùs Hominis opificem, adversùs Univerſitatis auctorem; contráque Majeſtatem, omni reverentiâ proſequendam; Deorum denique Deum, & Iſraëliticæ gentis Sacro-

ſanctum ab ævo Numen? Sanè, comparatione tanti rerum ac regum omnium Imperatoris; quid aliud eſſe Sennacheribum totum; quàm lixam unum, aut calonem? Qui tamen, tanquam ei quoque jura poneret, à quo Juris omnis æterna lex eſt; dictatoria, per impuræ linguæ nuntios, mandata miſiſſet, & convitia; quibus Divinitatem altiſsimam, velut opis imbellem & invalidam, invaderent: exprobratione virium, quibus Cœli-Deus, Deorum fictilium inſtar, aut non poſſet, aut non auderet, addictos ſibi tegere, vel ſublevare. Tanquam verò, barbarus hic Dei contemptor, Suus ipſe totus, & à Se ſolo, vel eſſet, vel poſſet, vel ageret; quidquid hucuſque fuiſſet, potuiſſet, perfeciſſet, in armis ac populorum exſcidiis: ità, Pulverem illum, ſpumosámque bullam, gloriari ſolere; Se, quadrigis ſuis, falcatiſque, raptatis ex Aſſyria, curribus percurriſſe terras Occiduas; preſsiſſe montanos regulos; ſuperâſſe ſatrapas, principes, ac majoris quoque faſtigii Reges, tanquam Libani montis vertices: dejeciſſe potentiſsima quæque capita; quæ ſe, Cedrorum inſtar, antehac erexiſſent; &, ut coniferi proceriorum abietum apices, ovâſſent. Penetrâſſe ſe ſuis cum copiis; quò nemo priorum auſus ſit: nec ullum Phœnicês, & Libanicarum regionum, angu-

lum

lum, aut oram, inaccessam esse, vel castris suis, vel turmis: ac ne Carméli quidẽ abstrusissimos quosque recessus, editissimósque saltus, sibi clausos: quò minùs hostilitatis suæ securibus, & asciis, eos prostratos daret. Exterarum præterea gentium regna, se tantis inundavisse peditum equitúmque copiis: ut pertranseundò, fontes quidem, ac cisternas, aquarum haustu; torrentes autem, & ingentia flumina, Iordanem, Cisonem, Eléutherum, vadatione, plantarúmque vestigiis, exsiccârint. Novissimè verò, Nilum quoque, distractis in rivos ostiis, & æstuariis, per legatum ac militem suum, extenuâsse sic; ut pediti quoque, siccòque pæne pedi, factus sit pervius. nec ingentes utrimque fossas, diorygésque, quibus Nili brachia, rigandis campis, includebantur; vim exercitûs hostilis arcere valuisse. Quâ sui-jactantiâ, quémnam ventum, aut aquaticam bullam, esse posse ventosiorem? ut vel id sibi quis arroget, quod Divini tamen consilii brachiique totum sit: vel insultare per impiam insolentiam ausit ei; cujus ad conspectum omnes hucusque, Cœlestes æquè terrestrésque, potestates intremuissent? Númnam igitur solum ex omnibus Sennacheribum, aut tam fuisse surdum, ut veteris famæ tubam non audiret; aut tam fatuum, ut auditam non intelligeret? narrantem

tem videlicet; Quidnam Superbis illis, ante diluvium, Gigantibus: quid, post hos, Babylonicæ turris exstructoribus: quid, improbitate tumidâ perditis, Pentapolitis: quid, Obstinatis Ægyptiis, Ægyptiorúmq; regi, Pharaoni; *quid regibus Chananæis, Amorrhæis, Basanitis, Syris, Ammonitis, & Aethiopicis, irâ Numinis, acciderit? Quòd autem & ipse nunc aliquousque felix; & antehac, majorum ejus nonnulli, victoriîs, armorúmq; successu, florentes sibi visi sint: an nondum eos intelligere; non suîs virtutibus, sed bello devictorũ vitiîs, eos hactenus invictos extitisse? Quòd enim eis regna; quòd gentes, & in his, Hebrææ quoque Samariticæq;, procubuerint: nimirum, id non in arbitrio, facultatéq;, Regum Assyriæ nunc demum; sed jam olim, ab æternis retrò sæculîs, in Curia decretorum Dei, fatorúmq;, Providorum Tabulariîs, incisum immobiliter stetisse. Iam autem, evolutô destinatorum temporum procursu, factum & immissum Terris esse; quidquid suppliciorum de Cœlo jussum esset, Assyriorum carnifice manu, delinquentibus Israëlitis infligendum. Quare sanè, stetisse priùs, quàm Assyrius moveret in Occiduas illas terras, in collibus, ac saxosis montibus, urbes; situ manúq; validas. In iis, sedisse reges, regulos, ac provinciarum rectores; æmulatione poten-*

potentiæ mutuâ, continuîs armorum inter se contentionibus digladiari solitos. Adhæc, Israëlis quoq; Reges, non paucos, insolenter subinde, tam in Deum, quàm in exteri Solis reges, erigere se consuêsse. Quorum omnium retundendæ Superbiæ, factum nunc esse, voluntate, mandatisq; Numinis, cuncta temperantis: ut, pléraq; sub ditionem suam Assyrio subigente sceptro, gladióq; victore rebellium capita coërcente: castellorum urbiúmque munitissima quæque, redigerentur in acervos ruinarum, ac ruderum struem (ppp). Vt item Principum ferocissimi quique, sub jugum missi, dejectîs incurvatísq; cervicibus, pleni confusionis, ac tremoris, incederent: &, quicunq; perpetui sibi viroris potentiam animo somniâssent; nunc, extincto, priusquam plenè permaturesceret, gloriæ flore, fœno reciso sicciores, algâque viliores, & inutilî tectorum gramine neglectiores, evaderent. Et talium, támq; mirandorum, mutatæ fortunæ spectaculorum, ac Scenarum; númnam Sennacheribum, & non potiùs, Cœli-Deum, fuisse munerarium, & editorem? Theatri tragici totius bujus negotium fuisse, Dei: regum autem Assyriorum, solam personam, ac mimū. A Numine denique, mutationum omnium cardines esse volutos, ac revolutos. Superesse verò nunc Sennacheribo quoq; sua; superesse castris ejus à cœ-

lo

Ruina Sennacheribi.

lo destinata fata. Nam, quæ circa Regem, & exercitum Assyriorum, futura non multò pòst sint: æquè sibi comperta, jam nunc in antecessum, esse; quàm ea, quæ jam olim transacta præteritáq; sint. In explorato, numeratóque, Divinum Oculum habere, quietem omnem, ac motum, Sennacheribi. Perspectas ei, noctes illius, ac luces, esse: thalamum item, triclinia, regiam, & castrensia tabernacula. Ductu Dei, Niniven eum reliquisse: petîsse Palæstinam, & Ægyptum. cogitare nunc Syenem etiam, & Meröen & Aethiopiam extremam. Illic quoque, quænam bellaturum eventa maneant; & ipsius, ex Austri plagis, in Aquilonares oras reditum, luce meridianâ se clariùs perspectum habere. Cui proinde Numini, res etiam illæ, quæ nondum accidissent, perceptæ sint; &, cui longiùs positæ, tamen præsentissimæ teneantur: quomodo sperari potuisse, subtrahi posse facinorum illorum notitiam; quibus majestatem suam imminuere conati sint impudentes Assyrii? cùm, ducente chorum impietatis rege, superbiæ suæ cristas, in cœlum; os, maledicentiâ spumans, in Altissimum; sui furoris hastam, adversùs Divinitatis Sacrarium, erigere, non sint veriti. Penetrâsse verba barbari tumoris, in aures usque Supremæ, cunctáq; discussuræ, Majestatis: quam, sicuti convitiis inviolabilem; ità convitiorum auctoribus

ribus implacabilem, esse futuram. Et quoniam præ cæteris omnibus Sennacheribus, ferocientis belluæ more, caput, & os indomitum, in Dei templum, urbem, populum, & ipsius adeò Numinis exscidium, impiâ destinatione, succußisset; vice rerum conversâ, se quoq; tractaturum eum, ut belluam: &, ferinis ejus naribus chalybinô circulo, tanquam bisonti; maledicisq; labiis illius, ferrati capistri vinculis insertis, & cancellato fræno circumposito, suis à pravè cogitatis abacturum esse. Quin immò, quoniam vago cogitationum suarum spiritu, tumidæq; superbiæ libertate, perinde, quasi cete maria, sic ipse terras omnes, Insulásque, pervolaret; se quoque, balænarum in ritum, eum coërciturum: &, in os ejus immisso futilis Spei fallaci bolo, rictum hominis hami lethiferi fatalibus aculeis, & uncis, induturum; propriiq; fastûs inflatis utribus circumactum, neceßitatis inevitabilis funibus attractum in terram; ejus lanienæ divinitus jam olim destinatam. (qqq) A carnificina populorum, Ninivâ, digressum Sennacheribum; ad eandem, iisdem, quibus primò venisset, itineribus, imperio coactúq; potestatis Altioris, esse rediturum. Illuc & quæ regna quæsierit, non deportaturum: &, quæ teneat adhuc, turpiter amissurum: Spe regis Impii, tanquam lanugine, vel titivillitio, de plagis Occidu-

Ruina Sennacheribi.

duis & Austrinis, in Euros suos, & Aquilones, divolaturâ. (rrr) *Sic, tubîs magnificè concinentibus egressum; fractîs ac mutis esse reversurum: silente pénitus triumphi clamore; sed clarè conclamatîs Assyriæ fortunis.* Hæc fuit illa, quam, in *Sennacheribum* absentē directo sermone, *Prophetes,* ex ore Numinis, declamavit, *Invectiva:* copiosa verbis; indignantis verò sensu, longè copiosior. Nec facilè quis, extra *Prophetarum & Apocalypticas* declamationes, reprehensionem, sub Persona Numinis ipsius, aut prolixiorem dictîs, aut asperiorem sententiîs, minarúmque tonitruîs, deprehenderit. Et, *ex animo* (quantùm in Deum istud verbi cadere potest) exulceratum stomachatúmque fuisse Deum, cum maledicentiæ Sennacheribææ severissimâ detestatione; satìs planum faciūt, *iteratæ sæpius* impudentis oris *exprobrationes.* Unde sanè discamus; Quantùm, terrenîs à Potestatibus, amplitudo Divina distet, & emineat: ut tam procùl à supremi cœli vertice non possit abesse medius terrarum ille punctus, quem *Centrum*, & *cor terræ*, vulgò dicimus; quantùm, à reverentia, respectúque debitô Numinis, timidissima quæcunque fastigii mortalis adoratio: cautissiméq; proinde, semper

ſemper quidem, & cum omnibus; ſed, præ cæteris univerſis, cum Deo, déque Deo, loquendum, & agendum eſſe. *DEVS enim in Cœlo* (verba Salomonis ſunt, regum omnium ſapientiam antecedentis): *& tu ſuper terram. Idcirco*, non *pauci* tantùm, ſed reverentiâ quoque pleniſſimi, *ſint Sermones tui*; nedum, ut temerè quiddam, minimè gentiũ autem, ut impium quid, effundas. *(sss)* Ad ſummam! *In Cœlum ringi; Canini dentis eſt: in Solem autem ipſum, exſpuere; non, niſi Cerbereæ faucis, Sathanæ ſpumâ plenæ.* (*ttt*)

VIII. Mox autem, & ad *Ezechiam* oratione translatâ; longè blandiùs, ut amico nempe, filióque, per eundem illum ſuæ mentis interpretem, *Jſaiam*, renuntiari regi DEUS juſſit: *Ne quid eorum, quæ vaticinatus adversùs Sennacheribum, & Aſſyrios, eſſet, in dubium ullâ ſui parte vocaret: ſed, certiſſimô certiùs ſic eventura ſingula, tanquam facta jam eſſent, conſideret. DEI namque, non HOMINIS, illa promiſſa; proptereáque fluxæ veritatis ac fidei nunquam fore. Quapropter, Securitatis ab hoſtili, non tantùm expugnatione, ſed etiam circumſeſſione, certus: hæc ipſa, quæ nunc divinitus ei ſuggererentur, hortamenta, pro fidei veritatiſque pignore,*

gnore, suscipere meminisset. Hæc autem esse, quæ moneret Deus, & agenda præciperet. Annonam, atque commeatum, quem jam olim, cùm primæ defectionis ab Assyrio consilia volutaret, ex omnibus Iudææ pagis, oppidis, agrisque comportâsset, obsidioni tolerandæ; confidenter eôdem mox anno, citra futurorum omnium formidinem, ipséque, civésque Ierosolymorum, absumerent. Nullam enim futuri temporis, ex obsidione, penuriam instare nutrimentorum. Annô deinde, qui præsentem secuturus esset: cùm, ob vagos passim, ac palantes in agris, Assyrios, Iudæam obequitantes, tutum agricolis futurum non esset, vel arare, vel serere, metereve: fingerent animô tantisper, Annum illum eundem Sabbaticum (uuu) esse, non operarium; terrámque feriatam, & in novalibus otiantem. Interim autem, & iis, quæ de granorum è spicis decidentium spontaneo semine progignerētur, frugibus; & iis, quæ nascerētur in arboribus, intrà Ierosolymorum muros ac fines, pomis, famem arcerent: quorum utique fertilitati se favore suo cœlesti non defuturum. (xxx) Tertium tandem annum (quippe, maturè cunctâ barbarorum ab hostilitate repurgandum) impunè pénitus, & inoffensè, nullo cujusquam incommodi metu, satagerent exercere; semente pariter, ac messibus: & vi-

mete-

netorum æquè, camporúmque, culturâ: fruerentúrque, quantùm triticô, tantùm & mustô. Nec enim fore tum ampliùs, quæ convivantium hilaritatem interrumpant, Assyrias tubas ullas, aut hostilia barbarorum claßica. Quin etiam, absque futurorum, aut victûs, sollicitudine, saturam ac lætam omnes ætatem acturos; cùm neque quæ comedantur, defectura sint; nec, qui comedant, in interitum ultimum abituri. Tantam quippe frugum fertilitatis, & hominum, fore copiam: ut indè quidem, quod è Sione, Ierosolymisque frumenti redundaturum sit; tanquam è solo culto recèns natum, erupturum sit sursum alibi, novas in messes; sementem frugum, in finitimas etiam, & tunc ab hoste depopulatas, oras transportantibus Jerosolymitis. (yyy) *Hinc verò, pro fame, ferrô, morbô, sublatîs Israëlitis, sobolem Domui Judæ, quin & ipsi Sionis Regiæ, suborituram: quæ, velut arborum fœcundarum surculi, propaginésque, reparaturæ sint spem, ad Meßiam usque procursuræ, posteritatis.* (zzz) *Id, quò minùs diffiderent, quin ità, sicut prædictum sit, eventurum esset: nihil eorum, operis humani, sed amoris in Ezechiam cœlestis, jugî benevolentiâ flagrantis, beneficium esse futurum. Hujúsque singularis; in suî cultores, charitatis impulsu; cuncta Deum, pro Rege*

Ruina Sennacheribi.

Jerosolymitisque, facturum: quæ fieri cæteroqui, non nisi pro charißimis quibusque capitibus, ab ardenter amantibus, solerent. Se clypeum illis ac loricam; se propugnaculum, murum, & castellum, fore: se nocturnum æquè diurnúmque præsidium. Regémque barbarum, cum exercitu suo, non modò Ierosolymîs nunquam esse potiturum; aut, more juréque Victoris, ingressurum: sed ne telum quidem ullum, intrà mœnia, suâ, suorúmve manu, jaculaturum: nec usquam, scalis applicitis, Assyriorum quenquam, objectô contra propugnantes scutô, tentaturum ascensum. quantô minùs in supremos evasurum muros? Denique, ne vallô quidem, & aggere, vel bellicîs ullîs operibus, urbem circumcludendi, spatium ac facultatem habiturũ. Divinâ namque conatus illius potentiâ præcidente, festinaturum ultrò, nemine Judæo fugante, reverti Niniven: ibique fatorum suorum Actum ultimum præstolaturum. Tam insignium porrò promissorum fidem, exsoluturum se factîs esse, plus nimiò verîs ac contestatis. Idq; tam prodigiosum Ierosolymæ protegendæ genus, & machinamentum se daturum; non suæ tantùm, quam Assyrius contemptu maledicô violâsset, Dignitati vindicandæ sed Davidis etiam, addictißimi sibi quondam Ierosolymorum regis, insignißimis in se meritis: cu-

ju-

Ruina Sennacheribi.

jus ipſum, ſi vel cuncta cætera barbarorum pede conculcarentur, nolle, neque regiam poſteritatem, neque poſteritatis Arcem, ac ſedem, intercidere, collabique: quoad, in terras deſcendens, è Davidico ſanguine, Corpus indueret is; qui Divinitatis æternum Solium obtineret in Cœlo. Quapropter, ad ſummam! id cœleſtis eſſe Senatuſconſulti decretum. Pluſquam uno titulo cauſsáque moriendum Aſſyriis. Iræ Numinis, & Aræ læſæ Majeſtatis ejus, Davidiſque denique *Memoriæ, Victimam debere, bubalum illum Cornupetam, Sennacheribum.*

IX. Erexêre non mediocriter iſta, tam liberalia, diſertáque, Numinis promiſſa, mentem, tam *Ezechiæ* regis, quàm totius regiæ Civitatis; & in tantam provexêre fiduciam: ut jam, ne mulieres quidem, ac pueri Jeroſolymitæ (ſexus alioquin & ætas, ad omnem folii cōcuſſi ſtrepitum in formidines mobilis) ad nomē & arma *Sennacheribi* contremiſcerent. Nemóque tunc *vivum*, ac minas ſpirantem, timebat illum; cujus *mors*, in Cœli jam foro proclamata, nihil eum ab iis, qui jam olim *exſpirâſſent*, diſcriminabat. Intrà mœnia proinde Jeroſolymorum (nam *foris* adhuc Aſſyria palabantur, & obequitabant, præſidia)

tanquã altâ paullatim pace, cives agitabant: &; quò belli non erat acies, ac mucro, penetraturus, è vaticinii promiſsîs; ibi ne facies quidem ulla belli, ſuperſtes erat. Itaque, Deo duntaxat, ac rei familiari, vacabatur. *At Sennacheribus*, inter hæc, in Ægypto jam *Tharthamo* (velut dictum ſuperiùs eſt) conjunctus; non adversùs *Sethònem* modò, cujus minores erant ad reſiſtendum facultates, ac vires; ſed etiam contra *Thàracam* Æthiopem, ſuppetias Ægyptio ferentem, caſtra, locîs idoneîs, habuit: & prælia fecit, non ſecundiſſima duntaxat, ſed & cruentiſſima. Quódque vaticinatus Ieroſolymis *Jſaias* fuerat, tam ore, quàm ignominiosô veſtitûs habitu; quando per triduum, ſine ſueto prophetis operimento, calceíſque, vias urbicas obivit (*Aaaa*): id tum repræſentatum factîs ac rebus eſt, in Aegyptum pariter, & Aethiopiam. Et hoc quidem, ab expeditionis illius initiis, in *tertium* uſque, quo demum reverti Sennacheribus in Judæam cœpit, *annum*. Nam illa gens útraque, caſtigante populorum etiam *Auſtralium* enormia delicta Juſtô Deô; barbarorum *Orientalium* felicî potentiâ, paſſim eſt victa, cæſa, ſtrata, profligata,

ſligata. Quapropter, redactîs in incredibilem vaſtitatem ſolitudinémque terrîs earum; e-gentes ipſæ, nudæ, ſquallentes; & pars, fame, cunctarúmque rerum penuriâ, confecti; pars, in catenis, ultimáque *confuſione* deturpati, circumibant. Feliciſſimúſque ſibi jam *Sennacheribus* eſſe videbatur, ex eo quoque; quòd *reges* illos *duos*, totidémque *populos*, effecerat infelices: adjecturus hujc calamitoſorum numero (ſi cuncta ſibi deſtinata provenisſent) & *tertium* paullò pòſt *regem*, atque *regnum*; Ezechiâ Jeroſolymíſque ſubjugatis. In quo toto proſperitatis Aſſyriacę tunc curſu, non extra narrationis ordinem fuerit; Divinæ mentis, rebus in omnibus gubernandis ntérque ſe permiſcēdîs, inexplicabile quoddam, ac veluti *theatralis* cujuſdam *variationis*, ingenium obiter admirari. Sepoſuerat ea ſibi, ſuppliciis, pridem commeritîs, affligendos Ægyptios, & Aethiopas; utì malos, c proinde malè tractandos. Sepoſuerat éadem Divina mens, & Aſſyrios ſibi; pro delictis, ut ego reor, longè pluribus, & infandioribus, pœnas, & quidem altiori dexterę, daturos. Horum autem Regem, quotquot in orbe tunc erant, regum omnium ſceleſtiſſimū;

Aa 3 & in

Ruina Sennacheribi.

& in hac vita, manibus inexſpectatiſſimîs, & in altera, tormentîs ſempiternîs mactandum, deſignârat. *Ezechiam*, è diverſo, non modò quietis piorum Sedibus illaturus, poſt expleta fata; ſed & cum gloria, dum viveret, extra metum, ac periculum omne, barbarici terroris, conſtituturus erat Deus: quia rex bonus, de Boni totius fonte bene merebatur. Et inter hæc tamen omnia, citò preſsîs ac perdomitîs *reis* illis *minoribus*; ſinebat Deus, victorijs, aliîs ex aliis, inſolentem, toto volitare Meridie, *Sennacheribum*; quantumvis deteriora multò promeritum: improbóſque flagellabat; ſed, per Lorarium improbiorem. At nimirum, id illud eſt; quod divinè jam olim *Salomon* obſervavit; *(bbbb) Vniverſa*, quantumvis humanæ prudentiæ diſcoloria videantur, *propter ſemetipſum*, &, ad ſapientiæ ſuæ pertexendam telam, *operatum eſſe Deum*: In his autem, *& Impium, ad Diem-malum*; cujus nigra fata, ſuîs ipſa quoque decurrerent, & evolverentur, horîs. Et, cùm *Abominatio Numinis ſit Omnis prorſus arrogans* (uti porrò *rex Sapiens* ſubjungit): quantò minùs vindicem illius effugere manum *Sennacheribus* debebat; omnis arrogantiæ Luciferianæ ſimulacrum

Diffe-

Ruina Sennacheribi.

Differebatur igitur, umbraticæ ſuæ *felicitatis* interea quaſi *paſtu* quodam, *pinguiores in pœnas:* utì luxurians aliquis in herbis, ſed jugulaturo cultro jam nunc deſtinatus, *Vitulus Faliſcus.* Cùm inter hæc tamen, Jeroſolymîs *Ezechias*, *is ipſe*, qui *promiſſorum aureos* verè (quia divinos, ac propheticos,) *montes* acceperat, angorum novis fluctibus involveretur: &, quod mirareris, florente vigentéq; *Sennacheribo*, repentinâ, nec meritis illius exſpectatâ, valetudine proſtratus, decumberet. Id autem erat, inteſtinum, lethiferóq; pure collectum, ulcus: quod, humanîs artibus immedicabile, nõ per *homines* tantùm, ſed per Oraculũ quoq; *divinum*, Iſaiâ denuntiante, declaratum fuit. In hæc porrò, quibus Aſſyrius Ægyptum Aethiopiámque pervagabatur, tempora; non autem, poſt regreſſum tandem in Aſſyriam *Sennacheribum*, incidiſſe regis *Ezechiæ* morbum; etſi ſint, qui diſſentiant: nec pauciores tamen, nec argumentîs inferiores, auctores concordant. (*cccc*) Quorum me ſubſcribere ſententię, nec prohibere poſſunt, qui ſecus opinantur; dum biblicæ narrationis ordinem aliquantò fortaſſe ſcrupulofiùs in hoc, quàm expenſiùs, adurgent: nec indigna-

Ruina Sennacheribi.

ri, quòd annîs iis, quos *Ezechiæ* Deus *Quindecim* deinceps per *Isaiam* pollicitus est, numerum constare suum, quàm hinc indè detruncari, malim: quippe, qui sciam; *Fidelem* non minùs *esse Deum Omnibus in Verbis suis*, quàm, *Omnibus in Operibus*, integrum atque *Sanctum*. *(dddd)* Nec sanè projici, sine gravi caussâ, promissa quoque liberationis Jerosolymorũ, & Ezechiæ regis, è minis ac manibus Assyrii regis, possunt, in tempus illud: quo tempore, digressô jam, ac trucidatô rege barbarô, sine metu tyrannidis Assyriacæ, gentes ac reges Orientis pacem agitabant; neminémq; Jerosolyma, nisi Deum, timebat, ac legum ejus violationem. Certè namque, cùm *Ezechiæ* non sanitatem modò, virésque corporis validas, *in diem tertium*; sed, super hæc, *annos* adhuc vitæ reliquæ *Quindecim*, iis, quos vivendo jam transmisisset, superaddendos, *Isaias*, ex ore Dei, polliceretur: verbis præterea disertissimis, tanquam liberalitatis auctarium, adjecit; *De manu Regis Assyriorum se tam Ezechiam*, quàm Jerosolymitas, *eruturum*: ut, citra metum hostilitatis omnem, liberi solutíq; vitam essent, urbémque suam, retenturi. Qui profectò tamen *metus*, abscessu

Ruina Sennacheribi.

ſu poſthæc *Sennacheribi*, mortéque, quæ poſt paucos ab abitu dies accidit; apud gentem urbémque, tam procul Ninivâ disjunctam, aut nullus omnino fuit: aut minimè virilis, ac neceſſarius. *Aſarhaddònis* quippe, qui mox *Sennacheribi* regnum excepit, nec eæ fuêre vires; imminutô quàm plurimùm, ex cæde patris, reſpectu veteris Aſſyriorum majeſtatis: &, ſiquæ fuiſſent; à Babylonio mox Satrapâ *Merodáchô*, cæteríſq; finitimarum gentium Præfectîs, Aſſyrio rebellantibus, plurimùm repreſſæ forent, & acciſæ. Satìs ergo, próque comperto, liquet (niſi quis obſtinatè potiùs, ac violenter, aliò, quàm neceſſe ſit, detorquere ſermonem *Iſaiæ* contendat) intrà temporis illud intervallum, quod in Aethiopibus, & Aegypto, *Sennacheribus* egit, ægrotâſſe Jeroſolymîs *Ezechiã*. Ei porrò morbo, fortaſſe (quod & aliis uſu venire frequenter experimur) occaſionem ſuppeditavit, & cauſſas, turbatus ab Aſſyriorum armis, ac vaſtatione, Judææ ſtatus; &, qui Jeroſolymam nuper, inprimîſque Regem ejus, à *Sennacheribi* minis circumvallavit, terror: in *corporis*, utì fit, incommoda peſtémque ſe diffundente trepidantis *animi* ſolicitudine. Sed quid-

Ruina Sennacheribi.

quid id, & quibuſcunque tandem è fontibus enati, mali fuerit: laborâſſe Regem, & id quidem, ad deſperationem uſque curationis ab aſſueta medicorum ſollertiâ; certiſſimum eſt. Quo pactô verò, jam indictam ab *Iſaia* ſibi, ſupremæ neceſſitatem horæ rex, profusîs largè tam lacrymîs, quàm precibus, & obteſtationibus, à capite ſuo depulerit: quantóque tunc prodigiô, retrotracta, tum in *Achazis* regis *horologiô*, per decem retrò *lineas*, umbra fuerit; tum in Cœlo quoque, *Solis* regyrati *luce*, fides *Ezechiæ* facta ſit, intrà *triduum* reparandæ valetudinis; quam etiam reipſa, mox ei *maſſa ficuum*, ulceri ſuperimpoſita, reduxit: hæc, inquam, omnia, partim in *Ruina Davidicæ Domûs*, tertiâ laboris noſtri Decade, perſtricta ſunt; partim autem, & à Commentatoribus *Iſaiæ* Prophetæ, libríque Quarti regiorum Annalium, ac Secundi Paralipomenon, diffuſiùs exquiſitiúſque pertractantur. Præterquam, quòd argumentum hoc *Ezechiæ decumbentis*, & *revaleſcentis*, univerſum; non ad *Sennacheribi Ruinam*, quam nos hôc librô ſolam exſequimur, ſed ad *Regis Iudaici*, divinitus *erectam*, *Salutem* & incolumitatem, ſpectat. Intrà quos proinde narra-

narrationis inſtitutæ, propoſitíque noſtri primi, limites, perſiſtendum eſt. Quod hôc locô nos, oblatâ præſertim occaſione tam appoſitâ, monendum pariter, ſuíſque communiendum rationibus, exiſtimavimus, propter nonnullos; quibus, in celebriore nonnunquam aliquâ *Ruinâ*, tragicóve caſu, quidquid undecunque connexum, vel etiam accerſitum aliunde, jungitur, aut adglutinatur: id totum memoriæ, monimentíſque geſtorum, inſerendum fuiſſe, perſuaſum eſt. Quare, ſiquid vel minimum eorum, quæ vel per tranſverſum intervenêre, prætermiſsũ inveniant: continuò, neglecti muneris & officii ſui Scriptorem poſtulant. Quod totum tamen ſecus eſt; eſséque debet. In omnibus enim plerumq; compoſitionis partibus, *Inſcriptionis* ſuæ *deſtinationíſque primæ*, memorem eſſe narrationum Auctorem, fas eſt. Quo fiet; ut, ſi partes implere ſuas ſatagat; ſæpe, quæ, primâ fronte, minùs inſtituto congruere, videri poſſent, exſequatur: donec enarratę rei ſe rationes aperiant, & evolvant. de cætero verò, *nec omnia prætereat; nec viciſſim explanet, aut eviſceret, omnia*: ſed, mediocritatis aureâ viâ ſtylum deducat. Idque nos,

Ruina Sennacheribi.

nos, tum in *Ruina Mundi* per *Diluvium*, tum in aliis quibusdam libris ſuperioribus, ut fieret; cum induſtria ſtudióque curavimus. Nec immeritò. Nam, ſi de cunctis ſcribenda cuncta ſint, quæ ſub idem ſubinde geſta tempus erant: *non jam voluminibus* duntaxat *Mundum* (id, quod iſti tales quærunt) *ſed impleri Mundô* quodvis *Volumen, oporteret.* Verùm, per *Digreſſum* hæc hactenus. nunc ad rerum geſtarum reſidua promovendus eſt gradus; ſi *metam exoptat.*

X. *Sennacheribus* igitur, inter hæc, apud Ægyptios & Aethiopas, ſurſum omnia deorſúmque verſans; ſuperbi paſſim Victoris partes, etiam variæ crudelitatis exemplîs implebat. Jámque nullius nomen gentibus illis terribilius, quàm Aſſyrii Regis, & exercitûs eius, erat: ut, quas, jam dudum altâ, præſertim apud remotiores Aethiopas, in pace vitam agentes, præter inſanos *Catarrhactarum* Nili fremitus, haud facilè quidquam exſternâſſet. Et jam annus expeditionis Aſſyriorum unus, & item alter, ſeſe circumegerant: cùm *Sennacheribus*, omnibus ad Auſtrum perdomitîs hoſtibus; reverti paullatim conſtituit: ac Jeroſolymam, & Ezechiam, bello, quod affectum olim

olim reliquerat, totîs nunc victricium copiarum viribus, & incursu, repetere. Sed hyems instabat: cujus, uti qualemqualem, in oris illis, acrimoniam & incommoda subterfugeret (difficiliùs enim validarum urbium obsidiones, humô fluente, rigentéque suprà cœlô, procedunt) in *hiberna* militem tantisper deducendum sibi, constituit. Ea, per brumam hospitia stativáque, pars Ægyptiæ regionis illa, quæ Chanaanitidem propiùs respicit; pars autem, & Philisthæarum, maximéq; (†) maritimarum urbium, quippe jam Assyriis obnoxiarum, præbere compellebantur. Ibi miles, in futuram Jerosolymæ circumsessionem, & exscidium, vires irásque, velut per otium, colligebat: quoad anni sequentis amœnitas verna cœlum, ac bellãdi tempora, laxaret, & aperiret. Hoc autem loco prætereundus non est *Herodotus*: qui, super bene gestis *à Sennacheribo* rebus in Aethiopia, non solùm parcus, sed planè taciturnus; de victricibus ejusdem in Ægypto palmis, & fine belli, contraria potiùs, & *Sennacheribo* funesta, tradit. Ait enim; cùm ad *Pelusium* Assyrii, spe conatúq; potiendi tam nobilis ac muniti loci, sederent: nec jam procul ab expugnatione res

esse

Ruina Sennacheribi.

esse videretur: *Sethónem*, Ægypti Regem illũ, eundémque *Vulcani* simùl *Sacerdotem*, ab infensis sibi popularibus, ac militibus, omni destitutum auxiliô; *simulacro* tandem *Vulcanio* supplicem esse factum: ut, in ultimis sibi cõstituto, vel consiliô, vel ope, præstò foret. *Vulcanum* autem supplici non defuisse: sed, cùm in somnum, è curis, ut fit, ac fatigatione, *Sethon* delapsus esset; dormienti regi mandâsse: *Poneret metum; & à desperatione melioris successûs animum laxaret: neu' vereretur; cum suorum copiolis, etiam tumultuariîs, obviàm ire copiis Arabum, & Assyriorum. Auxiliares enim ei se submissurum.* Sethonem, somnô solutum, imperata fecisse *Mulciberi*: neminéq; suorum eũ, præter inutilem bellô turbam, in castra comitante; festinâsse *Pelusium*; ibíque, cùm illuc *noctu* pervenisset, metatum esse castra. Cùm autem, hinc quidem *Sennacheribus*, cum immensis pæne suorum copiis; illinc autem *Ægyptius*, tantûm non *solus* ac desertus, in fortunam uterque suam intenti, sederent: *nocte*, quæ diem illum antecessit, quô, de summa rerum, ferrô decernendum erat; à *Vulcano* vim *agrestium murium* infinitam effusam: &, inopinatò castris immissam Assyriis, corrupisse mor-

morsibus suîs arcus hostium, atq; pharetras. Ac, ne saltem clypeorum etiam illis, adversùs ictus & sagittas, usus superesset; insuper & habenas scutorum introrsus, & lora, quibus à bellatrice manu scuta comprehēduntur, abrupisse mures dentibus, & inutilia reddidisse. Quo factum sit: ut, diluculô posterô, cùm, in Ægyptium signa cani, stringíque ferrum, Assyrius imperaret: armorum repentê tantô deprehenso dispendiô, cùm nec pharetræ sagittis, nec sagittæ suis arcubus, aut scuta manibus, ad usum inservirent; pugna ne tentaretur quidem, sed Ægyptiis Assyrii cædenda terga darent, ac pedes fugæ: numerosâque suorum strage mactati, terrîs ac finibus alienis excederent; & illuc, unde venerant, redire festinarent. Ejus porrò de Sennacheribo Victorię testē, suô superfuisse sæculô, *Sethónis*, in Aede Vulcani, stantem lapideam *statuam*: quæ, manu *musculum* comprehensum ostentans, posteros ad æmulam suî Religionem, ac Divorum, angustîs in rebus, implorationem, invitaret, hisce verbis; IN ME QUIS INTUENS, ESTO PIUS! *(eeee)* Hæc, quæ retulimus hactenus, de *Sennacheribi* gestis in Ægypto rebus, *Herodotus* in medium affert.

affert. Sed, aut malè me conjectura fallit: aut Græcus hic ſcriptor, Annalium Hebraicorum, & Arcani Sanctioris, ignarus; cùm à referentibus, incerti quiddam, & tanquam rumorem tranſmarinum, de Regis Aſſyrii *nocturnâ* ſtrage, fugáque, *divinitus* immiſsîs, inaudîſſet: in tanta regionum illarum propinquitate, rerum fidem commentîs confudit. Itaque, Palæſtinæ Peluſium; Ægyptúmq; Judææ, ſubſtituit. Et, quod eveniſſe *beneficii cœleſtis* genus Ezechiæ regi, memorare debuerat; id, in alium ſibi notiorem transferens, obtigiſſe regi *Sethoni*, vel credidit, vel confinxit. *Angelorum* denique *clandeſtinis*, in infligenda *nocturnâ* clade, viribus, *ſubterraneos* ipſe *mures* ſubrogavit: & eos quidem *agreſtes*; eò, quòd, totîs circa Ieroſolymam campîs & Agrîs (velut ſequentia docebunt) Aſſyriorum omnia cæde, longè latéque conſtrata, tegerentur: &, diſiectîs temerè ſcutîs, arcubus, ac telis, horrerent. Quid, quòd nec iſtud ab opinione veri prorſus alienum videri debet: *Peluſium* quidem ab Aſſyriis, primâ ſtatim, tam *Tharthâmi*, quàm ipſius etiam Aſſyrii regis, in Ægyptum irruptione, captum eſſe; præſidióque firmatum *(ffff)*: pòſt tamen, cùm procùl

procùl indè diùque *Sennacheribus*, ultra Syénem ac Meröen, in debellandis *Aethiopibus*, moras traheret; repetitum ab *Aegyptiis*: expulsóque peregrinô præsidiô, recuperatum illud *Niloticum* regni *Claustrum* esse? Quod nos ipsum tamen posthæc, à *Sennacheribo* redeunte, receptum esse, priusquam is Iudæam repeteret; ex Isaiæ vaticinio, nequaquam dubitamus. Revertebatur enim, &, ut omnium *à tergo* jam domitor: &, ut *ante se* stantia, non multò pòst ipsa quoque domiturus. Is enim Temporum illorum, *publica* belli *Tempestas* erat.

XI. Dum autem in hibernis *Assyrii*, contrà verò, supremìs afflicti cladibus *Æthiopes*, & *Ægyptus*, in luctu sunt: *annus* interim exortus erat, *à Mundo Condito, ter millesimus, tercentesimus, vicesimus quartus*: Ezechiæ, Judæam regentis, *decimus sextus*: Assyriorum, in Ægyptum, expeditionis, jam tertius: & is ipse videlicet, in quem *Isaias*, tertio (quod recordandum) abhinc anno consitionem agrorum ac vinearum, & messem atque vindemiam, indixerat; è præcepto Numinis repetendam. Jámque vernìs resoluta sideribus, omnis ad Austrum Orientémque terra;

Ruina Sennacheribi.

ra; non in flores magis & pabula, quàm be
li resumendi tempestivam opportunitatem
aperta stabat. (††) Vulsis ergo signîs, & i
expeditionem eductîs agminibus suis, Assy
rius; *Jerosolymam* versùs iter indicit. Mo
nulla fit. Strepunt equîs, virîs, & armîs, a
spoliis onustorum curruum stridore, quadr
garúmque bellicarum multitudine, quaqu
versum avia, perviáque, *Casiotidis* regionis, o
mnísq; *maritimæ* Palęstinæ. Sicubi porrò d
trectabatur imperium: ibi passim in cœlu
fumus ac villarum incendia: passim agrest
um clamor, fuga, (†††) luctus: &, quacu
que miles incederet Assyrius, dies pulve
nubilus; nox terroribus inquies; agroru
miseranda vastitas; in prędam abacti grege
ad stuprum raptæ virgines, uxores, & ing
nui floris pueri: corporum electorum par
ta barbaræ cupiditati ludibria. Fœda loc
rum ubique, miserandáque, facies. Ibi pra
sertim, ubi præsidia neutrius Regis eran
Nam suis utcunque parcebat Assyrius. Ca
terarum Urbium autem & oppidorum, qu
que propiùs erant, quæq; sita remotiùs, pav
ingens, auxilium nullum, certa desperati
Volitabat, inter hæc, insolentiáque barb
ri

ticâ *natabat*, *in publicis* gentium illarum *lacrymis* Sennacheribus; &, *felicium arrogantium* more, ridens; quòd, *propter vnum se, tot millia lamentarentur*: quantùm capite super omnes, tantùm fiduciâ quoque futurorum, eminebat. Non describam hoc locô, quod ante nos fecerunt aliqui, locorum, per quæ, reversus ex Ægypto, Judæam ac Jerosolymã petivit, seriem atque nomina: quoniam, aliter hîc *Isaiæ decimum caput* (gggg) ex Hebræorum Rabbinis Divus Hieronymus, Paraphrastes, & Vátablus; aliter, cum aliis, Leo Castrius, & (ut ait ipse) septuaginta Græcorum interpretes, ac ratio Tabularum Adrichomii, capiunt, & exponunt: dum illud hi, *de via*, *quæ* Sennacheribum *in Ægyptum* duxit; *illi de via, quæ reducem ex Ægypto* retulit in Judæam, interpretantur. Nobis autem, non litium est, sed nudæ Veritatis, cura. Cujus in studium intentis, id satis est; prætermissîs implexîs, ad simplicem rei summam properare. *Sennacheribus* igitur, ad lævam quidem, regione *Cedarenorum*, & *Ægyptii maris littoribus*; ad dexteram verô, *Pharanæis solitudinibus*, & *Idumæâ*, relictîs: per *Ægypti*, quem appellant, *Rivum*, ac mox *Bósorem* quo-

Bb 2 que

Ruina Sennacheribi.

que *Torrentem*, inter Samiram, & Etham, munitissima locorum, irrupit in Judææ planiora, campestriáque, loca. Jámque pertransitîs Hebrónis finibus, ex editioribus Ramæ Bethlehemíque collibus, Jerosolymorum aspiciebat viciniam: cùm animîs simùl ac verbîs exultans; *O*, (clamat) *ô! nostris, tu quoque, debita, tot gentium urbiúmque domitricibus, Columbis!* (hhhh) *& hucusque tamen frustra cristîs elata tuîs, Jerosolyma, salve! Nam, quæ nunc Ezechiæ, tuique juris, tibi videris: cras nostra, sub hoc ipsum diei tempus, & adeò priùs, eris.* (iiii) Tanta capiendæ *Jerosolymorum* urbis erat, *in Assyrio rege*, confidentia: tanta fiduciæ superbia! Cùm autem, jam antè, per constitutos ad id antecursores, admoniti *præsidiorum* in Judæa *Præfecti*, quos, in Ægyptum abiens, *Sennacheribus* olim reliquerat, ex urbibus, ac munitis locis omnibus, copias eduxissent suas; & ad diem, ac locum, à rege sibi constitutum, occurrissent: incredibile dictu fuit, quantâ curruum, impedimentorúmque, quantâ peditum, équitum, ac jumentorum multitudine, tunc omnis repentè, sub unum temporis articulum, suburbanus Jerosolymorum ambitus, circumcirca fremeret, ac

tumul-

tumultuaretur. Jámque *Ierosolymorum* in cõspectum & *Sennacheribus* ipse venerat: & *purpuratorum* illius, ac militiæ *ducum*, intimus quisque promptissimúsque. tendebantúrque tabernacula, non regia tantùm ac primorum, sed equitum etiam ac peditum *Assyriorum*; longê quidem ac latè, circa Jerosolymam passim omnem: sed inprímis, è regione *Sionis* montis, ac *Regiæ Davidicæ*; quà plagam cœli *meridianam* respiciebat. (kkkk) Nec aberat ulla *Castrorum hostilium* justa consuetáque facies (llll): ac nec *Obsidionis* quidem, erat, aut *oppugnationis*, absutura species, si *Deus* eam, *diésq;*, concessissent Assyriis. Sed oppositurus se conatibus impiis *Deus* erat: &, quo tempore se, suáque tentoria, Jerosolymis circumfuderat hostilis exercitus; diei *vesper*, in *noctem* jam vergebat. Cæterùm *Ezechiæ*, civitatíque, jam antè, tum agrestium fuga; tum, motus expeditione tot millium, procùl pulvis, & venientium adequitantiúmque fremitus, Assyriorum ex Ægypto reditum nuntiârat. Improvisum id videri plerisque; nec, post tot *Securitatis* pollicitationes, exspectatum Jerosolymitis malum. Horror apud attonitos; ac pavor immensus, apud uni-

Ruina Sennacheribi.

universos. Ut verò de summis regiæ specu lis, templíq; fastigio, *Sennacheribum* jam ipsū omnémque copiarum illius multitudinem tanquam *belli* quendam *Oceanum*, urbis po mœria circumfluentem, conspexêre: jan non lacrymas, non questus, ac lamenta, con tinere cives. Mulierum præcipuè, parvorúm que liberûm, per vicos omnes & compita concursationes, ploratus, & in cœlum vo ces; pectora virorum, etiam fortissimorum suî commiseratione concutere, Martiúmqu labefactare robur, incipiebant. Quiritari frenderéque, pars populi major ac deterior & illa videlicet urbis fæx; quæ deinde, *pos annos* ferè *quindecim*, à cultu veræ Divinita tis, ad impura Simulacrorum numina trans fúgit. Ea regis, eà vatis Isaiæ, fores & aure incursare; fatigare clamoribus importunîs ac tumultuosis vocibus obsidére. *Promisso rúmne fidem hanc illam, & Oraculorum inconcu sam certitudinem, esse: quam, ad se cœlô delatam jactâssent ambo?* Non intraturum urbem ess Sennacheribum. non conjecturum, nec sa gittam, nec lapidem: non exstructurum ag gerem, *ac munitionem, obsidii caussâ: nec* cly peatum ullum *in muros evasurum: Sennache ribum*

Ruina Sennacheribi.

ribum, viâ, quâ venisset ex Assyriis, eádem in eosdem reversurum. *Húnccine reditum illum; hóccine reditûs in Assyriam compendium esse? Pelusio remeare Jerosolymam? ut & istius urbis captivitate gloriosus, & spoliîs opulentior, in Arabiam denique suam, Ninivénque, triumphanti similis, iter convertat? Hánccine promissam illam* anni tertii fertilitatem *esse* frugum : *cujus exundante de copia, proculcatîs utique per Assyrios agrîs, Jerosolyma finitimis etiam oppidis, ac populis, erogatura victûs & annonæ subsidia sit? sicut tamen pollicitus, ex ore Dei sui, fuerit Isaias. Videlicet: facillimum esse creditu, nec oppugnaturos urbem Assyrios, nec fundîs in eam, arcubúsque, sævituros; nec multi laboris munitiones, & cuniculos, acturos: si, tot millium exercitus, die postero, non nisi coronâ, sit mœnia circumdaturus. Vt enim otiosæ sint ad omnia manus; nec gladium stringat vsquam hostis; nec telum immittat, aut lapidem: profectò tamen, multitudinis tantæ vel solo conspectu, tremefactam Jerosolymam; cùm effugii locum jam porrò nullum visura sit, datu-ram ultrò manus: &, si sint, qui deditionem nolint; se verò, vel primos omnium, concessuros in fidem, ac jura, Regis Assyrii: potiùs, quàm longæ famis, aut cruenti ferri, pessimîs exemplîs intereant.*

Ruina Sennacheribi.

eant. Et, si non sit intraturus urbem sponte suâ Sennacheribus (utì polliciti sint Ezechias & Isaias); se, curru regiò protinus obviàm missò, vel suas inter manus, atq; scapulas, eum in mediam adducturos Jerosolymam: ut, victore saltem utantur propitiò; qui minacem experti sint hucusque dominum, ac sollicitatorem. Denique, si, sui nominis è professione, nihil aliud, jam olim, Jerosolyma sit; quàm PACIS-ASPECTVS: pacem cum Assyrio, quantumvis id nolint Isaias & Ezechias, se saltem, concordibus omnium animîs, agitaturos; non bellum. Et hæ voces erant utriusque sexûs turbulentorum; quippe, quibus opis *humanæ*, quàm *cœlestis*, potior esset, ut fit apud omnes improbos, respectus, atque ratio. Totam hi noctem, coitionibus ac turbis miscendîs, insumebant. At, immoti terroribus his *pars populi-Dei melior*, inprimísque Rex *Ezechias*, & Vates *Isaias*; animîs adversùm omnia futura firmissimîs, jam tum à discriminis hujus initiis, inter vota tempus, ac preces ardentissimas, exigebant. Ac, suâ quidem in domo *Propheta*: rex autem, ac Procerum religiosiores, invitante viciniâ, supplicabant in templo Salomonico: *saccîs*, ex more gentis, cilicinis adoperti: cinere perspersîs capitibus:

bus: & in pavimentum corpore vultúque, ſic nempe poſtulante ſupremæ neceſſitatis articulô, dejecti. (*mmmm*) Quod utique meritò fecerunt. In hac enim *ſpei* rerum tam arduarum, quas animô Deus deſtinârat, *conſtantiâ*, ſitum erat, in ſolio Divinitatis decernere; *Digniórne, propter pauciorem bonorum turbam, ardenter ſupplicantem, eſſet Jeroſolyma, quæ ſervaretur? an, ob multitudinem, in fiducia fœdè titubantem; quæ diſperiret?* Et alioquin, in magnis æquè, minimíſque, rogandus Deus; quantò calidiùs erat, ac religioſiùs, adorandus, in re tunc omnium ferè maximâ: quippe, cujus, ſinè motu maximo, felix aperiri vix poſſet exitus? In hoc igitur Rex, & Jeroſolymæ pars ſanctior, erant toti: dum inter hæc, mandatô regis, è Primoribus ii, qui pollebant auctoritate, populum, per cœtus, aut in domiciliis collectum, ſermonibus, & ſpe felicis ſucceſsûs, erigerent; ſiqui ſolatiorum etiamnũ capaces eſſent: cùm turbidos, è diverſo, turbatoréſque, verbîs ad tempus accommodatîs, Iræq; divinæ minîs propoſitîs, caſtigare non prætermitterent. Et utriq; labori ſuum conſtitit operæ pretium: cùm & *timidioribus* accreſcere ſpes inciperet, atque

robuſtior animus: & *inquieti*, quidnam fortunæ candidioris dies poſterus allaturus eſſet, præſtolari ſuſtinerent. Nullius autem operis, aut occupationis, ſub idem ipſum tempus, major fructus; quàm, intentæ precationis, quæ nubila cœlúmque perrumpebat, eluxit. *Orabant* enim adhuc, *rex* cum ſuis, ac Vates *Iſaias*; & jam, quod voluerant, *exorârant*: cùm *Rex* interim *Aſſyrius*, ac *Tharthámus*, & *Rabſaces*, ac legiones peditum, & equitatus omnis; pridianâ partim fatigatione; partim & epulîs, ac vinô, profundiſſimum in ſoporem provoluti; totîs paſſim campîs collibúsq; ſparſi, ſub tentoriis ac dio ſterterent ſomnóq; (ſicut animîs deſtinârant) in oppugnationem urbis poſtridianam, ſibi vires colligerent, & inſtaurarent. Jámque *tenebrarum* idem ipſum tempus ibat; quod, & quale veterem olim *Ægyptum*, cæde repentinâ *primò-genitorum*, afflixit exhauſítque: *Tempus*, cu verba Salomonis (*nnnn*) & Eccleſiæ (*oooo* vulgatiſſima, perquam appoſitè convenirent DUM *medium*, inquam, *ſilentium omnia contineret*; *& NOX (pppp) in ſuo curſu medium ite haberet: omnipotens ſermo, de cælo, regalibus à Sedibus*, DURUS DEBELLATOR, *in mediam ex termi*

Ruina Sennacheribi.

terminandæ barbariæ *terram prosiliit: Gladius acutus, expertem figmenti perniciem*, ac plus nimiô verum *Interitum*, *ad imperium nutúmq;* DEI, *portans. Qui stans, & à terris in cœlum usque pertingens*, OMNIA REPLEVIT MORTE: *cùm* ALIUS *alibi* PROIECTUS, jacéret; non, ut Ægyptii quondam, SEMIVIVUS: sed, planè *Mortuus*, & *extinctus*. Divini Scriptoris hæc, quæ retuli, verba sunt; *Assyriorum*, utì diximus, haud minùs nunc, quàm *Ægyptiorum* quondam, cladi congruentia.

Narrationis autem hæc est summa. Missu Numinis, *Angelus*, ut verisimilius est, *Cœlestis* (*qqqq*), ac Divinæ gloriæ studiosior cæterîs assertor; spississimas inter noctis tenebras, in *Assyria* descendens *castra*: momentô temporis viribus, & nativîs, & divinitus insuper sibi tunc collatîs, instructus armatúsque; solô cum paucissimîs exceptô *Sennacheribô*, (*rrrr*) barbarorum universum, circa *Jerosolymam*, delevit exercitum. Non gregarium, aut peditem ullum; non equitem, aut calonem, aut aurigam; non ordinum ductorem, aut centurionem, aut tribunum, aut equitatûs & castrorum præfectum ullum; non strenuum quemquam, aut ignavum; non *Rábsacen* denique,

Ruina Sennacheribi.

nique, vel *Tharthamum*, aut *Rábſarin*, reliquit intactum. Unus ferientis impetus, tota pervadens caſtra, cunctos extinxit: morte, quantò properantiore, tantò magis formidandâ. *Ferebantúrq;*, deletarum tot ſimùl animarum millia, (nam *centum, octoginta quinque millia* ceciderunt) *in profunda* Tartarorum: adhuc ignorantium, quomodo, vel quónam funeris auctore, cecidiſſent?

XII. *Modum* porrò tam atrocis interfectionis, à Scriptore Sacro ſignatè non traditum; aut certè, verbis non niſi translatis expreſſum: diverſum diverſi conati ſunt aſſignare. Quidam, ex *Iſaiæ capite trigeſimo primô*, ſuam in opinionem tractô, (*ſſſſ*) credidêre; *Gladiô* cæſum fuiſſe corporeô, ſed *Angeli* manu rotatô, barbarorum Exercitum. Quo rerum caſu, *Toſtatus* Abulenſis veritus eſt: ut taciturnè tranſigi plaga tot millium potuerit; quippe, dolore vulnerum clamores, & è clamoribus tumultum, & concurſationem, ac cæterorum fugam, excitaturô. Quo proinde factum eſſet, ut & rex Niniviticus expergefactus, & alii quàm plurimi; medias adhuc inter tenebras, & non demum illuceſcente die, profugiſſent. Et ſanè, ſilentiô ſummô

mô transactam fuisse cædem illam; non ratio modò, sed ipse sacri styli narrandi modus, ac sapor, ut mihi videtur, subindicant. Sed, ut id ita sit gestum (sicuti, gestum esse, prorsus persuadeor) utì nullô, non modò clamore, sed nec gemitu cujusquam, editô, trucidarentur: númnam difficile fuit, vel *Deo*; vi suâ cohibere voces, ac suspiria, morientium? vel *Angelo* percussori, singulorum cervices, & maximè, somnô stratorum, unico statim ictu resectas, in mortem absolvere? cùm id sæpè carnifex possit, ac faciat, mortalis: reipsáq; fecerit, qui, nostrâ memoriâ, jussu Michaëlis, Arimensis reguli, desertorísque Religionis nostræ, pueros duos, Christi cultores, unà cubantes ac dormientes, decollavit; nec vocem mittentes, nec doloris ac sensûs significationem ullam edentes. Interim tamen Isaiæ *Gladium* illum, nec ego secus, quàm *translatè*, reor interpretandum. Nonnullis placuit; immissâ repentè *pestilentiâ*, velut Israëlitis olim, ac prępsertim Jerosolymæis, in pœnam, à Davide numerati populi; consumptos *Assyrios*, exspirâsse. (*tttt*) Sed, præterquam, quòd, & hôc in genere moriendi, supersederi dolore, gemitu, questibúsque, latè so-

Ruina Sennacheribi.

tè ſonorîs, abſque novo miraculo, non potuiſſet: hanc interitûs formam meritò, cum aliis, horret *Salianus*; ut, quæ contagione ſuî veſtes etiam, & arma militum infecta, cum utenſilibus, & impedimentis univerſis, effeciſſet ad prædam Jeroſolymitis inutilia, meritóque fugienda. *(uuuu)* Fuerunt alii, quibus viſum eſſet; dejectîs cœlô *fulminibus*, aut cæterîs iratarum nubium ejectamentîs, oppreſſum barbarorum exercitum, interîſſe. Cujus ſententiæ fueritne Divus *Joannes*, cognomētô *Chryſoſtomus* (qui, teſte Sacroſanctâ *Nicænâ Synodo Secundâ*, cæteras inter *Imagines*, etiam hanc ipſam *Exercitûs Aſſyrii ſtragem*, in tabula coloribus expreſſam, habere ſolebat, oculis propoſitam): id, ex illius, ſuper hôc argumentô, verbis, certò ſtatui non poteſt. *Multis*, inquit, *millibus Aſſyriorum*, *Ezechias rex*, *Iſaiæ preces oppoſuit. Nec eum opinio fefellit ſua. Simulac enim manus ſuas in cœlum Iſaias ſuſtulit*; **Sagittis** *de cœlo miſſis, Deus exercitum Sennacheribi confecit.* *(xxxx)* Præterquam autem, quòd hæc *Chriſtiani Demoſthenis* verba, de *Sagittis*, cœlô dejectîs, ſenſum præſeferant, *Rhetoricum* potiùs, ac *ſimilitudine* floridum; quàm *Hiſtoricum*, & ad *Veritatis* libellam exactum: tribue-

tribueretur hæc, Aſſyrios interficiendi, via, Deo potiùs, aut nubibus; quàm *Angeli ſolius* miniſterio: cùm hic tamen paſſim *Solus*, ceu Divinæ miniſter vindictæ, *percuſſiſſe caſtra* barbarica perhibeatur. Et, præter hoc, tonitruîs, iratarúmque nubium fragoribus, ac ſtridore fulminum, intervenientibus: quo pactô, *cum ſilentio*, Regéq; non excitatô, clades tam aſſidua densáq; contingere potuiſſet? Magis igitur eorum arrideret ſententia; qui, *Genii cœleſtis* violentâ manu, cenſent, ſingulorum repentè ſpiritum interclusum; aut, occultô quodam, ſed perniciosô, motu, *cor*, momentô temporis, ſine ſenſu morientis ullo, compreſſum & extinctum. Unde, ſine vulneribus ullis, diſcurrente per ſingulorum omniúmq; vitas funere, mortui priùs Aſſyrii ſunt, quàm, mori ſe, ſentirent. (*yyyy*) Sed, in hac ipſa tamen tot millium extinctione, talem in modum peractâ; quid factum deinde *cadaveribus* eſt; jacentibus illic ſuffocatorum *centum & octoginta quinq; millibus*: ne tetrâ fluentis tabi *graveolentiâ* Jeroſolymorum fines omnes, & auram, imbuerent? cùm ſubinde, vel *decem* ſola peremptorum *millia*, ſufficere poſſint (calidioribus præſertim in regionibus; cujuſmodi

modi *Palæstinum* omne *cœlum* est) ad caussam, emigrandi tantisper, ac sedes alias exquirendi. Qua de causâ, cæterîs, quas hucusque produximus, opinionibus omnibus, eorum, arbitramur, anteponendam esse sententiam; qui, *flammîs* in corpora dormientium, vigilantiûmve, *latentibus* & extemporalibus ab *Angelo-Percussore* suscitatîs, & immissîs; ità, censent, *incendiîs intestinîs* deflagrâsse, velut unicô temporis punctô, singillatim, ac viritim, Assyrios: ut, salvîs tamen adhuc per prodigium armîs, atque vestimentîs; cætera solverentur in *cineres,* ac *favillas.* Eáque nihilominus cadavera, quantumvis in pulverem torrendô redacta; simulacra tamen & facies hominum, animâ carentium, foris retinebant: donec (quod nos & in pomis Sodomorum, & magìs adhuc in balsamô conditîs cadaveribus, interdum experimur) tactu vel afflatu violata diffluerent. Unde, tetri fœtoris, nulla nec formido, neque necessitas, invehitur; hâc postremâ, quam posui, sentētiâ: quæ Scriptorum est, auctoritate conspicuâ non carentium (zzzz): etsi claro nonnemini temporum horum Scriptori, dum adhuc viveret, ea displiceret. Cujus mihi tamen, in oppositum, argu-

Ruina Sennacheribi.

argumenta, semper visa sunt, non pauca tantùm, sed & minùs firma. (*a*) Verùm, satis interea, super his, ista dicta sunto. *Qualicunque* tandem *ictu* perculsus Assyriorum Exercitus, tunc *jacuerit*: certè, *jacebat!*

XIII. Verùm hæc *jactura*, non antè patuit; quàm, omni demum nocturnâ depulsâ caligine, Sol reductus diem, & dies rerum omnem faciem, aperiret. Decreverat, pridianô belli ducum habitô consiliô, *Sennacheribus*; posterô manè, primùm omnium, ad *Ezechiam* ac *Jerosolymitas* caduceatore (fortassis autem & denuò *Rábsace*) missô; tertiîs jam imperiîs ad urbis deditionem eos hortari. Si verò, quod hucusque fecerant, abnuere perseverarent: instructos ad urbem ordines, & oppugnationis omnem vim machinásque, producere constituerat: certus, ut eum suæ spes, ac spiritus, inflabant, ad primum apparatûs tanti, multitudinísque tam immensæ, quantam non antè facilè vidissent, aspectum, submissuros animum *Judæos* esse; seséque potentiæ, cuj pares nequaquam essent, permissuros. Sin autem nec id quidem apud vesanos procederet: tum, coronâ circumdatîs mœnibus, & scalîs ad omnem

murorum partem applicitis, inſcenſionéqu factâ; de reliquo, vi cuncta, ferróque, cæd búſque, pro libidine victoris ſe, decreverat acturum. Nec aliud, qui Jeroſolymis clau ſedebant, & adhuc Deo plenè non fidebant ab Aſſyriis opperiebantur. His igitur, qua dixi, cogitationibus imbutus; ſomnum *re Aſſyrius* inierat. harum & inſomniis occup tus, in Solis ortum uſque, ſoporem produ xerat: cùm, ecce, tandem expergefactus, ad miratur; tam clarâ jam luce, tum prætoria norum, ante tabernaculum ſuum, militum tum exercitûs tot millium, incredibile paſſi *ſilentium*. Non legatos ſaltem, ac duces, tri bunóſque; non, conſilii ſanctioris participe *Aſſyriorum* Optimates, ac *Megiſtánes*, (6) e more quotidiano, manè ſalutatum irruptu ros, ante prætorium ſtrepere?

Surgit ſtratô: ſignîsq; conſuetîs, ac voc quoque, cubiculi regii miniſtros, & ſpadone citat. Cùm illi cunctarentur; clamoribus in ſtare clarioribus: &, jam hunc, jam illum, no minatimque, ſemper aliâs proximè taberna culo ſolitum accubare Regio, *Ráb́ſacen* vocan ſuum pergit. Sed nuſquam auditor; nu quam, nec *Rabſaces*, nec cæterorum quiſqu

qui paréret, aut comparéret, aut omnino responso regem dignaretur. Tandem ergo, non furoris minùs, quàm stuporis & admirationis, plenus; circumjectîs sibi vestibus, tabernaculô prorumpit: &, *Heus*, inquit, *heus, Somni mancipia; non Regis vestri satellitia! Quò tandem, quousque, pigerrimi glires, stertetis? Vbi cubiculi ministri nobis? ubi corporis regii custodes? ubi solita Purpuratorum obsequia? Rabsaces, ubi tandem? & tu, Rábsaris, ac Tharthâme, quibúsnam sub tentoriis latetis?* Dum loquitur; intuetur. Circa tabernaculum, densô passim agmine, pronos alios, alios supinos reperit: ac, fœdam stratos in mortem, orísque speciem, apparitores, eunuchos, ipsósq; militiæ Ductores, attonitus videt. Agnoscit, inter eos, & *Rabsacen*; &, *An semivivus saltem sit*, percussu pedis interrogat? At *Rabsaces* exspirârat. Ad *Tharthámum* venit: succussúque corporis & armorum, periculum facit; an aliquid vitæ super? A *Tharthamus* exspirârat. Circumcirca, satrapas, legatos, tribunos, obit: &, an aliquid illis saltem animæ relictum sit, experitur. Omnes vivîs emigrârant. Ingentî concussus igitur horrore; nec multùm ipse quoque dispar iis ipsis, quos admirabatur: quando jam

Ruina Sennacheribi.

neminem, qui ſibi ſciſcitanti reſponſum da-
ret, inveniret; inter ſpectra ſibi videbatur, a
noctis imagines, obambulare. paullatim e-
tiam interrogare ſeipſum; *Verène vigilaret
aut etiam viveret; qui ſolus, ex tot millibus, adhu
vigilaret, ac viveret: ſi pari modò tota caſtr.
ſtrata procumberent?* Dubitanti, Num èaden
caſtrorum univerſim clades eſſet, ac fortuna
pauciſſimi quidam, diverſis ex agminibus, &
alius aliunde, prorepentes; pallido terroribu
vultu, flentéſque, nuntiant; *Eandem caſtrorum
cadaverúmque, per omnem Jeroſolymorum ambi-
tum, tragœdiam ac faciem eſſe: quæ circa præto-
rium, & Regem, deprehenſa ſit. Se ſolos ex omni-
bus, adhuc intactos à morte, non intactos à certiſ-
ſima mortis exſpectatione; proripuiſſe ſe: nuntio.
magìs, ac teſtes, infandæ ſtragis, quàm ſolatii
Regis, vel Aſſyriorum agminum reliquias.* Ex
*centum octoginta quinque millibus electiſſimorum
militum, non modò mutire neminem, aut move-
ri; ſed jam nec balare quidem, aut fugientem ſal
tem animã agere. Nihil enim animæ ſupereſſe.* Ve-
ra nuntiabant: & nimirum hos pauciſſimos
ob idipsũ hactenus inviolatos, *Percuſſor An-
gelus* dimiſerat; ut, eorum narratione teſti-
monióque, *Sennacheribo*, quídnam caſtris ſuis

lat

latè diffusis, evenisset, innotesceret. Simùl autem & hortatores illi, volebat, & comites, ignominiosæ fugæ, superesse. Nam *Regem* hi revera stimulabant ad fugam maturandam; jam antè curîs omnibus angoribúsque circumsessum: ac, præter hanc stragem, insuper jurè metuentem; ne, clade copiarum hostilium internecinâ mox intellectâ, prorumperent *Jerosolymitæ*: séque captum, & catenîs oneratum, ad contumeliam & cruciatum *Ezechiæ* dederent. In equos igitur proximos quosque, si qui superfuerant, celeriter *rex*, & *fugæ suasores*, impositi; relictîs impedimentîs omnibus, & insignibus quoque regiîs abjectîs, necui *Sennacheribus* eminus cominúsve noscitaretur; *Jordanem* versùs, per summam trepidationem, fugam intendunt. Nec plures, tam immanis heri multitudinis imperatorem, quàm *decem* omnino, sequebantur: (γ) inglorium jam, & indécorem; ac, præter hoc, non spe solùm *Jerosolymæ* capiundæ, sed etiam victoriîs suis Australibus, opibúsque, raptô sibi comparatîs, dejectum: qui pridie tamen Deos hominésque, Cœlúmque cum terris, eradicatum advenerat. Fugiebat autem, festinatione summâ, per *Iordanis* utrobi-

(γ) Ruina Sennacheribi.

que fines;ac mox per Moabitidem, Arabiam, cæterásque, quæ sitæ sunt ulteriùs, terras ac populos, Assyriam versùs: incognitus tunc, propter Cidarim abjectam, Hebræis, Jordanem accolentibus; gentibus autem cæteris, è paucitate comitatûs, & clarâ significatione pavoris, irrisus. Usqueadeo, *timebat jam omnes, ac fugiebat; qui nuperrimè terruerat omnes, & fugârat.*

XIV. Ac *Sennacheribus* quidem, è conspectu se *Ierosolymorum*, proripuerat; & *Ezechiam* effugerat. Non autem eripere potuit, unà secum, castra sua: nec fugæ suspicionẽ in longum effugere. Cùm enim essent, *Ezechiæ* jussù, dispositi, per plerasque Jerosolymorum editiores turres, accurati speculatores; iique, clarô jam die, nec vocem in castris barbarorum, nec motum, solitásque concursationes, observarent: quin & Assyrios eos, qui, pro fronte castrorum, in excubiis pridie, stationibúsque, dispositi fuerant, pronos omnes in faciem jacére, deprehenderent, (nam, ut dictum est, proximè muros, qui Sioni monti prætendebantur, castrorum Sennacheribi principia se porrexerant; ut adeò difficile non esset, è regiæ Davidicæ locis editio-

ditioribus, ac turribus, quídnam in castris gereretur, perspicere): non extra publici commodi rationes visum est iisdem illis speculatoribus; admoneri Regem *Ezechiam*, de castrorum hostilium insuetâ facie, prodigiosáque taciturnitate. Cùm autem Rex *nihil temerè vel credendum censeret, vel audendum; ne fortè de composito, pérque tristis alicujus casûs dolosam simulationem, ostentarentur ea magis, quàm fierent*: repentè turrium custodes iidem, alius aliunde, referunt eidem, consilium optimatum agitanti; *Mediis è castrîs, unum quempiam*, Assyriîs cæterîs *habitudine corporis spectabiliorem, cum equitum, non nisi decuriâ, subditîs calcaribus, ac fugienti simillimum, ad Orientalem urbis tractum festinare: medióque, Vallem inter Ennomæam, & hortum-Regium; itinere, Ierichuntem, videri petiturum.* Difficile fuit, rerum ipsarum ignaris, assequi conjecturîs; Quid ista sibi vellent? difficilius autē ac stolidius, urbe prorumpere; pérque media barbarorum castra, (si fortè quietem illi fingerent, & insidias malè-credulis tenderent) paucos aliquos fugientes, tantô cum periculo persequi. Ne tamen omnium ignara ciuitas esse perseveraret: emittuntur, quà portæ viæ-

Ruina Sennacheribi.

viæq́ue tutiſſimæ videbantur, è promptioribus aliqui; qui rem omnem exactiùs explorent: cognitáque, cum fide referant. Pòſt paullò revertuntur; qui caſtrorum principia luſtrârant; *Strata paßim Aſſyriorum omnium jacére corpora, cæſis ſimillima*, memorantes. Quô cognitô, plèriſque dubium non erat, id, quod ſæpius antehac, nominatímque ſub Gedeone Madianitis, ſub Joſaphato Joramôque, Moabitis, & Ammonitis, eveniſſet: *Mutuîs in ſeipſos gladiis, ictibúſque, verſos Aſſyrios; lanienæ theatrum de ſuis præbuiſſe corporibus, quod interminati Ieroſólymitis fuiſſent.* Eáque conjectura, plerorumque jam animos occupârat: donec, qui ſingula caſtrorum accuratiùs penetrârant, certiúſque cladis faciem inſpexerant, certiora quoque nuntiarent; *Non videri ſuopte barbaros concurſu ſtratos: ac ne ferrô quidem. Sed occultâ quadam, ac prodigii plenâ, vi cecidiſſe. Quippe, nullò, nec vulneris alicuius, neq; ſanguinis, apparente veſtigiò: quod gladium, aut tela, redoleret. Verè nihiloſecius jacére cadavera: quibus omnia circumquaq; caſtra ſint conſtrata. Proptereáq;, non hominem modò nullum illic, ſed ne Canem quidem, ſpirare. Reliquum eſſe, ſi modò ſaperent Iudæi, ſpoliare cadavera; prædámque, cu-*

jus opu-

jus opulentiâ redundent castra, manibus utrisque legere. Confidenter igitur irent; inventáque (quorum partem & ipsi jam ostentabant) *diriperent. Nec posthac Assyrium formidarent ullum. A mortuo namque leone neminem morderi.* Persuaserant hi, *regi* juxtà, *civitatique* cunctæ; quod narrârant, ac suaserant. Diductîs ergò mœnium portis, prorumpunt in castra: primùm quidem armati tantummodo; sed, adhuc instructîs, in utramque fortunam, ordinibus: & agmine, nequid fortasse barbarorū in insidiis delitesceret, compositô. Pòst, ubi tuta cuncta, periculíque vacua, comperta sunt; *inerme* quoque civium *vulgus*: &, cum jumentis, immensâque curruum ac vehiculorum multitudine, balatrones etiam, aurigæ, bajuli, calonúmque turbæ, portîs se pluribus effundunt. Non etenim sufficiebant, asportandæ prædæ, manus, aut humeri: sed, vecturîs opus erat, ac plaustris. Jacebat enim in castris, sparsim, ac per tentoria; quidquid etiam insatiabilis posset, & auderet, Avaritia concupiscere. Commeatus omnium generum; & annona, quanta vel obsidionis Trojanæ decennio, satis fuisset. Ægyptiarum Cyrenaicarúmque messium felices æstates; Mareoticæ vindemiæ

miæ veteres autumni, curribus, ac doliis, conſtipati. Cæteríque victûs humani, tam ad *necesſitatem*, quàm ad *delicias*, affluens ubertas. Adhæc, utenſilium, armorum, phalerarum, pretioſarum veſtium, aulæorum purpuræ, gemmarum Aethiopicarum, & eboris Libyci, rubríq; maris unionum. Argenti, ſuper hæc, auríque, vaſorúmque generis ejuſdem, non tam *copia*, quàm *nundinæ* quædam, ac *forum* & *emporium:* unde, non, quod emeret, ſed quod legeret, raperet, auferrétque quiſque, quod vellet; &, quod proximũ in oculos atq; manus incurreret. In ſummam! Quidquid opum ſecum ex *Aſſyria* Sennacheribus quõdam, ac tot millium exercitus illius, in *Iudæã* advexerat; quidquid item, longâ deinde vaſtationis *Iudaicæ* morâ, corraſerant, ac deinceps ex *Ægyptiis & Aethiopibus*, tot expeditionum ſecundîs ſucceſſibus, egeſſerant: id jam univerſum *Ieroſolymitarum* erat, & inprimis *Ezechiæ regis*; ut, cujus in *caput impendiáque*, præ cæteris omnibus, *Aſſyriaci belli* terror ac diſcrimen intentatum fuerat, in idem quoque victoriæ ſpoliorúmque potiſſima nunc felicitas ſeſe refunderet. *Par enim erat; ut, qui plus ſenſiſſet oneris, plus indidem ſentiret & commodi.*

modi. (δ) *Regrediebantur* igitur, qui ſæpe nuper *flentes exierant, cum exultatione* nunc; *portantes* (quod olim David cecinerat) non jam *manipulos* tantùm ſpicarum, ac meſſium; ſed onera ſarcináſque ſpoliorum gentis Aſſyriæ: ſtridentibus, lætô cum rotarum gemitu, per omnes *Ieroſolymorum* portas ac vias curribus, & gravatis opulentiâ barbaricâ plauſtrîs. Nemóque jam pauper, nemo nudus, aut eſuritor, erat. Cantabantur ergò, per omnes urbis ſacræ platéas, & in Salomonico præſertim Templo, laudes Divinæ. lætæ *religioſiſsimo Regi*, lætæ *vati Numinis Iſaiæ*, voces per urbem, & acclamationes, fiebant: non *à bonis* tantùm, & in Deo ſemper antè defixîs; ſed jam etiam, à *deterioribus; quiq; religionis conſtantiam, ad temporum auram, circumferre venalem ſolebant.* Gaudium igitur ingens, ac multiplex. erat omnium; de tam ingenti, ſinéq; ſanguine Jeroſolymitis partâ, *victoriâ:* gaudium, de *victoriæ* copioſo *fructu.* Sed victoriæ *genuinus auctor*, & *cauſſa*, vulgò latebat: niſi, quòd (ut omnia cætera, quæ feliciter hominibus eveniunt) in *Deum*, velut *omnis boni fontem*, hujus quoque Fortunæ *fluvius*, referebatur à bonis, ac Deô-dignis. Sed immortalis *Angelus*, Aſſyrio-

Ruina Sennacheribi.

ſyriorum *Percuſſor*, cuinam mortalium plebejæ tantummodo probitatis, veniſſet in mẽtem? Ignorâſſent igitur Angelum; neſciſſéntque Percutientem illius dexteram: niſi, doctus à Numine, *Propheta*, qui libertatem urbi prædixerat, idem & liberandi modum eis, ac miniſtrum, tandem edixiſſet; ore priùs, deinde, conſecrandîs æternitati ſcriptîs. (ε) Unde proinde didicêre *Jeroſolymitæ*: ſe *cœleſtibus Geniis*, in utrumque, curæ ſolitos eſſe, cordíque, quatenus mererentur: ſeu malè, ceu ſub *Davide* quondam; ſeu meliùs, utì tunc, ſub *Ezechia*: mitiſſimósq; *Spiritus* illos, quantùm olim *contra* ſacram urbem, ac Cives; tantùm & *pro* Civibus poſtea, *ſævire* ſuſtinuiſſe.

XV. Tenuit autem hujus, cœlô demiſſæ, felicitatis tantæ gaudium, atque fructus, dies complures: venientibus in partem lætitiæ, bonorúmque, cæterîs quoque *Judææ* totius urbibus, & oppidîs. Quibus, *Aſſyriorum* aſſiduô, per tantum temporis, incubitu, populationéque, plurimùm exhauſtis; ab alimentis præſertim, quorum ingens erat, ex præda, *Jeroſolymitis* copia, perbenignè liberalitérque ſubventum eſt: terráque deinceps omnis, quæcunque frugibus ac vindemiis apta ſuper-

pererat, quoniam adhuc per anni tempus sationibus & culturæ locus erat, exerceri cœpta. Quo factum est; ut eorum, quæ prædixerat olim, ac monuerat, ex ore Numinis, *Isaias*, de *Trium annorum, tam fructu, quàm præparatione nutrimentorum*; *de belli* præterea *secundissimo fine*, nihil intercideret, inexpletúmve remaneret. Inter hæc autem, *Assyriorum* quoque *cineribus*, ad agrorum, quos dudum exsuxerāt, pinguedinem aliquid stercoratione conferentibus, *Sennacheribus* superstes erat, *rex* eorum: dignissimus quidem, qui, sicut princeps in delictis, sic & primus in suppliciis, pœnas jam olim dedisset. Sed nempe, nō *absolverat* eum ultrix DEI manus; verùm ad graviora *distulerat:* casurum fatô, non qualî *vulgus* nuper, *& omnes*; sed, cujusmodi funere perniciéque cadere decebat eum, qui se super omnes extulerat, & *mortales*, & *immortales*. Hic ergo, cum paucissimis, uti narratum est, comitibus, *è Chanaanitide* profectus, ac Jordanem transgressus; *Cœlesyriam* inter, *Arabiæq; deserta* solitudines, *vitabundus*, non *hostium* magis *tela* (ζ), quàm obnoxiarum sibi gentium *ludibria*: Niniven tandem, evitatâ sollerter *Babylonis* & *Chaldææ* celebritate, pro-

propter ſolitudinem comitatûs inſuetam, propemodum incognitus pervénit : idq́ue *quintò* non ampliùs, à fuga cœptâ, *die*: propterea, quòd, *addente calcaria formidine*, *timens eos, à quibus cauſſa nulla timoris erat*, maximîs interdiu noctúque confectîs itineribus, *Ezechiam* vitabat, & *Judæos*; quos ſibi ſuíſque, fingebat, in tergis jamjam hærentes. (*x*) Cùm autem & à *Ninivitis*, Regiæ ſuæ civibus, & ab ipſis adeò *palatii* ſui reliquiîs, acceptus eſſet, haudquaquam pro vetere geſtarum rerum fama gloriâque: (didicerant enim, & ex ejus tam ſolitariô reditu tragœdiam funeſtam; & è fugæ regiæ comitibus, deleta *regis* eſſe caſtra): rex, calamitatem, à ſe malè concoctam, ardore multò jam incenſiore conſumpturus; graviter, & in *Judæos*, eorúmque regem; & in ipſum rurſus *Deum*, exarſit. In *illos* quidem; ut, pro quibus manifeſtè pugnâſſe *Deum*, clade ſuî tam incredibilî, confiteri cogeretur. In *hunc* autem; quòd, propudioſa *Circumciſorum* genti defendendæ, vim armorum ſuorum univerſam, vel è *cœlo*, vel ex *Inferis*, effudiſſet. Cùm autem huic, utpote Numini, ſub tactum aſpectúmque mortalem nequaquam cadenti, nec vindictam poſſet

ne

Ruina Sennacheribi.

nec talionis æqualitatem, reponere: constituit, in omne genus *Hebræum*, eósque potissimùm, qui sui tunc juris ac ditionis essent, *Israëlitas*, conceptum jam olim furorem, & tunc immaniter adauctum, expromere: cæsîs, mutilatîs, fugatîs, & ad incitas exutîs, omnibus; quotquot *Hebræi Numinis* addictos adorationi, sentiret. Demens, profectò! qui, post inutiliter consumptas, in *terris*, armorum iras; erigere nunc in *cœlum* sarissas suas tentaret; cúmque nihil adversùs *homines* profecisset, *Deo* nunc facere bellum, *in Dei cultoribus*, adniteretur! Ità semper, *stoliditate* novâ, *seipsum* superabat. Hoc igitur ultionis impetu conceptô; *Ninivicolarum*, ex *Israëlitis* quos illuc *Salmanasar* quondam, pater eius, captivos attraxerat, permultos interficere, rex cruentus, aggreditur. Interfectorum verò cadavera, quò solatii quiddam indè *Manes* haurirent *Assyriorum* illorum, quorum circa Jerosolymam tunc corpora putrescebant; post *murum* Ninivês, in sterquilinia, jubet, agrósq; publicos, abiici. (9) Conquirentem autem, ac sepelientem, abjectorum reliquias, *Tobiam Senem*, Nephthalæum olim civem, ac tunc, unà cum cæteris suæ gentis, ad servilem apud

apud Assyrios conditionem redactum, ad cędem ipsum quoque deposcit. Non repertum verò, quoniam virum hunc, propter mores sanctos, tam suis, quàm exteris amabilem, ipsi quoque *Ninivitæ*, cum uxore filióq; parvo, celabant; domô, fortunîs, ac proscriptione, multat. nec erat alius *pœnæ titulus*, quàm; *quòd, improbissimô sub rege, pæne solus ipse, probitate contenderet super omnes eminere.* Dies porrò *novemdecim* (*ι*) hæ *Tobiæ* latebræ tenuêre: cùm inter hæc (ut ferunt), *Ninivitarum* adversùs regem suum ortô jam pridem murmure; posteáque paullatim, ex ejus in captivos innoxios crudelitate, magìs ac magìs increbrescente: res ad seditionem tandem, &, è multorum conjuratione privatâ, malè dissimulatâ, publicas ad turbas, spectare cœpit. Namque filios alii, patrésve; multi fratres, & consanguinitate sibi connexos, *indignis primùm, minimég; necessariîs, in Iudæam & Ægyptum, imperiis extractos: nunc autem indigniùs multò, turpiúsq;, quàm ullas unquam legiones, exercitúmque, periisse, frendebant. Cúmq; rex arroganti suâ, qua Deos hominésq; lacessîsset, stultitiâ, rémq; suam, rémq; publicam, evertisset; Assyriámq; robore nobilitatis ac militiæ viduâsset : nunc in*

cos

Ruina Sennacheribi.

eos transfundere cladis suæ culpam ignominiámque velle; qui nec manum unquam cladi, nec digitum, admovissent. Ad summam! innoxiorum cæde sanguinéque, dealbare pravitatis suæ nævos conari. Sed enimverò, meliùs litari cæsorum in Iudæa Piis Manibus, nisi cædis auspice Rege cæsô, non posse. Quæ, taléſque voces aliæ, tumultuantium Ninivês civium, cùm ad aures *Sennacheribi*, tunc adhuc in *Israëlitas*, eorúmque *Numen*, vel maximè furentis, affluxissent: tum enimverò, *more peßimè sibi consciorum, timere cœpit omnes; qui modò, per cunctos dies illos, omnes exterruerat.* Multitudinis igitur, in regiam irrupturę, seu *verâ* fulminatus, seu *falsâ* formidine, *Sennacheribus* (nam mortales, extremè scelestos, æquè vanorum, quâm re verâ superimpendentium, malorum pavor exagitat) abjecit repentè gladium: arripuit preces. Quíque sibi, non antè multò, *cædi victimas*, aráſque strui, per vim exegerat; ad *aram* nunc alterius Numinis, *mox ipse victima futurus*, etiam *asyli* causſâ, fugam intendit. Templum erat, eâ tempestate, Ninivês intrà mœnia, Deo fictili sacratum; quem *Nesróchum*, aut, unicâ mutatâ litterulâ, *Nesráchum*, *Editio* divinorum voluminum *Vulgata* nominat. *Nesráthum* alii; *Nizram*,

Ruina Sennacheribi.

ram, Genebrardus: *Dagónem*, Hebraicæ traditiones; *Araſcum* denique, Flavius Joſephus, appellant. Ad hujus ille cujuſcunque tandem vel nominis, vel numinis, *ſtatuam*, genibus (*ô rex Aſſyriorum!* quouſque tua te Superbia præcipitem egit?) *genibus*, inquam, advolutus; incolumitatem, & ſuam, & aviti Solii, precatur. Exceptáſque ferunt ſupplicantis voces, ac vota; *Reſpiceret tandem res ſuas, feſſas, ac, niſi divinitus ſuccurreretur, comploratas. Si Deus eſſet, ſicut, eum eſſe ſanè, nunquam ipſe dubitâſſet: circumciſæ gentis Deum, rebus Aſſyriis inimicum, & exitialem, clade quapiam gentis illius inſigni, notaret; dextrâq; ſuâ potentiore retuſum confunderet: ac ſe, Neſróchi-cultorem, cæteris religioſiorem, præſentiùs etiam ulciſceretur. Inprimis autem ſuorum adversùm ſe, turbulentos animos, iráſque, componeret: ſeditiones, aut imminentes averteret; aut motas, compeſceret. denique, malum omne periclitantis ſibi Solii propitius averruncaret. Pro quibus meritis, ſi voti damnatum ſe deprebenderet; non ignobiliore ſe victimâ, quàm Phœnices, quàm Pœni, quámq; Moabitæ (x) ſolerent, ei ſacra facturum. E tribus enim filiis, uno ſibi ſuffectô* (nominabat autem *Aſarbaddónem*), *reliquos duos, Neſróchi ſuper*

per aram, immolaturum: quò tandem desinerent Ninivitæ, deplorare suos; ubi cecidisse cernerent, & Regis sui filios. (λ) Hæc, aliáque talia, vocis sonitu, minùs, ac necesse fuerat, circumspectô suppressôque, propalam ab rege prolata; non defuerunt è ministris, qui protinus, ad ejus filios, victimæ destinatos, enuntiarent. Illorum alteri nomen *Adramelêchus*; alteri, *Sárasar* (μ), erat. Hi [quod *Rabbinici* tradunt libri] trepidi statim, ac turbatâ mente, concursant. Sui conservandi consilia miscent; quáque ratione, suis impendentem cervicibus interitum, parricidiô prævertant, in commune deliberant. *Si* Pium *utique pulcrúmque futurum sit; pro genitore, qui vitam dederit, vitam impéndere, caderéq;* pro patre *filios: quantò tamen fore magìs* impium, *filios* à patre? *Naturam eandem, quæ paréri, parciq;, velit parentibus; dictare patribus invicem filiorum charitatem; ac tutelam. nec sanè DIs ullis, nisi præferocibus, suóq; cœlo minimè dignis, esse cordi posse* Sacrum *ejuscemodi; præ cujus immanitate, virtus sit, omne* Sacrilegium: *& cujus caussâ, victimarius, atq; carnifex, fieri cogatur, idem; qui* carnis *ac vitæ fuerit auctor. Denique, si placandi per homines DI; si placandi per Deos, homines sint: de suis pa-*

ter, *non de filiorum extîs, eos placaret*. Hæc inter sese *Sáraſar*, & *Adramelèchus*, collocuti; continuò furentes, accinctíque gladiîs, in Templum cursu contendunt. Ibi, supplicantem iisdem adhuc, quibus antea, verbîs, & gestibus, *patrem* inveniunt: ac, *nec quid, nec quare*, facinoris sui redditâ cuiquam ratione, districtîs in eum ensibus insiliunt. Trepidantem, ac frustra nunc preces à *Nesróchο* suo versurum ad *filios*, obtruncant: eádemque sceleris insolentiâ, qua *Sennacheribus* semper *Veram Divinitatem* protriverat, ipsi *jura* tunc *Humanitatis* ac *Naturæ* conculcant. Conspersîs porrò paternô cruore, templi pavimento, parietibus, arâ, Simulacrô; totáque propterea *Ninivâ*, cæde cognitâ, multò nunc furiosiùs in *filios*, quàm paullô priùs in *patrem*, tumultuante: *parricidæ*, dispositos in equos sublati, pérque notas viarum ambages urbi simùl, iræq; civiũ, (*r*) subducti; superatô Tigri, montibúsq; Gordiæis, fugam in *Armeniam* intendunt. Imperium autem, designatione jam olim paternâ sibi debitum, nec invitîs multùm Assyriis; *Aſarbaddon*, frater eorum, natu minimus, suscipit. A quo tamen haud ità multò pòst, tum alii quidam provinciarum satra-

ſatrapæ, tum inprimis Babylonius, *Baladan-Merodáchus*, alieniores effecti; novare res cœpêre. *Merodachus* autem paullatim, Prætoris appellatione priſtinâ non contentus; quaſi pro *ſuo* (quod arma, civiúmque favor, ei dabant) *jure*, Babylοniorum ſe *Regem* palàm ferre. Quem, conſtat, poſt hos ipſos Aſſyriæ tumultus, ad *Ezechiam* Judææ regem, oratores legâſſe: *verbô* quidem, qui partim reſtitutam regi valetudinem gratularentur; partim de *Solis*, ut alibi dictum eſt, *retrogreſſi prodigio*, déque ſtupendâ ſæculis omnibus *Aſſyriorum* nuperâ *ſtrage*, ſciſcitarentur: *reipſa* verò, fœdus, ac ſocietatem armorum, & offerentes, & invicem ab Ezechia flagitantes. Cujus conſilii ſumma, *Merodacho* fuit hæc: ut, qui *Medum* jam Satrapam, alióſque nonnullos, in ſocietatem rebellionis adſciviſſet: poſthæc, adjunctô quoque *Judææ rege*, mentis ejuſdem Principe, meritóque rebus Aſſyriacis infenſô; tantò pluribus inniteretur armorum ſubſidiis, ſiquid adverſùm ſe forte moveret *Aſarrhaddon*. (ξ) Hoſtis interea gentium omnium publicus, *Sennacheribus*, ad aras ſuas *hoſtia* factus: rogo cadaver ſuum; ludibrium ſui populis Orientalibus; infamiam ſolii ſui po-

Ruina Sennacheribi.

ſteritatis annalibus ; Orco verò, miſeriis omnibus circumvolutum Spiritum ſuũ, transſcripſerat: digniſſimus quidem malîs univerſîs, dummodo tamen modîs manibúſque, minùs *indignîs*, corruiſſet. Ex quo tamen viro, per omnia cæteroqui Peſſimô, commodum emerſit ingens: Bonus, inquam, *Iſraëli*, cunctíſque *rectô corde* præditis, Deus! (o)

XVI. Certè namque *benevolentiâ* Deus luculentâ, primò quidem *Tobiam*, omnéſque captivitatis *Iſraëliticæ* conſortes, apud Niniven, complecti ſe, demonſtravit: quando *Sennacheribi*, ſemel eductum in cervices eorum, acinacem, fecit *brevem*: tempore crudelitatis eius, quod, per ætatem tyranni, complures adhuc in annos excurrere potuerat, exiguum in ſpatium convolutô. Cæſus enim *Sennacheribus* eſt, circa *quadrageſimum*, à reditu ſuo, diem. (ϖ) Clementiam deinde mirificam, ac tantò majorẽ, *Ezechiæ Jeroſolymiſque* Deus præſtitit; quantò *beneficii præſtantioris eſt, gladium omnino non experiri, quàm, ab illato jam, & ſævitiam exorsô, liberari*: quando caſtrorum *Sennacheribi* furias, in poſterum diem præparatas, & in capita fortunáſq; Jeroſolymitarum effundendas, interpoſitu noctis unius

pe

per *Angelum* disjecit; & in ventos favillámq; dispersit. Quid potuit *pater* ullus, aut ulla *mater*, amabilius præstare filiis unicis: non *ictum* tantummodo, sed *totam* omnino *virgam*, à trepidis, & plagam exspectantibus dorsis, avertendo? *Quàm* BONUS igitur *Israëlitarùm Deus*, non iis tantùm, qui *Rectô* tunc erant, sed illis quoque, qui *distortô pravóq; corde?* quorum mortalium (ut in superioribus dictum est) non deerant *Jerosolymîs*, eo tempore, manipuli. Verùm *asper* interim, inquis, & *immitis* Assyriorum agminibus: *asper* corũ *Regi* Deus! At in hoc ipso, *Bonus* Publico terrarum Orbis commodo fuit: ut, in hæc, tam insolita, tam atrocia, supplicii cœlestis *exempla*, defigentes aspectum posteri; delinquere paria formidarent; nisi paria tolerare mallent. *Improbus* erat Assyriorum exercitus: *improbissimus*, eorum Imperator. *Cœlo* bellum iste, contumeliosîs in Deum, dictîs, cogitatîs, ac factîs, *movebat*. Exercitus, *approbabat*; si non omnes *linguîs* & *animîs*; omnes certè, sacrilegi belli *ministeriô*. Quis autem sanctæ sanæq; mentis homo nescit; *morte dignos esse, non eos solummodo, qui nequiter agunt*, aut impiè: *sed illos quoque, qui consentiunt*, aut socian-

 tur,

Ruina Sennacheribi.

tur, *agentibus?* (ę) Detrusa sunt igitur, tanquam *Impietatis armatæ commilitium*, ad infima Tartari loca, *Percussoris Angeli* manu vindice, *Centum octoginta quinque millia* Sennacheribi *satellitum: ad terram ultimam*, cum omnibus iis, *qui* per tot sæcula *descenderant*, & adhuc porrò descendent, *in lacum*, igne, pice, sulphuréque stagnantem. Hanc tantam antecursorum suorum multitudinem, permodicô temporis interjectô spatiô, *Rex* ipse tandem, omnis Impietatis ductor, insecutus: propter *Circumcisæ* gentis odium, & Numen, gladiô cæsus domesticô; *dormit* jam, somnô ferreô, *cum Incircumcisis. Illic Assur* igitur (quod Ezechiel ait) *& omnis* Assyriæ *multitudo; gladiô*, quem nemo vidit, & omnes tamen senserunt, *interfecti. Sepulcra* jacentium, *in circuitu, per gyrum* Gehennæ; sedentium *in novissimis* inferni *lacûs*. Quíque latè quondam armorum suorum formidinem, Orientis per terras circumlatam, sparserant in omnes ferè gentes: ii *deportârunt* secum suæ, divinitus acceptæ, cladis *ignominiam; cum his, qui descendunt in lacum. Qui descenderunt ad Inferos cum armis suis: & posuerunt gladios suos sub capitibus suis*; licentiæ suæ ferociæque militaris facinoribus,

(ę) Ruina Sennacheribi.

ribus, tanquam pulvinis, incumbentes. *Hæc namque requies* eorum erit; *nulla* deinceps, ullius puncti temporis, *non diurna, non nocturna, quies.* (σ) Nam *Iniquitates eorum in ossibus illorum*, tanquam flammæ febrilis intestinus ardor, assiduò furunt, & exæstuant. *Ibi* denique *Principes* Orientis *omnes, & universi* populorum *venatores*; qui ditionibus alienis, instigatore ductoréque *Sennacheribô*, plagas ac retia tendebant. *Qui deducti sunt*, in abyssum Acheruntis, *cum interfectis gladio: qui portârunt confusionem suam, cum omnibus* aliis, *qui* de Solio, superbísque prætoriis, *descenderunt in lacum.* (τ) Horum omnium, ut hîc olim *Blasphemiæ*, sic nunc *pœnarum* illic, antesignanus *Sennacheribus*; in flammis natat. De cujus, in Summum Cœli Numen, insolentiâ maledicentiáque, cùm satìs dictum in superioribus sit: eô nunc suppliciis relictô suis, ad *Imitatores* illius, hodiernorúmque præsertim temporum *Blasphemos*, paucîs adhuc stylum converto. Paveant hi, quicunque tandem, & cujuscunque Sacrorum cultûs nomine, censeantur: ac, simillimis pro dictis factísque, simillima *Sennacheribo Rabsaciq;* tormenta præstolentur. Quod ego, non tantùm de malé-

Ruina Sennacheribi.

dicis in ipsum *Numen*, quà Cœlo præsidet; sed, in divinissima quoque *Sacramenta*, Christique Sponsam *Ecclesiam*, ac cœlô jam receptos hominum *Spiritus*, nequis eos sermonibus impiîs incessat, summâ curâ velim admonitum. Nam & *hos qui tangit, is Oculi divini pupillam sauciat* (υ). *hos qui spernit, is & Christum spernit*; qui *Caput* est omnium suorum: Ecclesia, *corpus*: Divi, piíque, *membra* Corporis: DEUS *autem, in Omnibus omnia.* (Φ) Videant igitur *Blasphemi*; quémnam, horum aliquo verbîs factísve violatô, sibi capiant *Inimicum?* Illum, illum utique, *qui templa cœli summa sonitu concutit:* Illum *Antiquum dierum; cujus thronus flammæ sunt: cujus à facie fluvius igneus ac rapidus egreditur; qui per circuitum devorabit inimicos suos. Cui, quis unquam restitit; & pacem habuit?* (χ) *Cui millia millium ministrant semper; & decies millies centena millia Spirituum Angelicorum aßistunt.* Quorum *unus* unicus, si vastare, sub noctis unius brevissimum tempus, potuit *armatam in castris Assyriam* universam: tot *Angelicorum ensium* myriadibus, quónam, quæso, pacto tu tandem, *unicus homuncio*, congrediêre? Nec sublevabit, in illo cœli foro, quidquam sacrilegam tuam,

aut

Ruina Sennacheribi.

aut linguam, aut manum: ſi tu, pro te tuáq; perditâ cauſsâ, clames; IGNORANS FECI! QUOD NON INTELLIGEBAM, EFFUTII! Nam hôc eodem potuerant, & *Rabſaces*, & *Sennacheribus*, uti *ſcutô*; malitiæ ſuæ protegendæ. Poterat hunc *clypeum*, adverſùs Iræ divinæ fulmen, & ille Japonum imperator opponere; qui, noſtrâ memoriâ, non *Chriſtianos* tantùm, inſulâ, fortunîs, vitáque, ſanguinarius ejecit: ſed, vel ipſum, ſi cœlô deſcenderet, & Japoniam intrare præſideret, *Chriſtianorum-Deum*, ſe tormentîs omnibus (quis Piorum hîc non inhorreſcat?) *excarnificaturum* eſſe, jurâſſę fertur. Impiiſſimè ſanè! nec, niſi de *Luciferi* faucibus eructatâ voce, dixit hæc *Tyrannus*; ſi dixit. At vos, Xogúnum Japonum, & Sennacheriborum Aſſyricorum, pediſequi; videte, per Salutem veſtram! ne fortaſſis & vos in eundem *Offenſionis Lapidem* impingatis. Quid eſt enim in *Eucbariſtico Sacramento*, ritè confecto, [rideatis licèt omnes *Sacramentarii*] quid eſt aliud, quàm *Chriſtus, Dei filius*, ac *Deus De Deo; Deus Verus, de Deo Vero?* non autem, *nudum* tantummodo Chriſti *Signum?* Id, quod vobis, ſi Sacræ paginę non luce meridianâ clariùs loquerentur, ad ravim uſque, ſatis

ſatìs jam ſupérque Vetus omnis, ac recentior, Orthodoxorum demonſtrare, perſuaderéque, debuerat *Eccleſia.* Quid agebant igitur in Africa Donatiſtæ; Canibus *Euchariſtiam*, tanquam profanum panem, objicientes? quid [ut alios præteream] exſecrabiles *Anabaptiſtæ?* concerpentes Angelorum hunc Panem,& publicè clamantes; *En! ſi Deus hîc eſſet, numquid non hanc ſuî contumeliam ulciſceretur? & ſuî carnifices invicem excarnificaret?* (ψ) Id agebant planè Tenebriones iſti, quod *Sennacheribus*, quod *Rábſaces. In Cœlum ponebant os ſuum* porcinum, &, cum illa Danielis beſtia, *grandia loquebantur*; nocturnáque *ranarum* in æſtate tonitrua ciebant. *Veritas* interim *Verbúmq; Domini*, proteſtantis, HOC CORPUS eſſe SUUM, & non, Corporis jejunum Signum, *manet æternùm.* Quid dicent ergo tales hi, veritate tandem, (ſed quando jam ſerum erit) intellectâ? quid opponent? IGNORANTES ſe FECISSE, DIXISSE, MALEDIXISSE? Dicant ſanè! Sed reſpondebitur eis; IGNORANTES, poſt tam multam præſertim, támque perſpicuam veritatis obtruſæ lucem, IGNORATUM iri. (ω) Procedit autem hæc éadem, quam nunc premimus, argumen-

(ψ) Ruina Sennacheribi.

mentorum ratio, non minùs adversùs eos; qui, de Deo quidem, bene ſe rectéque ſentire, gloriantes, in Divos tamen, *Dei* familiares ac *domeſticos*, inſurgunt. Non hîc *Iconoclaſtarum* furorem produco: qui, præter cæteri generis contumelias infinitas, *Imaginibus ſacris* impactas; nonnunquam pias eorum ſtatuas, templîs extractas, & armîs militaribus exornatas; in muris, *præſidiariorum* habitu, ſpeciéque, collocârunt: hoſtibus, à quibus oppugnabantur, *Catholicis*, in ludibrium ſimùl, jactuúmq; *ſcopum*, propoſitas: ſpectaculô tamẽ ejuſmodi, quale plerumque *Trojanum* illis *exſcidium* renovavit. [*aa*] Sed hęc, ut dixi, tranſcurro: non diduco. Vulgatius, inter *Sæculi noſtri GIGANTVM* pugnas; cœlo prælia moventes, inſaniæ genus eſt: *Divorum*, cum Deo regnantîum, pro mortalibus *preces* ac *ſuffragia*, ridere: conceptas ad eos poſtulationes explodere: vota, Superis nuncupata, tanquam Impietatem damnare. Quod hodie pleriſque *Sectariorum* receptiſſimum eſt. Et nos quidem, qui toti quotidianíque ſumus, in *Eccleſiæ primævæ* librîs, ac Doctoribus, expendendîs, certô certiores ſumus: ab origine ſtatim, primóque, ſecundóq; Sæculô religionis

Ruina Sennacheribi.

nis Christianæ, sanctissimo cuiq; doctissimoque cordi fuisse; præter *Latriæ*, soli Deo debitam, reverentiam & adorationem, *Divinæ* quoque *genitricis*, ac Divorum, *implorationem.* Nec ista, tam explorata, Veritas, potest esse, *nisi sponte suâ cæcis*, unquam obscura: quippe, tot *testibus*, quot cœlum *constellationibus*, illustrata. Clamant nihilosecius hi *blasphemi*, si quando fluctuent, permissu Dei, remiges classis Orthodoxæ, supernaténtq; victrices prædonum piraticæ: clamant, inquam, cum aliquo Nabuchodonosore; *Nobis has urbes, hæc jura, templa, prædia, territoriáque, vel inviti, cedetis. nos vestri dominabimur: vos autem obnoxii nobis eritis. Et quis est* Divorum *in Cælo, quos vos nunc invocatis, qui vobis opituletur? Quæ* Marîa? *quis* Petrus? *quis è Quatuordecim* Auxiliator; qui *vos eripiat de manibus nostris?* Renovant iidem, & *Rábsacen* nobis, ac *Sennacheribum*, ex aliqua *jactantiæ* profanæ parte: déque sacrilegis suîs *Imaginum* ac *reliquiarum* exscidiîs, impiè gloriantes; *Numquid* (ajunt) *provinciarum regnorúmq; vestrorum Semidei, Patronique, vel tutati sunt addictos sibi populos? vel obstitère nostris, ac majorum nostrorum, conatibus; dum eos eradicaremus? Nos, apud Turbnas*, Francisci

Ruina Sennacheribi.

cisci Paulani, Martinique *Præsulis, à nobis exustorum, cineres, in Ligerim sparsimus. nos, apud Pictavos, Episcopum* Hilarium, *in Vigennam; nos apud Lugdunenses,* Irenæum, Justum, Bonaventuram, *in Rhodanum; nos apud Engolismenses, quidquid* Divorum *humatum fuerat; &, apud Cantuariam in Anglia,* Thomam, *urbis ejusdem Pontificem, exhumatos, flammis absumpsimus: absumptos, in flumina, ventósque, dissipavimus.* [ℭℭ] *Sic & alios alibi* Divos *exterminavimus. Et quis eorum omnium, aut singulorum, nostræ se potestatè subducere potuit, aut eruere?* Talia sunt, quæ contra nos, *Apocalypticæ Ranæ*, Superorum in contumeliam, *coaxant:* quibus, ex *quadrante* saltem, si nondum *ex asse*, Sennacheribi se, demonstrant, hæredes, ac successionem, esse. Quos quidem, productis in medium *exemplis* eorum quàm plurimis, quorum scelestos adversùm se conatus *Cælites* atrociter ulti sunt; retundere nullô negotiô, mihi promptum esset: nisi, *negotium* esse *supervacaneum*, existimarem, *canere velle surdis*; aut narrare monimenta temporum auribus, omni sanæ fidei clausis. [γγ] Sed, credere sanè difficiles, & contumaces, sint! *Veritati* tamen, obstinatione suâ, *nunquam oculos exurent.* Quòd autem vos, impro-

Ruina Sennacheribi.

improbitatis, in *Deum, Divósq;* districtæ, nondum, aut non passim, pœnas exsolvistis, ô *Cæli-Contemptores*: mirari, ridereque, desinite. Nam, erit aliquando; cùm amarùm ploretis. *Suspendium* habetis vindictæ; non, *veniam*. IMPÚNITAS diuturna, gravioris supplicii pignus ac minæ sunt: & *nondum* omnis *Assyriacæ cladis* consumpta *Nox* est. Adhuc immensa superest æternitatis *vespera*; tortoribus *Angelis*, torquendísque *Blasphemis*, reservata. RUINÆ Theatrum *Sennacheribus* hîc inchoavit, & *aperuit*: vos illic implebitis, & *claudetis*.

AVCTORES.

[A] *Jacobus Salianus, in Annum mundi* 3278. *edit. Coloniens. in capite Anni; & in Enchiridio suo Chronologico: ponit numerum annorum* Phulis, 43. *ut & anno præcedente,* 42. *ac sic deinceps, retrò gradiendo. In corpore verò Annalium, numero* 12. *tantùm* 42. *Alii autem tribuunt Phuli annos* 48. [b] *Isaiæ* 20. *vers.* 1. *& S. Hieronymus, in Commentar. ibid.* [c] 4. *regum, cap.*18.*v.*8. (†) *Hæc omnia, quæ per aliquammultos versus retulimus, super præparatione Ezechiæ, & urbis Jerosolymæ, adversùs instantem Assyriaci belli*

belli impetum sustinendum: licèt à Sacro Scriptore posteriùs narrentur; ab initio tamen statim fieri cœpisse, tum ratio prudentiáq; suadent, tum Salianus quoq; indicat: & immò apertè docet, in annum mundi 3322. *num. 12.* [d] *Indicat hoc S. Isaias, cap. 30. v. 6. & aliquid etiam, cap. 31. usque ad v. 4.* [e] *Deducitur satìs; ex ejusdem Isaiæ cap. 30. v. 1. ac cæterîs; usque ad 6. Et rursus, cap. 31. à v. 1. &c. Offensum autem fuisse Deum: patet, è v. 1. capitis 30. usque ad versum 4.* [f] *Dixit enim Jerosolymitis Deus, per Isaiam, cap. 30. v. 3.* Et erit vobis fortitudo Pharaonis, in confusionem: & fiducia umbræ Ægypti, in ignominiam. [g] *Quantumvis Flavius Josephus, & alii nonnulli, tradiderint; primò confestim impetu captas omnes esse Iudææ, ac Benjamini, civitates & oppida: parùm scilicet expendentes; à S. Scriptura usurpata hæc verba, 4. reg. cap. 18. v. 13.* (Annô quartodecimô regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib, rex Assyriorum, ad universas civitates Juda munitas: & cepit eas) *per* Anticipationem, *intelligenda fuisse: sic, ut illo loquendi cursu connecteretur simul, ac semel; quidquid, universô illo belli Assyriaci tempore, gestum esset, circa urbium, aut expugnationes, aut expugnandi conatus. Id autem, quod dico, confirmant*

verba libri 2. Paralipom. cap. 32. à versu 1. Veni Sennacherib, rex Assyriorum: &, ingressus Judam, obsedit Civitates munitas; VOLENS eas capere. *Non igitur unâ confestim* πολιορκήσεων *& expugnationum, tempestate procelláque, sed pedetentim,* eas, *quas cepit, cepit. non enim fortaßis* omnes *(ut patebit ex eo, quòd à Lachis primùm, ac deinde etiam, à Lobna urbe, receßisse, Jerosolymam versùs, & indè in Ægyptum, dicetur): u propterea, in modo illo loquendi,* Ad universas ascendit, & cepit eas, *hyperbole latere poßit.* [h] *Sic expreßè tradit Jacobus Salianus, in Annum mundi 3322. num. 12. in fine* [i] *Psalmô 36. v. 17.* [k] *Psal. 17. v. 35.* [l] *Hæc, & plura, de* Pelusio *etiam apud Stephanum priscum; & novißimè apud Carolum quoque Stephanum, in lexico Geographico, reperias.* [m] *Capit. 30. v. 15.* Et effundam *(inquit)* indignationem meam, super Pelusium, Robur Ægypti. *Hebræis,* Libua, & Sin, *dicitur ait Arias Montanus.* [n] *Lege Isaiæ caput 20. quod perbreve est: & in illud, si vacat, commentantem S. Hieronymum, ac cæteros.* [o] *De tribus his Regibus,* Anysi *scilicet,* Sabáco, & Sethóne, *Herodotus Halicarnaßéus, in Euterpe sua, hoc est, historiarum libro 2. longè post medium, hæc scribit. De Anysi quidem, & Sabáco (* quem

poste-

posteriorem, Joannes Cluverus, Epitomês Historiarum libro 5. à Prophetica Scriptura SOUM, *ait, appellari) sic.* Μετὰ δὲ τοῦτον (*videlicet,* τὸν Ἄσυχιν *Regem*) φασὶ βασιλεῦσαι ἄνδρα τυφλὸν, ἐξ Ἀνύσιος πόλεος, τῷ οὔνομα Ἄνυσιν εἶναι. ἐπὶ τούτου βασιλεύοντος, ἐλάσαι ἐς Αἴγυπτον, χειρὶ πολλῇ, Αἰθιόπας τε, καὶ Σαβακῶν, τῶν Αἰθιόπων βασιλέα. τὸν μὲν δὴ τυφλὸν τοῦτον οἴχεσθαι φεύγοντα, ἐς τὰ ἕλεα. τὸν δὲ Αἰθίοπα βασιλεύειν Αἰγύπτου, ἐπ' ἔτεα πεντήκοντα. *Inferiùs deinde, multos post versus, de spontanea* Sabaci *regis cessione, sic loquitur.* ὧν ἀπαλλάσσετο ἐκ τῆς Αἰγύπτου ὁ Σαβακῶς. *De reditu verò* Cæci Anysis, *in regnum suum Ægyptium, mox subdit.* ὡς δ' ἄρα οἴχεσθαι τὸν Αἰθίοπα ἐξ Αἰγύπτου, αὖθις τὸν τυφλὸν ἄρχειν, ἐκ τῶν ἑλέων ἀπικόμενον. *Quæ, ex ipso historiæ Græcæ fonte sciri, pretium est operæ, vel ideò: quia sunt, qui, Græcô scriptore vel penitùs non inspectô, vel nõ satìs expensô,* Sabáco *immediatè* Sethonem *substituunt. Quam rem secus habere se; liquere debet, ex allatis nunc Herodoti verbîs.* Denique, *de* Sethone *rege, aliquantò post hæc, quæ produxi, subdit.* Μετὰ δὲ τοῦτον (*intellige,* Ἄνυσιν τὸν τυφλὸν) βασιλεῦσαι τὸν ἱρέα (*pro* ἱερέα, *Jonum dialecto hærendo*) τοῦ Ἡφαίστου, τῷ οὔνομα εἶναι Σεθῶν. *&c.* [p] *Hoc enim vult Herodotus, cùm ait;*

 Setho-

Ruina Sennacheribi.

Sethonem, παραχρησάμενον τῶν μαχίμων, ὡς οὐδὲν δεησόμενον αὐτῶν, ἄλλα τε δὴ ἄτιμα ποιεῦντα ἐς αὐτοὺς, καὶ σφέας ἀπελέσθαι τὰς ἀρούρας; *incurrisse in subditorum, ac præcipuè,* militaris ordinis, *offensionem & odium. Vnde, factum esse; ut is ab eis destitueretur, tempore belli* Sennacheribæi. *mox enim subdit.* Μετὰ δὲ, ἐπ' Αἴγυπτον ἐλαύνειν στρατὸν μέγαν ΣΑΝΑΧΑΡΙΒΟΝ, βασιλέα Ἀραβίων τε, καὶ Ἀσσυρίων. οὔκων δὴ ἐθέλειν τοὺς μαχίμους τῶν Αἰγυπτίων βοηθέειν. *Quo ex Herodoti loco clarè vides;* Sennacheribum, *Assyriorum Regem, ne profanæ quidem Græcorum, & Jonum, historiæ fuisse ignotum: etsi unius litterulæ, α, pro ε, substitutione. Quem scribendi modum & Cluverus est amplexus: dum, libro 5. Epitomês, eum cum Idololatra Herodoto mavult* Sannacheribum, *quàm cum Orthodoxis, immò verò, cum suorum quoque plerisque,* Sennacheribum, *appellare. Nempe,* Semper Africa, & Athenæ, Sectæque, aliquid Novi, & exotici! [q] *Hoc expressè tradit idem auctor Halicarnasseus; cùm ait.* ἐπεσθαι δὲ τῶν οἱ (Σεθῶνι *videlicet, Ægyptio Regi*) τῶν μαχίμων μὲν οὐδένα ἀνδρῶν. καπήλους δὲ, καὶ χειρώνακτας, καὶ ἀγοραίους ἀνθρώπους. *Quod quidem ille narrat, accidisse prælio; quod commissurus erat, post Oraculum jam ei datum, à Vulcani Statua,* per

Ruina Sennacheribi.

per quietem nocturnam. Sed, non majores, nec fortiores, copias adhæsisse Sethoni, ne superioribus quidem adversùs Assyrium præliîs; satis è contextu præcedente claret. [r] *Sic namq; scribit, libro* 2. Τὸν δὲ ἱρέα (Σεθῶνα *videlicet, pariter &* βασιλέα) ἐς ἀπορίαν ἀπειλημμένον, ἐσελθόντα ἐς τὸ μέγαρον (*quæ vox, non tantummodo* Domum amplam, *Palatium, Cœnaculúmve; sed etiam* Templum, *locúmque Sacrum quemlibet, notat*) πρὸς τἄγαλμα (*id est,* τὸ ἄγαλμα, *Jonicâ linguâ*) ἀποδύρεσθαι, οἷα κινδυνεύει παθέειν. *Deinde* ἐπελθεῖν ὕπνον, καὶ οἱ δόξαι, ἐν τῇ ὄψει, ἐπιστάντα τὸν θεὸν, *&c.* [s] *Isaiæ 37. v. 8. & 4. regum, 19. v. 9.* Audivit (*Sennacherib*) de Tháraca, rege Æthiopum, dicentes; Egressus est, ut pugnet contra te. *Sennacheribum quoque, adversùs eundem Regem expedisse copias suas; testatur Quartus Regum liber, cap. 19. v. 9. suprà cit.* Et iret (*inquit*) contra eum (*videlicet, Aethiopiæ Regem*). *Quæ sanè omnia, consona sunt etiam minis propheticis Isaiæ, cap. 20. v. 3. & 4. & expositioni S. Hieronymi, in illud ipsum, quod attuli, caput.* (t) *Situm autem urbis interiorem, utique non optâsset explorare Rabsaces: si, (quod Rabbini comminiscuntur) hic idem Rabsaces, Isaiæ prophetæ filius, ac Jasúbi frater, fuisset: religionis (ut fingunt) Judaicæ desertor;*

Ruina Sennacheribi.

ſertor; patris ac patriæ proditor; & in caſtra Aſſyriorum perfidus transfuga. Quæ (ſicut & cæteræ, de eo, conjecturæ, quaſi ſcilicet Samarita Rabſaces fuerit, &c.) nugæ ſunt, ac fabulæ comicæ. Et ſanè, niſi quis, ad tuendum tantummodo placitum obfirmatus, pertinaciter contendere geſtiat; eum nomen ſuum vetus Hebraicum, poſt transfugium, immutâſſe in Aſſyriacum, aut Parthicum: è ſola nominis Rabſacis *analogica affinitate, ſatìs patet; eum* exterum, & *non*, gentilem *terræ Iudaicæ, vel urbis Ieroſolymitanæ Samariæve, fuiſſe: cùm* Rabſaces, *haud minùs, ac* Mazaces, Arbaces, Arſaces, *ac ſimilia plura, genus ac gentem Parthicam, Perſicámve, vel Medicam, redoleat.* (u) *Aliter aliquantò Salianus, hoc loco, in annum Mundi* 3322. *num.21. ubi ait*; In colle Gihon, qui eſt ab Oriente civitatis (*Ieroſolymæ*) unde aquæ deducebantur, in uſum fullonum. *Ego verò* Collem-Gihon; &, *tam* Inferiorem Fontem Gihon, *quàm* Superiorem, *apud Chriſtian. Adrichomium invenio, ad Occidentem potiùs Ieroſolymæ. Piſcinam verò Superiorem, &c. ad Meridianum cœli tractum. Certéque, multò propiùs fidem eſt; Legatos Aſſyrii Regis, de Lachi venientes, ceu Occidentali oppido, ad Occidentem primò urbis: poſtea verò, clausâ illius repertâ portâ, ad meri-*

meridiem potiùs, quàm Orientem, accessisse. (x) *De his legatis Salianum vide, anno, modò citatô, num.* 22.23.24. & 25. (y) *Quidam, &* Prætorio Præfectum *dixêre, apud eundem, num.* 22. & *Stephanum Menochium, in cap.* 18. *libri* 4. *regum, vers.* 18. (z) *Vide Christophorum Helvicum, in Theatro Historico; de Dynastiis Ægyptiorum, à temporibus Templi Salomonæi Conditi, usque ad Sethónem. Item Herodotum, libro* 2. *historiarum.*

(A a) *Vt enim Decade Ruinarum I. memini: non unus solus omnem sub se Ægyptum Rex, primìs illis temporibus, habebat: sed, [quod & apud Helvicum, in Tabulis, videas] diversas in Dynastias, ac* νόμους, *scindebantur.* (b b) *Hebræi namque* τετραγράμματον *Dei nomen,* JEHOVA, *non pronuntiant, idque reverentiæ caussâ: sed, illius loco, dicunt* ADONAI. *Id, quod Rabsaces, ceu Judaicæ linguæ peritiâ imbutus, non utique nesciebat.* (c c) *De* Columbis, *quarum Imagines, in signis seu vexillis suis militaribus, Assyrii gestabant; dixi, Decade I. in Ruina* Semiramidis, *ante finem.* (d d) *Hoc bellè, eruditèque simul, doctissimus, verèque cothurnatus scriptor,* Hugo Grotius, *in suo* Christo-Patiente, *observavit, Sermone, quem* Pilato *Præsidi tribuit; querelis, super inquietâ turbulentâque Judæorum indole genteque, plenô.* (e e) *Licèt enim*

enim Ezechiæ regis Oratores, ſeu Legati, ad populi potiùs conſternationem avertendam, Rabſaci inſtiterint; ne hic linguâ uteretur, quam & populus intelligeret: Rabſaci tamen cauſſam hanc aperire, prudentia diſſuadebat; &, è contrario, potiùs dictabat, ut Legatorum Regis Aſſyrii periculum ex populi temerario motu, ei proponerent. Ac ſanè, Menochius quoque, in caput 18. libri 4. Regum, v. 26. reipſa Oratores Ezechiæ id poſtremum formidâſſe putat: dum ait; Cupiebant, orationem Rabſacis à gregariis militibus non intelligi: ne offenderentur; &, iram continere non valentes, ſagittas in Rabſacen jacularentur. *Addit poſt hæc, & primam illam meam metûs eorum cauſſam: cùm inquit;* Aut certè, ne nimis terrerentur. [ff] *Salianus ait; Ad* manum *illam Aſſyriorum* validam *efficiendam, qua ſuccinctus Rabſaces venerat primâ vice ad mœnia Ieroſolymorum;* Equites Quingentos *ſufficere (in annum mundi* 3322. *num. 32.) Hac igitur & nos contenti ſimus Aſſyriorum, cum legatis, copiâ & comitatu; quippe, qui ſatis honorificus, & ad terroris præguſtum faciendum Ieroſolymitis ſufficiens, eſſet. Non fuiſſet autem ſufficiẽs, ad Ieroſolymam ex profeſſo oppugnandam, obſidendámve: ſicut tamen aliqui, re minùs expensâ, crediderunt, & ſcripſerunt.*

Inter

Inter eos, est etiam auctor Theatri Terræ sanctæ pag. descriptionis Ierosolymæ 239. colum. 2. edition. Coloniens. in fol. ann. 1628. [††] *Ista per calumniam, & exaggerationem mendaciloquā, effundit Rabsaces. Satis enim de annona providerat Ezechias urbi; in obsidionem, etiam satis diuturnam. Tametsi hæc ipsa annonæ tam sollicita & copiosa præparatio latére Rabsacen potuerit.* (gg) *Strabo, libro Geographicorum XI. longè post medium.* (hh) *Non enim destituitur omni* oleâ; *sub* Pylis *præsertim* Caspiis, *ut vocant:* [*quas geminas constituit ævi nostri scriptor Ioan. Albertus de Mandelslo, libro 1. Itin. Oriental. c. 5.*] *sed rarâ tamen, aridáque, &, ad speciem magis, quàm ad fructum, instructa est; ut l. cit. Strabo narrat.* (ii) *Pro hoc, & sequentibus aliquot versibus, eundem* Strabonem, *libro XI. & Maronem, libro 2. Georgicorum, post initium, consule.* (kk) *Hanc nobilissimam, medicos in succos, plantam, Strabo, libro XI. Geographicorum,* Silphion; *& Plinius libro naturalium 19. & 22. & C. Petronius Arbiter,* laserpitium, *appellant.* (ll) *Vide Q. Curtium, de amne* Medo, *lib. 5. cap. 4.* (mm) *Idem Curtius, l. 6. cap. 4. de Alexandri, in Hyrcaniam, ingressu, videri potest.* (nn) *Carol.* Stephan. *V. Hyrcania.* (oo) *Idem, ibidem.* (pp) *Vrbis Asiæ Minoris; de*

qua Euphorus, ac Metrophanes, apud Stephanum, de Vrbibus, ſcriptum reliquêre, de Botri *magnitudine, quam hac Suaſoriâ ſuâ Rabſaces delibat. Quibus tamen fortaſſe non immeritò Cornelius à Lapide, in caput 13. libri Numerorum ver. 24. reponit;* Putare ſe, Carrum illum, botri tanti vectorem ac bajulum, craſſiore mendaciô, quàm uvâ, onuſtum, jam pridem concidiſſe, & evanuiſſe. (qq) *Strabo, lib. XI. in deſcriptione Bactrorum, & Margianæ Regionis.* (rr) *Idem evenire in* uvis *Mauritaniæ, & Carmaniæ, refert Cornel. à Lapide, in citatum caput 13. Numerorum libri, v. 24. ex libro XI. & XV.* Strabo*nis: ſicut ipſe citat.* (ss) *Cauſſa, cur Aſſyrii, poſteáq; Babylonii quoque Reges, tam libenter Iudæos & Iſraëlitas, bello victos,* traducerent *è Chanaanitide, ſuas in terras; nominatim autem in* Mediam, *cæteráſq; vicinas; erat (ut inquit Menochius, in caput 18. libri 4. regum, verſu 32.)* ne novis illi rebus ſtuderent, aut jugum Servitutis excutere tentarent: ſi propriîs in regionibus, quantumvis victi, relinquerētur. *Quod iis, tam procùl à patria, támq; feroces inter gentes, factu difficilius erat: ideóq; minùs pertimeſcendum.* (tt) *Si bene trutinetur* Oratio *Rabſacis* biblica, *quæ ponitur libro 4. reg. cap. 18. à verſ.*

verſ. 29. apparebit: Eum, quaſi novo uſum eſſe ſermonis Exordio, & benevolentiæ captatione, ad populum in muris auſcultantem; ac partitum fuiſſe Suaſoriæ *ſuæ argumentum, in hæc duo rationum membra: ut ſcilicet* primò *eis, latenter ſaltem, ac per cuniculos, extorqueret nimium Palæſtinæ ſuæ amorem; oſtensâ neceſſitate famis ac ſitis, quam certè, in terris ac Provinciis Aſſyriorum, non eſſent experturi.* Secundò, *ut eis eximeret, ac convelleret, illam, quâ Deo ſuo nitebantur, ſpem atque fiduciam. Eodem igitur rerum, ac rationum, ordine, poſtea propoſitum ſuum exſequitur Rabſaces:* primáque *Orationis ſuæ* parte, *terram Iudaicam, præ terris Aſſyriacis, deprimit; comparatione bonorum Iudææ viliorum, ad bona Aſſyriæ ac Mediæ longè majora.* Secundâ *verò ſermonis ſui* Parte, *in Deum Hebræorum invehitur.* (uu) *Inſectatur, hoc loco, Rabſaces, ſententiam illam, quam, ex libro Exodi, cap. 33. v. 22. audiſſe quandoque, vel legiſſe (quippe linguam Hebraicam doctus) potuit;* Non videbit me homo; & vivet. (xx) *Sic enim appellatur virorum de Emath Deus, ſeu Idolum, libro 4. regum, cap. 17. v. 30. &c.* (yy) Sephárvaim *(ait Stephanus Menochius in caput 17. libri 4. regum, verſu 24.) videtur fuiſſe* Regio, ad mare *(haud dubiè Phœnicium,*

Ruina Sennacheribi.

nicium, ac Cyprium) ſita. Vox enim hæc, inter cæteras ſignificationes, denotat etiam, Numerum maris, vel Maris portum. *Vnde haud incongruè conjecturam facere licuerit*; Palæmonem, *ſeu* Portúnum, *&* duos Cáſtores, *nautarum Deos, illic in veneratione fuiſſe.* (zz) *Hi, quos poſui, variarum gentium DI, enumerantur, 4. reg. cap. 17. à v. 30. ad v. 32.* (***) *Harum Regionum, putà, Gozanæ, Haran, Reſeph, Eden, quarum DI deſtructi ſunt, nomina ſignatè ponit Rabſaces, lib. 4. reg. capit. 19. v. 12.*

(Aaa) *Ità poſtea, Neroniano ſæculo, locutus eſt C. Petronius, in Carminum, quæ illi tribuuntur, fragmentis.* [bbb] *Prolixa eſt Rabſacis utraq; tam hujus videlicet, quàm præcedentis capitis, Oratio. Sed fieri potuit, ut non tantùm æquè longa, ſed etiam aliquantò longior hîs ipſis noſtrîs, ea fuerit Suaſoria, Criminatrixq; eloquentia; quam ipſe voce vivâ protulit. Ait enim Sacer Scriptor, libro 2. Paralipom. cap. 32. v. 16. cùm Orationis Rabſacææ Summam retuliſſet*; Sed & alia MULTA locuti ſunt Servi ejus *(regis, putà, Aſſyriorum; eorúmq; anteſignanus* Rabſaces *inprimis)* contra Dominum, & contra Ezechiam, ſervum ejus. [ccc] *Eccleſiaſtici enim cap. 48. v. 20. de Rabſace dicitur*; Et extulit MANUM *ſuam,*

ſuam in Sion: & Superbus factus eſt, in potentia ſua. (ddd) *Etiam Saliano poſterius iſtud probabile videtur: in Annum Mundi* 3322. *num.* 39. (eee) *Probabilius eſt enim; ipſum ſuîs auſpiciîs in Templo, per Sacerdotum manus, ſacrificâſſe: quàm [quod Joſephus Flavius, libro 10. Antiquitatum cap. 1. dicit] id muneris & functionis Iſaiæ imperâſſe ſubeundum. Tametſi tamen interim, & per Iſaiam id fieri potuerit. De geſtu verò, quo uſus in Oratione ſua rex Ezechias ſit: habes ibidem apud Flavium Joſephum.* (fff) Utrumque *eorum ſimùl, & quidem, perquam ardenter*, orâſſe: *non modò S. Ioannes Chryſoſtomus, tractat. 1. de Oratione, & alibi; ſed etiam S. Scriptura, docet. 2. Paralipom. cap. 32. v. 20.* Oraverunt igitur, Ezechias Rex, & Iſaias filius Amos, prophetes, adversùs hanc blaſphemiam: ac vociferati ſunt, uſque in cœlum. (ggg) *Vnde verſus, in Fragmentis Petronianis iſte:*

Funera conciliant miſeros; orbíq; parentes,
Conjungunt gemitus: & facit hora pares.
Nos quoq; confusis feriemus ſidera verbîs:
Et Fama eſt, Junctas fortiùs ire preces.

(hhh) *Pſalmo 63. v. 4.* (iii) *Pſalmo 72. v. 9.* (kkk) *Hunc regem, Flavius Ioſephus libro 10. Antiquit. c. 1. & 2.* Tyrachum *nominat.* Tíracam, *Gene-*

Ruina Sennacheribi.

Genebrardus, libro 1. Chronographiæ Generalis, in annum 3469. Thirhacam, *apud Ioan. Cluverum lib.5. Epitom. Histor. invenio: qui addit; Megasthe-ni, apud Strabonem esse*, Tearcon. *Sacra verò Scriptura*, Tháracam, *libro 4. Regum, cap.19.v.9. & alibi, nominat.* (lll) *Gilbertus Genebrardus, loco & anno, modò citato*, §. Tiraca, *ait; Regem hunc Æthiopiæ, adversùs Sennacheribum, Ierosolymam oppugnantem (sicut rumor, falsus tamen, narrabat) movisse. additq;* Ità Reges Aethiopiæ, à temporibus Salomonis, peculiarem curam Terræ Sanctæ gessisse. (mmm) *Sunt, qui existiment; hujus* latorem *fuisse* Rabsacen. *Sed S.Scriptura hoc, ne innuit quidem: nedum clarè dicit. Immò & Cluverus, longè altiùs Rabsacen, quàm ad litterarii bajuli dignitatem, effert: cùm eum à Sennacheribo, in Ægyptum & Æthiopiam properante, dicit, ad exercitum Iudaicum (utique* Legati castrensis *titulo) relictum; silente tamen etiam hîc Scripturâ sacrâ. Sunt alii, quibus placeat; Etiam Primâ statim legatione, non* mandata *tantùm ad Ezechiam, sed etiam* Epistolam *à Sennacheribo, datam. At nec istud* Sacer Scriptor *dicit: quantumvis Iacobus Salianus, ab hac opinione non videatur abhorrere. (in Annum Mundi* 3322. *initio numeri* 51,) *Datam verò epistolam,*

lam, Secundo *illi* (*quisquis tandem is fuerit*) *nuntio fuisse*; *absolutæ res fidei, divinæq; auctoritatis est*. 4. *reg. c*. 19. *v*. 14. & *alibi*, 2. *Paralip. capit*. 32. *v*. 17. & *Isaiæ cap*. 37. *v*. 14. (nnn) *Hunc titulum* (*ut* &, Magni-Regis) *non modò sibi arrogârunt, sed ab aliis quoq; populis, non-invitîs, retulerunt*, Orientis *pleriq;* Reges *potentiores*; & *inprimis* Monarchæ. *Sic dicti, Reges* Persarum; *ut testatur Alexander ab Alexandro, libro* 1. *Genial. dier. c*. 28. *Et Saporem, Persidis regem, in Augustæa historia, Julius Capitolinus, Romanus scriptor, capite* 24. *refert*; *ad Constantium Imperatorem, hujus inscriptionis, misisse litteras*. Rex Regum, Sapor (*quidam, per ludibrium tantæ arrogantiæ, pro* Sapore *subjecit*, Stupor) particeps Siderum, & frater Solis, ac Lunæ, Constantio, fratri meo, S.P.D. *De rege* Parthorum, *qui Persicæ potentiæ aliquamdiu Successores fuêre, loquens Tranquillus, in Caligula, cap*. 5. *non abrogat ei tituli Persici magnificentiam. Cùm enim luctum, ex obitu Germanici, pæne toto terrarum orbe sparsum, describeret*: *subjecit*; Regulos quosdam (*barbaricarum gentium*) barbam posuisse, & uxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctûs. Regum etiam Regem (*Parthicum intelligit*) & exercitatione venandi, & convictu Megi-

Ruina Sennacheribi.

Megiſtánum, abſtinuiſſe: quod apud Parthos (*inquit*) juſtitii inſtar eſt. *Tigranem quoque Regem* Armeniorum, *Plutarchus, in Luculli vita*, Regum Regem *nominat*. Magnum *verò* Regem, *Aſſyrium* Sennacheribum *eſſe dici ſolitum; teſtantur verba Rabſacis, 4. reg. 18. v. 19.* Hæc dicit Rex-magnus, rex Aſſyriorum, &c. *Perſarum quoque*, Reges-Magnos, *dici conſueſſe*, & *Sacra Scriptura teſtatur, Eſtheris cap. 16. v. 1. referens, ac recitans, Epiſtolam encyclicam Aſſueri, ſeu Artaxerxis, pro Iudæis.* Rex Magnus, Artaxerxes, ab India, uſque Æthiopiam, centum viginti ſeptē Provinciarum ducibus ac Principibus, &c. ſalutem dicit. *Docet quoque ſcomma regis Spartanorum Ageſilai: qui, cùm, Perſarum regem, ab Aſiaticis vulgò vocari* Magnum, *audiret, ſe verò, ſimpliciter* Regem; *reſpondit.* τί δ᾽ ἐκεῖνος ἐμοῦ μείζων, εἰ μὴ δικαιότερος, καὶ σωφρονέστερος; *ut Plutarchus in Laconicis Illuſtrium dictis recenſet. Quis autem dubitet; quin eoſdem hos titulos*, Sennacheribus *quoque ſibi adſumpſerit? ut, qui regum eſſet omnium Superbiſſimus, idem &* Rex, *non modò* Magnus, *ſed planè* Regum Rex, *haberi vellet?* (ooo) *Scripſit enim Ezechiæ*; Non te SEDUCAT Dominus (*Adonai*), in quo habes fiduciam. &c. *libro 4. reg.*

...ui. Ruina Sennacheribi.

reg. c. 19. ver. 10. quibus ille verbis, per ſummam blaſphemiam, Deum, *qui ipſa* Veritas Prima *&* originalis *eſt, etiam impoſturæ ac deceptionis, in Promiſſis ſuis, accuſat. Id, quod ne Rabſaces quidem, ſaltem tam expreſſè, fecerat.* (ppp) *Ità Vatablus exponit illa verba capitis 19. libri 4. reg. ver. 25.* Erúntque in ruinam collium compugnātium civitates munitæ. &c (qqq) *Hoc loco tangitur* Eruditio, *de capiendîs* Cete, *ſeu ingentibus balænis: quam S. Baſilius Magnus, teſtis oculatus, Homiliâ X. in* ἑξαήμερον, *ſeu Sex Dierum Creationis-mundi Opus, exſequitur, his, quæ pono, verbîs, è translatione Godefridi Tilemanni,* Carthuſiani *(Græcus enim, cùm hæc ſcriberem, Baſilius, ad manum non erat; qui ſinè ullâ dubitatione Latinô dulcior incederet)* Equidem *(inquit ille)* vidi admirabilem hominum ſolertiam, & ingeniosè excogitatum artificium. Concinnant iſti hamos quoſdam; quibus quidem, captandis Cetis, atque ineſcandis, illices eſcas, admenſas tamen atque moderatas, pro magnitudine illorum, qui eas ſunt devoraturi, Cetorum, infigunt preſsiùs, hamis. Sub hæc, funium illorum partibus, à quibus hami dependent, ſecundùm partem alteram funium iſtorum extremam, utres innectunt; copioſo

Ff & col-

Ruina Sennacheribi.

& collectitio flatu distentos: eósque supernè, secundùm superficiem aquæ, nataturos, demittunt in mare. Mox igitur, ut Ceti illi immanes, pellecti illecebrâ eduliorum, adnatârint, & in gulam transglutierint hamos; eádem operâ, utres secum abripiunt, in maris profundum. Utrium porrò natura ea est; sublimè semper ut petant. Quo fit, rursus ut ad aquæ superficiem retrahantur: atque adeò illos jam diceres cibô suô ebrios. sic sursum ac deorsum, velut maniæ morbô pérciti, subsiliunt, & exagitantur: ac talî subinde renovatâ saltitatione, in profundiora demum, quasi quiddam perscrutaturi, se recipiunt. Mare aliud ex alio isthæc bellua immanis remetítur, ac permutat: séque ut explicet laqueô, magnâ eluctatur contentione; sed inefficacî. Atque ità cetus hic agrestis, nullo prope negotiô, per hamum, tenaciùs inhærescentem, captivus abducitur; labore, nec mediocrî, edomitus, & dirâ fame expugnatus, unà cum utribus, ad littoris oram evectus, pertrahitur: præda factus Venatori, Exiguo ingens, immanis Imbelli. Quâ id gratiâ? Homo enim, per opulentam ac prædivitem vim rationis, quasi refugas servos, eos [pisces] ad officium

officium obedientiámque revocat. Factum hinc, ut Xiphiæ, Zygénæ, halænæ, priónes, boves (*marini*) reliqua denique omnia, vel nuda nomina Cetorum, horroris plena; sub hominis manus atque imperium missa, & substrata, pareant. *Hæc hucusque Divus Basilius.* (rrr) *Sapientiæ 5.v.15.* Spes impii, tanquam lanugo est; quæ à vento tollitur. *Rediturus autem* Sennacherib *erat, ex terris Meridionalibus Ægypti, & Aethiopiæ, in Septentrionem, in quo, respectivè, Jerosolyma : & indè in Orientem, in quo, comparatione Ierosolymæ, Ninive erat.* (sss) *Ecclesiastæ 5. à v. 1.* (ttt) *Quæ S. Isaias, ad Ezechiam mandavit, referenda; ea pléraque, tanquam ad ipsúmmet* Sennacheribum *præsentem, diriguntur, à versu 21. capitis 19. libri 4. Regum, usque ad vers. 29. intellectui plebejo captu, penetratúq; difficilia: sed à nobis, è sensu. (Hieronymi, B. Theodoreti, Vátabli,) aliani, Menochii, aliorúmq; plurium, accuratâ, non modò Paraphrasi, sed etiam Declaratione, diducta; tantùm non per Commentarii modum sunt. Id eô consiliô fecimus; ut legentibus Isaiæ 37. caput, & caput 19. libri 4. regum, minùs deinceps obscurus narrationis, & exagitationis illius, contextus videretur.* (uuu) *Vtì sanè,* verè-Sabbaticum *fuisse annum*

Ruina Sennacheribi.

Ezechiæ Decimum Quintum, sed falsò, ante Iacobum Cappellum, Iosephus Scaliger censuit. quem proinde, in hoc quoque, sub strigilem & censuram suam vocat Iacobus Salianus, in Annum mundi 3322. *num.* 60. *& alii. Sed herculè, si Scaligerum ideò notant, quia* Sabbaticum *fecit* unum, *ubi* Simplex *annus erat, ac negotiosus:* Michaëli Paludano, *Gandavensi, Theologo & Professori Lovaniensi, quid facient? qui, in Sacra sua & Theologica Chronologia Tract.* 3. *cap.* 7. *num.* 8. *suggerit, & postea tractatu* 4. *capite* 17. *num.* 18. *& num.* 20. *verbis apertissimis docet;* Duos tunc annos Sabbaticos continuo ordine, consequenter, & sinè interruptione, incidisse: quibus feriæ fuerint agris, lege Divinâ, indictæ; ità, ut non nisi anno tertio (*hoc est* 16. *Ezechiæ*) possent agriculturam exercere. *Qui propterea, verba illa Isaiæ, ad regem Ezechiam,* Comede hôc annô, quæ repereris; In secundo autem anno, quæ spontè nascuntur, &c. *longè alium in sensum, ac Salianus, & reliqui expositores, trahit. Sed hic auctor, etiam in aliis haud paucis Historiæ Sennacheribææ difficultatibus,* ἐξωτικώτερος, *contra vulgarem Explanatorum & Chronologorum torrentem, & in his etiam adversùs suimet Ordinis clarissimum auctorem, incedit. Quæ, verbi caussâ,*

caußâ, singillatim afferrem: si litium, & non histo-riæ, caußâ, Ruinas exsequendas suscepissem. Evolvant, quibus vacat, Tractatûs illius 4. caput 17. & 18. Quorum priore, n. 15. etiam eò provolvitur, ut negare audeat; Sargonem illum, regem Assyriorum, cujus Isaias cap. 20. meminit, fuisse Sennacheribum: contra S. Hieronymi, & plerorumq; aliorum sententiam, b[illegible]usq; receptißimã. (xxx) De Pomis etiam expresse loquitur Isaias, cap. 37. v. 30. De Messibus verò, sponte natis, aliisve fructibus, generatim, liber 4. regum, cap. 19. v. 29. (yyy) Litteralem hanc explicationem versûs 30. capitis 19. libri 4. reg. & capitis 37. Isaiæ, v. 31. habet Salianus, in Annum mundi, 3322. num. 59. (zzz) Ad hunc sensum mysticum alludit explicatio Menochii, in caput 19. libri 4. reg. v. 31. in verba; Et quod salvetur. &c.

[Aaaa] Isaiæ capite 30. per totum. In quod caput, si lubet ac vacat, S. Hieronymi consule lucidam commentationem. (bbbb) Proverb. 16. v. 4. (cccc) Vide, hæc exactè disquirẽtem, Salianum, in annum Ezechiæ 14. Cui consentiunt Stephanus Menochius, Gaspar Sanctius, Abulensis, Torniellus, & alii complures. Michaël quoq; Paludanus, Sacræ ac Theologicæ Chronologiæ, tractatu 4. cap. 18. morbum Ezechiæ agnoscit præcessisse, non secu-

tum esse, deletos ab Angelo Assyrios. Sed vult tamen, eum accidisse, non anno Ezechiæ 14. sed, sub initium anni Decimi quinti num.3. Contrà, Gulielmus Stratemannus, *Osnabrugo-VVestphalus, in Theatro suo Historico, Exitu IV. qui Regum fuit, in ann. mundi 3222. pag. 147. editionis Jenensis ann. 1656. morbum Ezechiæ refert in tempus & annum liberationis ultimæ ab Assyriorum terrore: ordinéq; narrandi, historiæ deleti exercitûs historiam Ezechiæ, lethaliter decumbentis, subnectit. Christianus quoque Adrichomius, in Chronico Majore, in annum mundi 3237. idem facit: & anno 14. Ezechiæ, post cladem demum Assyriorum, memorat ægritudinem & curationem regis.* Emmanuel *autem* Thesaurus, *in sua* mundi Virilitate, *disertè dicit*; Annô, Victoriam sublabente dirùm ægrotâsse Ezechiam. *Cæteros, qui in eadem sunt opinione, de* morbo, *regi, post victoriam primùm, inflicto; referre, nec breve fuerit, neq; pretii. Nos à sententia, quæ veri majorem similitudinem habere videbatur, standum nobis, existimavimus. Profectò Saliani, robustum est, &, haud scio an non Achillæum etiam, argumentum, pro ægritudine Regis, ad XIV. illius regni annum referendâ: Quòd alioquin, si seriùs eam contigisse assereremus; promissi vitæ* Quindecim *illi* anni

quo

quos Ezechiam supervicturum esse, S. Isaias prædixit, malignè, diminutè, truncatéque, contra morem Privilegiorum, ac beneficiorum Regalium & Principalium, ei essent admetiendi. Si namq; post tertium demum annum ægrotavit Ezechias, & quidem, post Sennacheribi reditum in urbem Niniven: usque ad Ezechiæ mortem, ab illo tempore, non reperientur anni 15. sed tantummodo 13. integri. Nisi velis, unicò decimo quarto Ezechiæ anno universam Sennacheribi historiam, ab initio expeditionis ejus, usque ad ultimum rerum ejus exitum, evenisse. id quod nonnulli faciunt: in quibus esse videntur, Stratemannus quoque, Adrichomius, & Christophorus Helvicus, in annum 3230. ubi in unicum Ezechiæ annum, quartum *nempe* decimum, *universa, & adeò* Babylonicam *quoq;* longationem, *coacervat. Vbi igitur erit & longinqua Sennacheribi, & multi temporis, illa expeditio* Ægyptiaca, & Æthiopica? *Quam quidem eludit* Paludanus, *citato tractatu 4. cap. 17. num. 16. negans, Prophetiam illam Isaiæ 20. capite, de captivitate Ægypti & Æthiopiæ, ad illud expeditionis Sennacheribicæ tempus spectare: sed ad alia duo, nempe Oseæ, regis Samaritici, & Sedeciæ, regis Iudææ ultimi. Verba tamen Isaiæ in eum sensum, & tempus, quo à Saliano cæterisq; explicantur, clara*

ſatìs ſunt. Et, inter heterodoxos etiam, Sethus Calviſius, in annum mundi 3230. vaſtationem illam duorum Auſtralium regnorum agnoſcit: dum tradit; à Sennacheribo regem Ægypti [*quippe ni autem, & Tháracam* Æthiopem, *ex profeſſo ei hoſtem?*] multiplicibus eſſe cladibus affectum [*quæ profectò tam exiguum in tempus compingi non poterant:*] urbem item Nò everſam: & multa millia captivorum abducta, vi Prophetiæ Iſaiæ, cap. 20. & Nahum. 3. [dddd] *Pſalmo 144. v. 13.* (†) *Id ſignatè tradit Salianus, in annum Mundi* 3323. *num. 10.* [eeee] *De Statua* Sethónis, *Ægyptiorum Regis, libro 2.* Herodotus, *ſic ait, poſtquam retulit*; mures corroſiſſe *ſcuta, ſeu potiùs* τῶν ἀσπίδων τὰ ὄχανα, ſcutorum habenas, & pharetras: indéque Aſſyrios, armîs nudatos ſuis, fugiſſe, multis eorũ cæſis. καὶ νῦν οὗτος ὁ βασιλεὺς [Σεθῶνα *intellige, cultorem, & clientem* Vulcani, *ejuſdémque* Sacerdotio *fungentem*] ἕστηκε ἐν τῷ ἱρῷ τοῦ Ἡφαίστου λίθινος, ἔχων μὲν τῆς χειρὸς μῦν, λέγων, διὰ γραμμάτων, τάδε. ἘΣ ἘΜΕ΄ ΤΙΣ ὉΡΕΏΝ, ἘΥΣΕΒΗ`Σ ἜΣΤΩ. *Quibus è verbîs, cùm nulli, priora cum ſequentibus connectenti, ſuboriri ulla poſſit dubitatio; quin de* Sethóne *rege ſermo ſit* [*utpote,* Vulcani *in templo ſemper ſacrificare ſolitô; & precibus.*

bus suis ab eodem mures auxiliares, *in hostium suorum perniciem, assecuto: proptereáque, beneficii tanti monimentum, statuam sui, cum mure in manu, grati animi caussâ ponente; & ad similem* in Deos Pietatem, *exemplo* aspectúq; *sui, cæteros mortales omnes invitante:*] *quid, oro, venit in mentem, docto cæteroquin superiorum temporum Chronologo, Aquensium antistiti: ut Chronographiæ suæ libro primo, in annum mundi 3469. hæc scriberet?* Horum (*inquit*) meminit Herodotus: & nomen Σαναχάριβος retinet, addens; Statuam ejus in templo Ægyptiaco positam, cum hac inscriptione. εἰς ἐμέ τις ὁρέων (*communi enim linguâ, non Jonicâ, ut Herodotus, dialectô, testimonium hoc producit*) εὐσεβὴς ἔστω. In me aliquis intuens, Pius esto? *Sed perplexitatem videlicet offudit illi, vox,* οὗτος, *quæ tam de* Sennacheribo βασιλεῖ, *quàm de* Sethóne, *videretur capi posse: nisi contextus narrationis universus simul expenderetur. In eandem autem foveam illapsus est,* & Cappellus *postea. quod ei, ceu* Græcè [*ut reor*] *docto, obrepsisse non oportuerat. Obrepsit autem ei, in* Historia *illius*, Sacrâ & Exoticâ, *in annum mundi 3282. quando sic scripsit;* Ægyptum tamen à Sennacheribo tentatam, docet EIUS [*Sennacheribi, putà*] statua:

Ruina Sennacheribi.

quam; vidiſſe ſe, teſtatur Herodotus [*qui Herodotus tamen plus non dicit, quàm,* καὶ νῦν οὗτος ὁ βασιλεὺς ἕστηκε ἐν τῷ ἱρῷ; *quod fieri potuit, etiam Herodoti* oculîs *nunquam, ſed tantùm aliorum teſtimoniîs oculatis, auritisve, adhibitîs.*] *Pergit Cappellus*; cum hac inſcriptione, ἐς ἐμέ τις ὁρέων, εὐσεβὴς ἔστω. *Tametſi hæc ipſa Herodoti ſententia, apud eum fœdè deformata, tam accentuum, quàm ſpirituum, corruptelâ, ſic ſit poſita*; librariorum *utique vitiô, non,* Auctoris. ἐς ἐμὲ τὶς ὅρεων. &c. [*Editionis Sedanenſis. apud Ioannem Iannon, anno 1613. pag. 197.*] [ffff] *De hoc, ex Iſaiæ capite 20. nemo prudentior facilè dubitârit: ac disertè Salianus docet, in annum mundi 3323. num. 6. & clariùs adhuc, num. 9.* [††] Vernô *tempore accidiſſe, repetitam hanc Aſſyriorum, adversùs Jeroſolymitas, expeditionem; docet Salianus in annum 3322. num. 60. in fine numeri illius, cùm ait*; Ex dictis porrò intelligitur, Bellum Aſſyriorum, ad ſequentem quoque annum [*qui fuit Ezechiæ 15.*] & ad initia tertii, pertinere [*qui fuit Ezechiæ 16.*] *Ac, de conſequenti, circa* Martii initia, *ſaltem anni 16. Ezechiæ, Aſſyrios relinquere cœpiſſe hiberna ſua: de quibus idem auctor, in annum mundi 3323. numero X. meminit.* Primum *verò Sennacheribi* adventum, *ex Aſſyria in*

ria in Judæam, Jacobus Cappellus, calculatione suâ, affirmat; incidisse in, vel sub, Autumnum: à quo, initium, *ait*, ducere posse quartum decimum Ezechiæ annum. *Quod quomodo concordet cum eo, quod paullò suprà dicit*, Circa Septembris tertium diem, potuisse Sennacheribum in Ægyptios movere bellum: *tam acutus (fateor) non sum, ut dispiciam. nisi fortè rex Assyrius, qui urbes Judææ universas statim cingere cœpit, & oppugnare;* biduô *tantummodo moratus in Judæa sit,* à primo *videlicet Septembris, ad 3. ejusdem: ac statim deinde, in Ægyptios & Aethiopas, ipse præsens, movere sit orsus. Vide, si placet, eum, in ann. 3282. ubi, expeditionem regis Assyrii, primùm in Ægyptios, deinde in Judæos, inchoatam annô Ezechiæ 13. sibi videri, affirmat.* (†††) *Lege caput X. Isaiæ, à vers. 29. usque ad vers. 33.* (gggg) *à versu 28. usque ad vers. 33.* (hhhh) *Nam, ut dictum est alibi, Decade I. gestabant in signis suis militaribus*, Columbæ *effigiem: propter* Semiramida, *suæ gentis olim Imperatricem, ac Reginam.* (iiii) *Ingentem istam, certò* capiendæ Jerosolymæ, *confidentiam, attingit etiam Isaias, capite 10. v. 32. velut etiam S. Hieronymus, in caput illud, observavit.* (kkkk) *Vide Adrichomium, in descriptione Jeroso-*

Ruina Sennacheribi.

rosolymæ, num. 220. [IIII] *Magni nominis auctor, seu scriptor, ætatis hujus, in annum mundi 3322. num. 61. tanquam pro aris, ac focis, contendit, Isaiæ vaticinium, ejúsque verba, premens;* Jerosolymam à Sennacheribo nequaquam fuisse obsessam. *Quod tamen Adrichomius numero citato 220. in descriptione Vrbis sanctæ, clarè sentit, cum aliis pluribus: inter quos & Stratemannus est, pag. 147. editionis Ienensis. Non interpono me. Illud solùm dico.* Castra Assyriorum, *ad Ierosolymam fuisse* collocata, *à Sennacheribo; negari nullo modo posse (& quantulùm hoc abest ab* Obsidione *saltem* Inchoatâ?) *cùm sanè 2. Machabæor. cap. 15. v. 22. sic precetur Iudas Machabæus, ante conflictum instantis prælii;* Tu, Domine, qui misisti Angelum tuum, sub Ezechia, rege Juda, & interfecisti de Castris Sennacherib Centum octoginta quinque millia. &c. *En,* Castra *Sennacheribi!* Ubi autem, nisi *ad* Jerosolymam? *cujus ad ambitum, & plagam Australem, etiam* locum *signant, & exprimunt, cum Adrichomio, sui auctores. (num. 220. in descriptione Ierusalem). Quarto quoq; Regum libro, capite 19. v. 35.* Venit Angelus Domini: & percussit in CASTRIS Assyriorum centum octoginta quinque millia. *En, iterum Assyriorum*

Ruina Sennacheribi.

rum Castra? *Clara sunt hæc,* Obsidionis Inchoatæ *simulacra: nisi quis contentiosius, cum* exotica *Paludani, planéq; novâ,* conjecturâ *sentire malit: qui tractatu 4. cap. 17. num. 12. usque ad fastidium Opinionis* singularis; *negat primò,* Consequens esse, si Sennacheribus contra Tháracam Aethiopiæ regem, profectus sit *(utì sanè, profectum esse, è S. Scriptura constat) eum idcirco contra eum etiam* pugnâsse; *multóq; minùs, Aethiopas vicisse, & captivos effecisse. Secundò, subjungit;* Fortasse Exercitum ipsius, ab Angelo, in VIA (*scilicet in Ægyptum & Aethiopiam ferente*) fuisse cæsum. *Quod utrumq; tamen* Paludani *Assertum, ab auctorum contrario agmine passim repellitur.* [mmmm] *Utrumque,* Regem *videlicet, ac* Prophetam, *obsecrâsse ferventissimè; partim suprà jam annotatum est, ex verbis S. Scripturæ, 2. Paralipom, capite 32. v. 20. ubi dicuntur,* Orâsse, & vociferati esse, usque in Cœlum: *partim, id de* Rege *tradit Iosephus, libro 10. antiquitatum, capite 1. De* Propheta *verò, S. Ioannes Chrysostomus, libro 1. de Oratione: ubi, inter cætera, ait;* Simùl enim, atque Isaias manus in cœlum sustulit; SAGITTIS, de cœlo missîs, Deus Sennacheribi exercitum confecit. *Quæ utiq; ad istud ipsum maximè tempus referri*

Ruina Sennacheribi.

referri debent. (nnnn) *Habentur illa verba, Sapientiæ 18. v. 14.* (oooo) *In* Introitu *Sacrificii Missæ, Dominicæ Infra Octavam Nativitatis Domini: & in* Introitu *Vigiliæ Epiphaniæ.* (pppp) *Vir, ætatis nostræ, pereruditus (qui Deo vivat!) verba illa Scripturæ, 4. reg. 19. v. 35.* Et factum est, in Nocte illa; venit Angelus Domini: & percussit in Castris Assyriorum 185000. &c. *non putat accipienda strictè, de* Certa *aliqua* Nocte: *sed generatim, & antonomasticè, de* Celebri illa famosáque Nocte; *quæcunque tandem ea fuerit, quâ Assyrios Angelus percussit. Ego verò (pace viri doctissimi, salvóque sententiæ melioris vigore) non possum, multîs ultro citróque ponderatis, induci; ut Noctem aliam, quàm* Certam, *& à Scriptura satìs expressam, huic occisioni tribuã:* Illam, *inquam,* ipsam; *ante quam, vespere, contracto jam universo suo, ad expugnationem necessario, exercitu, Sennacheribus, in ipsis Ierosolymorum oculis castra collocavit. Quis enim, oro, sibi persuaserit;* DIES *aliquammultos, &* NOCTES *totidem, circa muros, ad Ierosolymæ pomœria sedentem, Regem tantum, tanti ductorem exercitûs, nec munitiones interea, vel valla, vel apparatum Obsidionis, aut Oppugnationis, ullum instruxisse? quin, ne* Sagittam *quidem,* & lapidem, *emisisse; neque*

clypeum

clypeum *contra Ierosolymæ propugnatores, manu militum suorum, opposuisse? quæ tamen omnia, S. Isaias Ierosolymitis prædixerat, futurum, ut non fierent. Cùm certum itaque sit, ex Isaiæ vaticinio; nec Obsidione* plenâ *circumsessam, nec Oppugnatam fuisse, Ierosolymorum urbem: haud minùs etiam certum esse, necesse est;* PRIMÆ *statim Noctis tempore, Sennacheribi deletum fuisse exercitum: nec adeò plures, ad eam tragœdiam exspectatas fuisse, seu* NOCTES, *seu* DIES; *Assyriis circa muros ac fines urbis, torpentium interim more sedentibus. Nam &* mortalis *Mars, nedum* Cœlestis, *suas odit, fugitque, moras. Placet itaque multùm, Adrichomii sententia; quæ, Chronico Majore, in annum 3237.* Primâ jam Nocte Obsidionis Jerusalem, Angelum percussisse Assyrios, *affirmat. Id si factum* Illâ *proximâ, post adventum Sennacheribi,* nocte *non sit: haud utique video, quo pacto Vir Insignis ille, quem designavi, tueri sententiam possit suam; quâ negat ac pernegat, ullam* Obsidionis umbram, nedum Oppugnationis, *Assyriacæ, expertam esse Ierosolymam.* [qqqq] *Quidam Recentiorum, in Annum 3324. num. 6. existimat; Percussorem hunc* Angelum, *etiam credi posse,* Fuisse Malum. *Sed profectò, S. Scripturæ verbis, ac sensui, minùs id congruere videtur: mini-*

minimè verò verbis Iudæ Machabæi , sanctißimi bellorum Ducis: qui 2. Machabæorum libro, cap. 15. v. 22. ait; Domine, qui misisti Angelum TUUM, in Castris Sennacherib. &c. *Vbi* Angeli Mali, *ne nidor quidem ullus: Sed, qualem, aut quales, diversîs temporibus, Angelos Machabæus hic expertus est; talium suis exemplar, è Castris Sennacheribi, proposuit. Expertus est autem*, semper Bonos, *ac* Cœlestes; *eum vel præcedentes, vel medium accipientes: aut aliter ei propitios, ac faventes. Vt taceam hoc loco, Communem hucusque* Ecclesiæ, *ne dicam &* Picturarum *omnis Antiquitatis religiosæ, sensum: quæ, super Sennacheribi Castra, nunquam* diabolum *cum gladio Phlegethontio, sed Angelum Archangelúmve* Cœlestem, *fecêre volitantem. Ratio verò illius Eruditi viri*, Quòd Bonorum Angelorum sit, Bene facere; Malorum autem, Nocere: *minùs, in universum, videtur firma. Quis enim Angelorum nunc* melior *Michaële? Qui tamen* malè *fecit Lucifero, sociisque illius: utì Decade Primâ dictum ac demonstratum est; in eorum Ruinâ descriptâ. Vt taceam Raphaëlem*, in deserto Superioris Ægypti religantem Dæmonium. *(Tobiæ 8. v. 3.) Angelum item, septuaginta millium, Davidi subditorum, interfectorem: & id genus exempla non*

pauca.

Ruina Sennacheribi.

pauca. (rrrr) *Hoc etiam inferiùs adstruetur. Hîc autem satìs est,id* tantummodo affirmare. *Quis enim dixit unquam, aut, si sapit, dicat; Regem postea* SOLUM, *& penitùs* INCOMITATUM,*redisse in Assyriam?* (ssss) *Isaiæ namque 31. capite, versu 8. ponuntur isthæc verba.* Et cadet Assur [*hoc est*, Sennacheribus, *Assyriorum monarcha*] in Gladio, non viri: & gladius non hominis vorabit eum; & fugiet, non à facie Gladii. *Hujus sententiæ postrema verba, explicant membrorum duorum, proximè præcedentium, mentem ac sensum: innuúntque satìs; haud intelligendum illic Gladium* Materialem, *sed* metaphoricùm. [tttt] *Apud Cornel. in caput Isaiæ 37. v. 36. Iosephus, Cajetanus, &c. Qui tamen, non sinè* intestino igne, *pestem eam accidisse, censent.* [uuuu] *Vide Salianum in annum Mundi 3324. n. 8.* (xxxx) *libro 1. de Oratione. Porrò, de S. Joannis Chrysostomi Tabulà illà, in qua depictus erat Angelus, Assyriorum castra percutiens; vide Christianum Adrichomium, in sua Ierosolyma, n. 220. ubi pro testimonio laudat Concil. Nicænum Secundum, de Cultu Sacrarum Imaginum.* (yyyy) *Hæc sententia, Alphonsi Tostati est, apud Salianum, in Ann. Mun.* 3324. *num. XI.* (zzzz) *Auctoris scilicet Sermonum, ad Fratres in Eremo, serm. 25.*

Quam Adrichomius sequitur, num. 220. in sua Ierosolyma: citans scriptum illud sub nomine S. Augustini. Quin & S. Hieronymus, in cap. 10. Isaiæ, scribit; Sicut Hebræi tradunt, Illæsîs vestibus, Assyriorum corpora Occultô cremabãtur Igne. *Nec displicet Nicolao nostro Caussino, in* Aula Sancta: *ubi, capite quodam, Nobilium arrogantium Vanitatem Cadaveribus illis Assyriorum, ab Angelo deletorum, assimilat, quæ* foris *quidem speciem præ se ferrent humanam*; intus *autem, reipsa* cinis *erant.*

[a] *Cujusmodi est*, I. *quòd Propheta Isaias, non appellet mortem illam Assyriorum*, Combustionem; *sed*, Quasi-Combustionem. II. *Quòd Ardor* occultus, *non sit ab* Igne: *qui* Ignis (*inquit ille auctor*) externus *est*. III. *Quòd Rex manè viderit Omnia corpora* Occisorum. quod (*subdit auctor hic*) de Cineribus durissimè explicari potest. *Ego verò*, Mitissimè *potiùs*, mollissiméque, *cum multis aliis, explicari sic posse, crediderim: cùm utique*, & *ab* Intrinseco Igne *occidi corpora possint, ac soleant: ut patet, è* febrili, *non dicam*, flammâ (*nec enim illi me quæstioni miscuerim, quâ disquiritur*, Actûne, & formaliter, *an potiùs* virtute potentiáque, *sint in* Mixtis Elementa ?) *sed* calore *certè perquam vehe-*

vehementi. magìs autem id manifestum est, ex Ignitâ materiâ, *ut, calce, sulphure, liquatô metallô, cum* flammis *simùl (ut sæpe factum est) gutturi dormientis pariter, & hiantis, infusâ: quemadmodum memoriâ nostrâ latro quidam notissimus infudit sopito calcis-coctori, in sylva, locôque, opportuno sibi, sed ore patulo, quiescēti. Hæc autem, quam in* corpore Ruinæ *cæteris prætuli, sententia; tantô magìs arridet, quantô longiùs evitat, & effugit, difficultates quasdam: quas contrariæ haud perinde effugiunt. Et verò Argumenta illa tria Scriptoris Gallicani, contrariâ opinione incedentis, solvi nullâ magnâ difficultate possunt: quin, & parte quoq; aliquâ, retorqueri.* (β) Megistánes, *Purpuratorum erant Primores, apud Reges Orientales: ut, apud Armenicos, Parthicos, Assyrios.* (γ) *Id Gilbertus Genebrardus, in Chronographia sua, tradit, libro 1. in annum mundi 3440. ex Rabbino Salomone, in caput 3. Danielis. Qui tamen perperam ait;* Ex Decem illis, Sennacheribi fugam comitantibus, etiam Nabuchodonosorem fuisse illum, qui posthæc Babylone regnavit. *Hic enim, belligerante Sennacheribo, nec natus quidem adhuc erat: nasciturus autem,* plusquam Centum *denique post* annos. *Potuit igitur* alius, *ei* cognominis, *regem tunc*

Assyrium fuisse comitatus; non autem, is ipse, qui deinde imperavit: ut etiam in Scriptura plures uno reperiuntur Azariæ, Ezechiæ, Sedeciæ, Achabi, Eliachimi; sed non & plures horum nominum Reges. *(δ) Juris pronuntiatum est:* Qui sentit commodum, sentire debet & incommodum. *l. naturaliter, ff. de reg. jur. c. qui sentit. eod. tit. lib. 6. Quæ Regula tamen hîc in oppositum convertitur, quandoquidem* contrariorum éadem est ratio. *Cæterùm Ezechiam ex hac præda præ cæteris omnibus, ut ratio postulabat, valde ditatum esse; Salianus (cum aliis) exsertè tradit: qui & addit;* Hujus prædæ magnam fuisse partem, quam in thesauris postea suis Rex legatis Babylonicis monstravit. (ε) *Isaiæ 37.* (ζ) *Ità, post Sallustium in Iugurtha, Titus quoque Livius loquitur, libro 5. Decadis 3. in 2. bello Punico.* (η) Quinque *diebus Sennacheribum iter suum ac reditum Niniviticum confecisse, ex Judæa fugientem; nec pluribus: conjicit Salianus pag. 240. columnâ 2. editionis Coloniensis in fol. ann. mun. 3324. num. 19. Quare meritò Septuaginta scribunt; Eum*, à clade acceptâ, quinquagesimô nondum evolutô die, à filiis suis periisse: *ubi cæteroqui Scriptura Vulgatæ editionis cap. 1. Tobiæ, versu, 24. ait; Eum*, post Quadraginta quinque dies occisum à filiis.

Ruina Sennacheribi.

à filiis. *Nimirum*, dies quinque *itineri*; *dies autem 45. commorationi in urbe Ninivês, post reditum, aßignandi sunt. Ejusdem porrò sententiæ, in digerendo dierum istorum numero, cogitur & Sanctius noster esse, in caput 1. Tobiæ, ver. 24. cùm ait*; Die Quadragesimo, postquam in patriam rediit rex Assyrius, interfectum eum esse: *cùm hic tamen adferat Scripturæ verba*; Post dies verò Quadraginta quinque. *&c.* Quinque *igitur* Dies *reditui ipsius è Judæa Niniven, tribuendos esse, etiam ipse supponit.* (ϑ) *Translatio Tobiæ Græca, quæ hodie superest, quámque habere mihi contigit è reliquiis instructißimæ bibliothecæ VVidmanstadianæ, id refert capite 1. libri* Tobit. *&, ex ea, Gaspar quoque Sanctius, in cap. 1. ejusdem libri, vers. 18.* (ι) *Hebraicus quidam libri Tobiæ textus (& mirum, ni* Fagii, *in quem olim Latino-Hebraicum incidi) id habet: ut & Salianus refert, in Anno mun. 3324. num. 19.* (κ) *Quorum Rex, nomine* Mesa (*ut in* Ruina *narratum est* Israëliticorum regum) *super murum urbis regiæ, tribus ex adverso regibus aspicientibus, filium suum immolavit.* [λ] *Historiæ sacræ nuda simpléxque Veritas, est ista, quam liber regum Quartus, cap. 19. ad finem, & liber Paralipomenon. 2. capite 32. versu 21. & Isaias, capite 37. v. 38. & denique Tobiæ*

 libellus

libellus cap.1. v.24. exhibent: nempe, Regem Sennacheribum, adorantem in templo Dei sui Nesroch [*Nizra vocatur à Genebrardo*] interfectum fuisse à duobus filiis suis. *Caussam autem, & ordinem reliquum, interfectionis, non memorant. Tradunt autem utrumq; Rabbini, Doctorésq; prisci, apud Nicolaum à Lyra, & Abulensem, in caput 19. libri Quarti Regum; Apud Gasparem item Sanctium, in caput 1. Tobiæ, & in 4. reg. cap. 19. & in caput Isaiæ 37. Apud Salianum item, in ann. mun. 3324. num. 20. & 21. Cornelium quoq; in caput 32. libri 2. Paralipom. Apud Nicolaum deniq; Serarium, Gilbertum Genebrardum, & ipsum S. Hieronymum, in traditionibus Hebraicis. Quibus omnibus facem traditionis præfert* Rabbi Salomon: *Regem videlicet Sennacheribum, suorum odia conjurationésq; permetuentem, ut, qui ægerrimè ferrent, Filios suos, & cognatos ac propinquos, propter ejus dominandi immoderatam ambitionẽ, in Judæa occubuisse inglorios; eorum animis sibi reconciliandis, aut violentis manibus evitandis, promisisse Deo suo Filiorum etiam propriorum immolationem. Id autem filios subodoratos, aut edoctos; prævenisse patris destinationem, illius cæde: priusquam ipsi cæderentur. Non desunt etiam; qui, cum Abulensi, Lyrano, Cornelio, Saliano, cæterisque,* refe-

referant: Sennacheribum huic suiipsius cædi caussam præbuisse; ex eo: quòd, nimiò in uxorem amore (Asarrhaddónis filii natu-minimi matrem) Asarrhaddonem hunc, præteritis filiis duobus ætate majoribus, ex alia tamen matre susceptis, post suum è Judæa reditum, Regni Successorem designârit. Omnes hæ cædis caussæ probabiles sunt; concurrereq; eundem in effectum potuerunt: tametsi fidei, non nisi humanæ, *sint; ac partem sui maximam priscis Rabbinorum mysteriis debeant.* [μ] *Gaspar Sanctius, in cap. 1. Tobiæ, legit,* Adrámeleth, & Sarazar. *S. autem Hieronymus, Traditionum Hebraicarum capite 32.* Hadrámelech. *Sed, haud multum interest, ad rei veritatem, in litterularum exiguâ variatione.* [ν] *Josephus, libro Antiquitatum 10. fine capitis 2. ait; A* Cognatis, *seu* popularibus (*ut habet mea, per Conradum Lautenbachium confecta, versio*) pulsos, *ex urbe Ninivês, in Armeniam profugisse.* [ξ] *Vide* Salianum, *in annum mundi 3324. num. 27.* [ο] Psalmo *72. v. 1.* [π] *Capite namq; primô Tobiæ, ad finem, dicitur;* Post 45. dies, eum à filiis suis interfectum esse. *Quod tempus Commentatores ferè sic distribuunt: ut numerandum illud censeant, à nocte cladis Jerosolymitanæ: Quinque dies (ut suprà diximus) aßignent ocyßimæ illi, in urbem*

Ruina Sennacheribi.


urbem Niniven, fugæ: Reliquum verò tempus, quod est Dierum 40. moræ illius Niniviticæ donent. Nec dissonat admodum Græcus, qui ait; Eum ANTE quinquagesimum diem *fuisse interfectum.* Et non transierunt (*inquit*) 50. dies: donec filii ejus interfecerunt eum. *Scriptura enim hîc, ut & alibi sæpe, numerum rotundum, intervallari prætermisso, amplectitur; ut doceat, vitæ Sennacheribææ dies, à fuga Iudaica, non pervenisse ad numerum* Jubilæi: *qui est,* Quinquagesimus. *Ac certè, etiam is, qui quadragesimo quinto die, à fuga, interfectus est; occubuit, ante quinquagesimum diem. Vide tamen & Nicolaum Serarium, in cap. 1. Tobiæ.* [ρ] *Ad Romanos, cap. 1. ad finem.* [σ] *Apocalyps. cap. 14. v. 11.* [τ] *Iste locus propemodum universus, ac pæne verbatim, traductus est ex capite 32. Ezechielis, à versu præsertim 20. usque ad vers. 31.* [υ] *Zachariæ 2. v. 8.* [Φ] *1. Corinth. 15. v. 28.* (χ) *Iobi. 9. v. 4.* (ψ) *Vide Florimundum Remondum, de Ortu & Progressu Hæreseon, libro 2. cap. 2. num. 2. ubi de* Rotmanno *habes, impiissimo Anabaptistâ: qui aliquando* Cœnam Dominicam (*sed nempe* suo more, *inquit Florimundus, suáque sacrilegâ consecratione, tractationéve, pollutam) populo ministrans; hostiam, in totius cœtûs conspectu acceptam, fregit, exclamans:* Ubínam, ô fra-

ô fratres, & Caro, & Sanguis ille? *In terram deinde projecit, ac, per illusionem;* Si (*inquit*) hoc est Jesu Corpus. &c. (ω) *1. Corinth. 14. v. 38.*

(αα) *Vide, præter cæteros, Famiani Stradæ Decadis 2. de bello Belgico, libr. 5. & 6. de urbibus, & Geusiis; quos nominatiùs porrò infamare supersedeo: qui in muris, aliisque locis publicis, tanquam ludicras munitionū Tutelas, Divorum Imagines, adversùs Farnesianorum ictus, exposuêre: Sed, suo memorabili, tam malo, quàm exitio.* (ϐϐ) *Ista, cum aliis compluribus, tradit Laurentius Surius, in Commentario anni 1567. De sancto verò Thoma Cantuariensi Paulus 3. Pontifex Maximus, in bulla Excommunicationis Henrici 8. Anglorum Regis anno 1538. datâ, ac renovatâ.* (γγ.) *Inter innumeras Blasphemorum, in Sanctos, divinitus inflictas pœnas, ac supplicia; quæ densâ messe reperiuntur, apud Baronium, in Annalibus Ecclesiasticis, Cæsarium, Dauroultium, Ioannem Majorem, Tympium; Bredenbachium, Leichtium, & alios: recētius est, quod nos ipsi, paucißimis abhinc annis,* Cremsii *in* Austria, *non auribus tantùm, sed (quantùm ad vestigia prodigii, etiamnum restantia) oculîs quoq; hausimus; de quadam* S. Ignatii Loyolæ *Imagine, pictoris manu expreßâ: quæ pro-*

Ruina Sennacheribi.

ſtabat in aſcenſu, ſcaliſque contectis, ad Sacram ædem ferentibus; ab heterodoxo nonnemine, ordinum ductore, contumelioſiſsimè, etiam cum offenſione ſectæ ſuæ participum, tractatâ. Deus Sui Militis *hanc inſignem injuriam, in* Milite, *tam inſignitè* nequam, *ultus eſt paullò pòſt; ipſis S. Ignatii Sollemnibus anniverſariis: globo bellico in illius blaſphemi corpus, & interitum repentinū, incidente; non rectò (ut cæteroqui fieri ſolet, ac debet) aëris tractu limitéque: ſed, cùm excuſſus eſſet poſt obſtantem molem, & aliorſum collibratus; incurvato prorſus, & arcuato tractu, in ipſum delatus: manu quidem* humanâ *explodente globum;* cœleſtî *verò, dirigente. Credidiſſes, à Poena, Sacrilegum illum Reum, tanquam furoris Juſti* metam, *ſibi fuiſſe propoſitum: &, cùm lateret, per ambages quæſitum; donec ad exitium inveniretur. Cujus exitus tam fuit manifeſtus; ut illius certitudini teſtimonium, non* Amici *tantùm deferrent, ſed negare nec* Hoſtes *quidem vellent, aut auderent.*



RVINA

Ruina Sennacheribi.

RUINA XXXIII.

Quæ fuit,

MESSENIORVM.

BREVIARIUM CAPITUM.

I. *Belli Messeniaci tempus, non ad hunc tantùm narrationis locum, & ordinem, pertinere: sed in plura, tam antè, quàm retrò, tempora, diffundi. Commodioris tamen rerum memoriæ caussâ, hîc in unum omnia corpus historiæ conjungi: ne sæpius ad eadem postea redeundum sit.*

II. *Cùm autem Messenii portio fuerint populorum Peloponnesi: ponitur hujus descriptio topographica. Paucisq; percurruntur, Achaia, Sicyonia, Corinthiaca, Argiva, Eliaca, Arcadia, Laconiáque, regiones. Quibus ad finem adnectitur regio* Messeniorum: *&, quásnam ea celebrioris nominis urbes olim, &, an metropolin statim sui nominis, obtinuerit. Vbi, inter Sophiani tabulas, & Pausaniæ verba, nonnihil, ut appáret, dissidii.*

III. *Quinam primi* Messeniam *terram regio*

giojure nominéq; tenuerint? eorúmq; generis principium. Polycáon, & uxor illius Meſséne, *regionem illam, armîs occupatam, inſident: &, à Meſſene,* Meſſeniam *appellant. Andaniam urbem, regni ſui caput, conſtituunt. Quidam Græculi, aliunde venientes, ad Reginam Meſſenem, ac poſteros reges; terram Meſſeniorum ſuperſtitiosîs ſacrificiîs, ac myſteriîs, imbuunt. Indè paullatim & DI, Semideiq;, alii ex aliis, importati, & excogitati; Meſſeniam univerſam Idololatriâ variâ replent. Poſt Polycáonem, ejúſque ſucceſſores, imperant alii, aliunde accerſiti: ut Periéres, Apháreus, Idas, & Neſtor, ac poſteri. Neſtóridis ejectîs, regnum ſuſcepêre, Herculis poſteritas. Inprimis verò Creſphontes; fraude ſortium rex factus: ſed, cum ſuis tandem omnibus, interfectus; ſuperſtite ſolo Aépyto filio. Is Aépytus poſtea regnat; Aepytidæq; poſt eum complures: qui, per ordinem, nominantur. Indè tranſitur ad origines belli Meſſeniaci exponendas.*

IV. *Earum originum* prima *fuit; ad Dianæ, Lacuſtris dictæ, ſanum commiſſi inter ſeſe Spartani, ac Meſſenii, cruentâ cæde. Cujus ipſius tamen cædis cauſſam aliter* Spartani *referunt; aliter verò Meſſenii. Illi quidem; dum, violatas à Meſſeniis Lacænas virgines ſacrificas; ſuúmq; regem,*

gem, eas tutari conantem, interfectum fuisse, narrant. Messenii verò: dum, fictas illas Virgines, reverà Iuvenes fuisse, contendunt; fœmineo sub habitu arma contra se gestantes, in cædem Procerum Messeniorum. nec eas à se turpiter contrectatas; sed, exploratas tantummodo latentes sub stolis insidias, esse. Deprehensâ verò manifestâ Spartanorum adversùs se hostilitate: fatebantur, eos se, præveniendi caussâ, unà cum Rege eorum, occidisse. Vtri jam veriora narrent, inter duo sibi pugnantia; discutit auctor, ac pro Messeniis decidit.

V. Altera *verò belli Messeniaci, eáque propinquior, fuit caussa; Lacedæmonii cujusdam insigne, multiplexq; scelus, in Messenium. Ille namque, Evæphnus nomine, Messenii (qui Polychares vocabatur) armentum, in pascua sua fidémq; receptum; perfidè abegit, ac prædonibus vendidit. Caussatúsque, violenter id sibi abactum, sed à pastore Polycharis mendacii furtiq; convictus: spopondit pretii restitutionem. At in via filium Polycharis, pecuniam exacturum, interfecit. Polychares, re compertâ, cùm apud Lacedæmonios, actione legitimâ delatô Evæphni furto homicidióque, nihil minùs, quàm æquum, ac talionem, impetrâsset: in amentiam paullatim, è dolore, lapsus, omnes Lacedæmonios, sibi oblatos, promiscuè de medio tollebat.*

Postu-

Ruina Messeniorum.

Postulatus autem à Spartanis ad supplicium, cùm à Messeniis non dederetur; nisi priùs & Evæphno sibi transmisso: caussam præbuit primò dissidii pugnæq́ue, inter duos reges Messenios, eorúmque factiones. Cæsus in acie regum alteruter. Alter (cui nomen Antiocho) Spartanis posthæc æquas aliquot finiendæ litis conditiones proponens; ab iis, silentio pertinaci, reiicitur: ac non multò pòst moritur. Ejus filius Eúphaës, in regnum succedens, Spartanis ad injuriam opportunus videtur. Ii bellum in Messenios decernunt: juramentóque, ad illud constanter urgendum, seipsos obstringunt. Noctu denique, Amphéam, Messeniorum oppidum, occupant; incolásque barbarè tractant: & præsidium Spartanum imponunt.

VI. *Post hanc primam Messeniorum acceptam cladem, Rex Eúphaës multitudinem populi, consternatam, in urbem Steniclérum convocatam; oratione solatur accuratâ: qua, Spartanis, ob improbè facta, Nemesin, ac Deos cæteros, infensos inimicósque; Messenicis autem, è contrario, propitios fore, pollicetur. Ad summam denique; in arma eos, adversùs Lacedæmonios gerenda, concitat: ac concitatos dimittit.*

VII. *Ab eo tempore Spartani Messeniique mutuis se invicem deprædationibus, vexant: donec justo tan-*

stò tandem prœliò concurrerent. Quò minùs autem plenissimîs utrimque copiîs manum consererent; vorago quædam terræ, in campo locóq; prælii, obstabat. Pugnatur nihilominus, haud ignavè: sed Messenii consiliò vincunt, dum castra sua communiunt; Spartanorum, contrà, castris apertis relictîs. Unde, Victoriæ plenitudine desperatâ, Spartani domum se recipiunt. Iidem tamen, ab suorum convitiis, & irrisu, exagitati; in expeditionem, adversùs Messenios, non multò pòst, reversi: non impromptos, imparatósve, reperiunt hostes. Quinam utrimque Reges, ac duces, in aciem descenderint; exponitur: &, quibus utrimq; verbîs argumentisque, suas ad pugnam copias inflammârint, adiicitur. Euphais, Messeniorum regis, Satyrica, in Spartanos, Invectiva. Spartanorum, in Messenios, contumeliosa verba: Messeniorum autem vicissim, adversùs Spartanos, acris & cruenta pugna. Duorum item, utriusque exercitûs regum, infestus inter se concursus. Exercitus uterque, alter alterutrius in cornu, victor est, invicémque victus. Domúmque Lacedæmonii denuò, non pro exspectatione clari, gloriosiq;, redeunt.

VIII. *Messenii nihilominus, rebus suis, diversas ob causas, attritîs; in montem & oppidum Ithomen,*

Ruina Messeniorum.

thomen, omnem multitudinem bellicam contrabunt: mœniúmque ampliatò spatiò, illic habitare incipiunt. Post hæc autem, Apollinem Delphicum, super exitu belli sui, sciscitati; responsum reportant: ut, ex familia Æpytidarum, Virginem intactam sacrificent. Sorte ductam Lycisci filiam, vates, negat esse filiam: controvertentéque super ea re populò, Lyciscus cum Virgine prófugit ad Lacedæmonios. Vbi tamen, post aliquot annos puellâ mortuâ, Lyciscus ad sepulcrum illius capitur ab hostibus: & adductus ad Messenios, accusatúsque transfugij, beneficiò matronæ cujusdam, Sacerdotis, absolvitur. Porrò, locô filiæ Lycisci, filia cuiusdam Aristodémi, ab ipsómet patre ad victimam substituta, ac destinata; vindicatur primùm à Iuvene quodam: qui, sibi desponsam, & à se vitiatã, caussabatur. Ea dein, ab irato patre jugulatur; & integra reperitur. Quærentes ergo tertiam jam puellam, in hostiam, Messenios; rex Euphaës quiescere jubet, ac pacat: satisfactum DIS affirmans, cæde Virginis Aristodémidis. Indè metu superstitionéque exsoluti Messenii, Spartanis in bella rursus ruentibus, alacres occurrunt: sed, ancipitî certantes Marte, regem suum, ex vulneribus, amittunt.

IX. *Subrogatur Eúphai, mortuo, in regnum Aristo-*

Aristodémus, filiæ interfector: & placidè, tam Messenios suos, quàm omne sociale nomen, tractat. Præliô quoque Lacedæmonios, ac Corinthios, profligat. Spartanos item, pro perfugis sese gerentes, callidè deprehendit in fallacia: & urbe suâ pellit. Cæterùm, ad Delphicum rursus Apollinem legatione missâ; superstitionibus iterum variîs se, suámque gentem, intricat: quæ per ordinem narrantur, breviter. Ubi de Oculis Ophionei; cæcîs olim, deinde lumen recipientibus, ac denique rursus excæcatîs. De Centum item Tripodibus, Jovi offerendîs, ac dedicandîs. De scuto quoque Simulacri Dianæ: déque arietibus, ad victimam destinatîs; & ante immolationem exanimatis. De Canibus, gregatim noctu concurrentibus, ululantibus, ac demum ad Lacedæmonios transfugientibus. Quâ occasione, variæ Observationes vanæ persuasionésque superstitiosæ, exagitantur: &, cur subinde, quæ ex his mala timebantur, eveniant, subindicatur. De Somnio denique, quo Aristodemus filiam, ab se interfectam, vidit, ab Inferis reducem: quo hic exsternatus, semet interfecit; rerum meliorum improbâ desperatione superatus. Qua rursus occasione, excurritur in detestationem Idololatricarum Superstitionum, ac cultûs vanorum Deorum: quanta indè, quámq; varia, mala proveniant.

Ruina Messeniorum.

X. *Iis quidem certè circumvoluti Messenii, post tot annos, bellò exantlatos, Lacedæmoniis se tandem permittunt. Hi Ithômês muros, & oppidum, evertunt: &, quod Messeniorum non alias in terras migravit, mancipiorum more sibi subjiciunt; duris, & annui vectigalis, & servilium obsequiorum, conditionibus injunctis.*

XI. *Sed, impatientes jugi, Messenii nonnulli juvenes, defectionem à Laconibus, & res novas, meditantur. Consilii illius princeps,* Aristómenes *erat: qui conceptus è Dracone ferebatur; ut & alii complures viri, factis ingentibus illustres, olim simili stirpis origine se jactabant. Aristomenis veri, extráq; fabulam, parentes, nominantur. Is, prætentatâ populorum socialium sententiâ, ac mente; de eorum consensu, à Spartanis deficit: bellóq; Messeniaco alteri dat exordium. Pugnatur primò, Spartanos inter, & Messenios, ad vicum Deras: confectóq; prælio, Aristomenes, ob fortiter facta, Rex Messeniorum acclamatus, regnum recusat: exercitibus tamen Messeniorum præesse, satìs habet. In eo munere præclarè se gerit. Scutum, tanquam ab Lacedæmoniis victis reportatum, Lacedæmone ad templum Minervæ, cum inscriptione callidâ, affigit: in omen Victoriæ, suis à partibus staturæ. Pugnatur iterum ad Vicum alium, ab* Apro *dictum:*

ctum: auxiliantibúsq; populis aliquot sibi, ac profugorum familiis; Messenii Spartanos, eorúmq; socios, & regem Laconum, cruento certamine fundũt ac profligant. Aristomenes victor, ad arborem pyri Clypeum amittit suum; alibi quondam eundem reperturus: Andaniámq; rediens, inter laudes, & triumphales honores, hilariter ab omnibus excipitur.

XII. Ex eo tempore formidabilior incipit Spartanis fieri: seseq; confirmat ipse, ad cœpta prosequenda, fortuitâ mirandáq; Scuti sui amissi recuperatione; quam Sathanæ dolus ei procuravit, ut Superstitionem corroboraret. Aristomenes Pharas Laconicas capit, & diripit: Anaxãdrum, Spartæ regem, extorquere sibi prædam tentantem, cum copiis ejus in fugam conjicit; non tamen sinè vulnere suo. Spartam ipsam posthæc aggredi vastaréque certus; ab eo proposito deducitur Somnio inopiam Sathanico, sibi immisso. Rem interim civitatis suæ pecuniariam aucturus; ex insidiis, & occasione Sacrorum, Virgines capit Lacedæmonias: captarúmq; pudicitiam adversùs libidine perditos milites, aliquorum ex iis cæde, protegit. Ob id capitis accersitus à civibus suis; Virginum interpositâ deprecatione, sententiam mortis evadit: Messeniámq; Virginum earũdem lytrô ditat.

XIII. *Aristomenis, in protegenda Lacænarum Virginitate, Severitas, per digreßionem collaudatur: composita præsertim, complurium tempestatis nostræ ductorum ignavæ dißimulationi; militaribus in flagitiis castigandis. Vnius Præfecti-præsidii facinus interim unum alterúmq; recens, ac forte, servatæ Justitiæ, commendatur.*

XIV. *Plura Ducis Aristomenis deinceps militaria facinora casúsque, recensentur: ut, captivitas, quam à Lacænis matronis adiit; sed à Sacerdote summâ celeriter emissus. Prælium item, cum Spartanis: in quo, perfidiâ regis Arcadum, victus tandem; reliquias tamen exercitûs sui collegit, ac reduxit: scelus suum luente tandem Arcadiæ rege. Relictâ post hæc Andaniâ, cum plerisq; Messeniorum, in Ejram montem commigrat; quem egregiè commúnit: &, undecennalì quamvis obsidione circumsessum à Spartanis, fortiter tamen defendit. Ex agris ac finibus hostium, aßiduò prædas agit: ac de integro Lacedæmonios, tum hac audaciâ suâ, tum etiam Amyclæi oppidi oppreßione vastationéque, accendit ad arma resumenda. Cum Amyclarum hanc oppreßionem tam indignè Spartani tulerint: &, de victimis Hecatombis, quiddam interspergitur. Prælio rursus à Spartanis & Messeniis concurritur: in quo Aristomenes, gravi*

te

ter vulneratus, acerrimè tamen pugnans; cum Quinquaginta suorum capitur: & in Carcerem Spartanorum, Ceâdam *dictum, dejicitur. unde tamen, mirando fortunæ vulpeculæq; beneficio salvus, post dies aliquot, evadit: iterúmque Spartanos, sicut antehac, oppressis eorum sociis & auxiliaribus, vexare incipit. Sed posthæc, induciarum securitate circumventus, & à Cretensibus captus; puellæ cujusdam versutiâ, dolóque, vinculis expeditur: Cretenses occidit: liberatricem suam filii sui nuptiis remuneratur: &, invitis hostibus, Ejram redit incolumis.*

XV. *Sed Ejra tandem, occasione turpis adulterii, capitur; &, post diuturnam, inter Messenios ac Spartanos, dimicationem, erumpente cum fortissimis, & infirmiore sexu ætatéque, duce Aristomene; cum tota Messenia, fit Lacedæmoniorũ juris. Causæ, cur Aristomenes cesserit, referuntur; à Superstitionibus maximè pendentes. De Caprifico arbore, in amnem inclinatâ: ejúsque fortuitæ rei vanâ interpretatione. Notatur Aristomenis Ducis nimia, deliráque, & anilis, credulitas: ejusdémque, mysteria quoque* Idololatrica *defodientis, superstitiosa sedulitas. Excedentes è patria Messenii, liberaliter ab Arcadibus excipiuntur; qui Arcades propterea, à pia hospitalitate, collaudantur. Qui*

 reman-

Ruina Messeniorum.

remansère Messenii, rediguntur in ordinem Helotarum. Qui verò discesserunt; in loca diversa migrant. pars magna in Siciliam defertur: ubi Messanæ captæ nomen immutant, veteri abolito. Finis belli Messeniaci Secundi, lacrymabilis. Aristomenes, in Peloponneso manens; adversùs Lacedæmonios multa, sed sinè successu, molitur: filias elocat: Rhodum proficiscitur: &, in peregrinationum longinquiorum proposito, tandem vitâ cedit. Ejus corde, *post obitum, non citra prodigii speciem, repertô, sepelitur Rhodi magnificè; & â suis piè deploratur.*

XVI. *Messeniacum Bellum* Tertium, *ortum ex occasione vastatæ, propter violatas religiones, Spartæ; ruptiq; à Messeniis servitutis jugi. Pelluntur universâ Peloponneso Messenii: & Naupacti denique consident. Indè Oeniadum urbem occupãtes, Acarnánum omnium concursu indidem ejiciuntur; &, Naupactum reversi, in odio Spartanorum perseverant: hostilitatéq; multiplici illos irritant; Atheniensium societate fulti, & adjuti. Ab his autem necessariò tandem destituti, & à Spartanis navali clade fracti; varias in regiones trãsmarinas abeunt. Leuctricâ deniq; pugnâ commissâ, quâ Spartani contusi sunt, respirant; in patriam à Thebanis reducti. Eam reductionem diversis aliquot*

quot è Somniis prædiscunt; quæ recensentur: ut & Aristomenis, in Leuctrico prælio, spectrum. & Sacra, ab eo defossa, quomodo, ac qualia, reperta denuò fuerint? Messéne urbs, condita; aliæq; urbes quædam restitutæ. Quot annis exulârint? Eos & postea Spartani vexant: qui, ob Messenios solos, nolunt dare nomen in fœdus Græciæ commune.

XVII. *Post plurima tandem sæcula, Spartani Messeniiq; , videri possunt in concordiam ac societatem redacti; miseriarum videlicet, & malorum, quæ sub Turcica servitute, simùl paritérq; nunc sustinent. De Methóne, Messeniorum urbe: ob quam caussam hodie Christianorum juris non facta sit; déque Schismaticis Græcis, de Salute æterna periclitantibus. Reditur dein, ad Messenios universim exagitandos; primùm, ob multitudinem Deorum falsorum: unde plurima illis mala, flagitiáque, sunt enata. Deinde, propter duorum adolescentium impiam petulantiam; qui, se Castorem ac Pollucem sacrilegè venditantes, &, pro talibus adorari se passi, sacrificia crudeliter, ac multorum cæde, disturbaverunt: indéque crediti sunt, genti suæ pœnas, divinitus immissas, suscitâsse. Vbi dissertatiuncula, de Conscientia Errante. Extollitur, ad extremum, Christianæ religionis, præ cæteris Sectis omnibus, Veritas, Sanctitas, & innoxiæ salutarésq; leges:*

Ruina Messeniorum.

leges: ideóq; diuturnior in ea Pax; minúsq; longæva, inter syncerè Orthodoxos, bella, quàm inter Idolorum cultores, & heterodoxos.

RUINA
MESSENIORUM.

(I.)

RERUM, in *Oriente*, sub Ezechiâ, quíque præcesserunt ejus imperiũ, Judææ Samarięq; Regibus, gestarum enarrationẽ; expositio sequitur earum, in *Occidente*, cladium, quas sibi mutuas, ac graves, *Peloponnési* duę gentes, inflixêre: *Lacedæmones*, ac *Messenii*. quæ, quoniam *excidiô* denique *Messeniaci* populi, finem utcunque suum accepisse visæ sunt; *bello Messenio* dedêre nomen. Neque tamen ejus belli nos acta, vel *nunc primùm* exsequimur; tanquam non & antè jam (*A*) geri cœpta sint, (nam sub *Joathâne* primùm, posteáque sub *Achaze*, successoréq; filio, turbatum illic erat, & concursum): vel ità *nunc demum Ezechiæ* temporibus subnectimus, aut associamus: quasi posteriora deinceps illis tẽpora sæculáve, quieta decurrerint. Nam, ab utrisque populis illis,

lis, implacabili bellatum Marte, vixque serò debellatum est; *Messeniorum* in exilium ejectione: diversisque sibi quæsitis alibi terrarũ habitationibus. Id,quod sub *Artaxerxis Longimani* sextum ferè dominationis annum evénit: imperiô *Persarum* jam aliquantó plusquam *Octogenario*. Quin & multò pòst, *Artaxerxis Ochi*, Persarum itidem regis, sub annũ alterum, & Imperii Persici centesimum septuagesimum quintum, Laconum in Messenios inextinctum supervixit Odium. Nam, potiùs, quàm in fœdus ac societatem cæterorum Peloponnesi populorum adscribi *Messenios*, Lacedæmonii sustinerent; ipsi potiùs, à *fœdere communi* seipsos excludi, sunt passi. Quô liquet; gentes illas duas, nec *armorum* quidem dissidiô, quod annorum ferè *trecentorum* ac *novem* fuit, satiatos; *animorum* insuper discordiam, ad integrum adhuc fermè *sæculum*, extendisse: Spartanorum superbâ pervicaciâ. Quanquam autem tot, non annorum modò, sed & sæculorum, *Messeniacum* fuerit *bellum*: nos tamen, ne vel crebriùs eodẽ semper, per gestarum rerum descriptionem, recurrere compelleremur; vel certè, quæ *Messeniæ cladis* ad plenam cognitionem pertinent,

Ruina Messeniorum.

tinent, prætermittere deinde, ſilentióque tranſcurrere: majoris fidei ſtudiique fore, judicavimus; ſimùl, ac ſemel, omnia *Ruinæ Meſſeniacæ* membra, velut ſub unũ hiſtoriæ corpus, compendiô, quanto fieri fas erit, conjungere. Quare, ſicuti *bellum*, etſi multiplex, ac varium, ſub unius tamen *belli Meſſeniaci* nomine, tractabitur; ità *Ruina* quoque, *crebris* licèt iterata ſparsáque populorum ſtragibus, quaſi ſub *Vnius* tamen *Ruinæ* titulô, procedet: cùm interea, ne *Lacedæmoniorum* quidẽ, & grandes, & crebræ ſatis, *regni-plagæ*, tacitæ nobis ſint abituræ. Sed priùs *Meſſeniæ* nobis *terræ* ſitus, ac facies aliqua; poſt hanc autẽ, inter Meſſenios ac Spartanos enati, belli *cauſſæ* depingendæ: denique *belli curſus* ipſe, quò cuncta lucidiora ſint, venit exponendus.

II. *Peloponneſus*, quam *Moréam* hodie dicunt, *Peninſularum* totius Europæ nobiliſſima (*b*), figuráque ſitûs, & angulorum littoralium ſpecie, *platani folium* imitata; Regiones, ab antiquo jam, habebat, omnium *Græciæ* Scriptorum monimentis celebratas. Earum inſigniores ad memoriam ſunt: ACHAIA, Ptolemæo Geographo, *Propriæ* vocabulô notata; quæque Patras, Ægium, & alias

lias urbes, ambitu ſuo complexa, Sinui, quẽ *Corinthiacum* nominamus, ad Aquilones adjacet. Eáque regio, propter res populi ſui florentiores, & juris publici forum, univerſæ tandem cherſoneſo reliquæ nomen ſuum infudit: ut *Achaia* diceretur, quæ *Peloponneſus* erat; & *Achaica concilia*, quæ gentium illarum plerarumque *publica* cenſerentur. (*c*) Poſt *Achaiam*, ſitu locorum proximæ, SICYONIA, CORINTHIACAque; ventum ſpectantes Euro-aquilonem: ſuarum útraq; primariarum urbium nominibus inſignitæ. quarũ, *Sicyon*, Achæis vicinior: *Corinthus*, ad Ortum aliquantò remotior, in aditu citeriore ſedet faucium; quas *Iſthmon* Græci dixerunt: hoc eſt, *terræ continentis anguſtias*, haud ampliùs *quinque paſſuum millibus* in latitudinem patentes; *Corinthiacum* inter, ac *Sarónicum*, Sinus. Infra *Corinthiorum* ditionem, in Auſtrum, ARGIVORVM eſt ſita terra; cujus caput, urbs *Argos*. ſupra quam urbem, Boream versùs, *Cleonæ*: propiùs autem, ſed infrà, ſpectantes ad meridianam cœli plagam, *Mycénæ*; quáque receditur in Ortum, *Epidaurus*. Mediam autem *Peloponnéſi* continentem aliæ quædã, eæque celeberrimæ, regiones occupârunt.

Ad

Ruina Meſſeniorum.

Ad Occidentem quidem, ELEIS; Alphéô Peneóque perluta fluminibus. In ea sunt urbes; *Elis*, unde nomen *Eliacæ* regioni cæteræ: *Pisa* quoque, quam *Olympiæ* quidam adjungunt *(d)*; sed ab eádem alii dissociant. Omnes hæ tamen, ceu priscîs Græciæ *certaminibus Olympiorum* insignes, clarebant. Post *Eliacam*, Orientem hybernum, & interiora Peloponnesi, spectat & insidet, ARCADIA: cujus urbium nominatissima, *Megalopolis*. cætera regionis ejusdem oppida, locáque, non ignota quidem *historicis*; decantatiora tamen *poëtis*, sunt. Infra juxtáque populos *Arcadas*, proxima LACONIA, partim in Austrum, ad Sinum usque maritimum, sui nominis; partim in latus Orientis, ad Sinum promontoriúmque Maliacum, excurrit: *Euróta* flumine pæne mediam secante. Cujus urbium caput, *Sparta*, sive *Lacedæmon*; oppida complura cætera, tum ad Tęnarium hinc, tum ad Maléum indè, promontoria, sub jure ditionéque sua constituta, porrigebat. *Postrema* denique, non tam *dignitate*, quàm *locorum positione*, Peloponnesiacarum regionũ, MESSENIA; Sole tenus occiduô, pelagus habet Ionium: ad Septentriones, supra se, gen-

tes

Ruina Messeniorum.

tes ac terras *Eleorum*; ad latera Solis Orientis, Arcadas, & Lacones; ad Auſtrum autem, Sinum maris Ionii, ſuo de nomine *Meſſeniacum* appellatum. Pertinebat autem terrarum iſte tractus, ab *Alphéi* propemodum amnis oſtio, tam cis, quàm ultra *Paniſum* fluvium, flexuosîs anfractibus; ad *Taygeti* montes uſque, porróque, ſuas oras explicans: donec ad *Leuctrum* ſe *Laconicum* conſumeret. Fuerunt autem intrà *Meſſeniorum* hos, quos deſcripſi, fines, *Alyartus*, *Pylos*, *Ithóme*, *Trœzen*, *Aréne*, *Methóne* maritima; quam, *ità* Pauſaniæ dictam, *Módonam* hodie vulgus præternavigantium nominat: cæteræque præterea *littorales*, ut plurimùm, urbes: *Acritas*, *Colónæ*, Solem occiduum ſpectantes; &, ad Orientem, *Aſine*, *Coronæ*, *Pheræ*. Meſſeniaci demum *Sinûs* extremum, cacuminatúmque, littus quondã inſidens, ſupra Taygetum, *Abia*: quam, à *Saltu*, quem vocant, *Porcinô* viginti diſtantem ſtadiis, *Eram* antiquiores appellârant. Hæc igitur omnia, quæ dixi, *Meſſeniorum* erant, jam olim, priſcîs ab initiis, oppida; nec tamen adhuc, regionis caput, urbs MESSENE: quippe, quam poſterioribus demum ætatibus eos accepiſſe, certum

Ruina Meſſeniorum.

certum ſit. Et *Sophianus* quidem eam, in *Græcia* ſua, Paniſi fluminis Oſtio, dexteræque ripæ, contra Phæras urbem, in ſiniſtra ſitam, imponit. Id, quod & Claudius facit Ptolemæus, in Europæ ſuæ Tabulâ Decimâ. *Pauſanias* autem, in quarto veteris Græciæ regionum volumine, ſub ipſum ſtatim libri principiũ; *Meſſênem* ſub Ithóme *conditam* à Thebanis, poſt Leuctricam adversùs Spartanos pugnam, affirmat. Additque: *nullam omnino præterea ſe putare*, *Meſſenês* vocabulô *nuncupatam urbem fuiſſe*; *priùs*, *quàm hæc à Thebanis conderetur.* (e) Et tamen *Meſſeniorum*, tam *hominum*, quàm *locorum*, ac *regionis*, ab antiquis jam temporibus nomen erat. Unde verò natum id illis primò ſit; paucis nunc exponam: nequis fortè, rerum, ac monimentorum veterum, ignarus; populum, adeò *factis* ac *fatis* ſuis inclytum, cùm Originem ejus incognitam habeat, opinetur: TERRÆ fuiſſe FILIVM.

III. *Laconiam* igitur, Peloponneſi, quam dixi, regionem, *Lelex* quidam olim, *regiò* tenuerat, eóque legitimô, *nomine*: populis, quos regebat, adeò non invitis; ut ab regis ſui nomine, *Lelegas* ſe dici ſuſtinerent, qui Laco-

nes

nes alioquin : & *Lelégiam* terram, quæ temporibus aliis *Laconia* semper appellabatur. (*f*) *Lélegi* porrò *Regi*, vitâ functo, filiorum duorum natu major, MYLES, in imperium successit : *Polycáone*, germanô suô, privatæ vitæ relictô. Sed hic, pubertatem ac firmiores annos adeptus, ex Argivorum urbe MESSENEM duxit uxorem, Tríopæ, viri, dignitate non minùs, quàm opibus, florentissimi, filiã: cuj Phorbas avus, cæterúmque retrô majorum genus, in Peloponneso Græciáq; clarũ. Indignata porrò *Messéne* (*quæ ferè mulierum est ambitio ; semper altiora fastigia suspirantiũ*) hinc quidem, patrem suum, ac progenitores, in claritudine ; socerum autem indè, levirúmque Mylen, in supremo popularium suorum esse culmine constitutos: noluit illa quidem, quod alia fortasse perfecisset, affini pellendo res novas moliri. Viro tamen, ad dominationem foris quærendam, assiduîs *privatæ sortis* exprobrationibus, & ad audaciam hortamentis, eum stimulando; persuasit tandem: ut, Mylæ fratris, & Argivorum, uxoris suæ gentilium, opibus adjutus, magnâ comparatâ manu, Peloponnesi, quâ versùm in Austros incumbit, oram universam invaderet:

certum sit. Et *Sophianus* quidem eam, in *Græcia* sua, Panisi fluminis Ostio, dexteræque ripæ, contra Phæras urbem, in sinistra sitam, imponit. Id, quod & Claudius facit Ptolemæus, in Europæ suæ Tabulâ Decimâ. *Pausanias* autem, in quarto veteris Græciæ regionum volumine, sub ipsum statim libri principiũ; *Messênem* sub Ithóme *conditam* à Thebanis, post Leuctricam adversùs Spartanos pugnam, affirmat. Addítque: *nullam omnino præterea se putare*, *Messenês* vocabulô *nuncupatam urbem fuisse*; *priùs*, *quàm hæc à Thebanis conderetur.* (*e*) Et tamen *Messeniorum*, tam *hominum*, quàm *locorum*, ac *regionis*, ab antiquis jam temporibus nomen erat. Unde verò natum id illis primò sit; paucis nunc exponam: nequis fortè, rerum, ac monimentorum veterum, ignarus; populum, adeò *factis* ac *fatis* suis inclytum, cùm Originem ejus incognitam habeat, opinetur: TERRÆ fuisse FILIUM.

III. *Laconiam* igitur, Peloponnesi, quam dixi, regionem, *Lelex* quidam olim, *regiò* tenuerat, eòque legitimô, *nomine*: populis, quos regebat, adeò non invitis; ut ab regis sui nomine, *Lelegas* se dici sustinerent, qui Laco-nes

Ruina Messeniorum.

nes alioquin : & *Lelégiam* terram, quæ temporibus aliis *Laconia* semper appellabatur. (*f*) *Lélegi* porrò *Regi*, vitâ functo, filiorum duorum natu major, MYLES, in imperium successit: *Polycáone*, germanô suô, privatæ vitæ relictô. Sed hic, pubertatem ac firmiores annos adeptus, ex Argivorum urbe MESSENEM duxit uxorem, Tríopæ, viri, dignitate non minùs, quàm opibus, florentissimi, filiã: cuj Phorbas avus, cæterúmque retrô majorum genus, in Peloponneso Græciáq; clarũ. Indignata porrò *Messéne* (quæ ferè *mulierum est ambitio; semper altiora fastigia suspirantiũ*) hinc quidem, patrem suum, ac progenitores, in claritudine; socerum autem indè, leviúmque Mylen, in supremo popularium suorum esse culmine constitutos: noluit illa quidem, quod alia fortasse perfecisset, affini pellendo res novas moliri. Viro tamen, ad dominationem foris quærendam, assiduîs *privatæ sortis* exprobrationibus, & ad audaciam hortamentis, eum stimulando; persuasit tandem: ut, Mylæ fratris, & Argivorum, uxoris suæ gentilium, opibus adjutus, magnâ comparatâ manu, Peloponnesi, quâ versùm in Austros incumbit, oram universam invaderet:

Ruina Messeniorum.

ret: eámque, domitam armîs, ſuum ſub arbitrium redigeret. Cùm autem eam ſinè certo tunc adhuc nomine, pérque *vicos* tantùm (g) habitatam, reperiſſet *Polycáon*: eam, & ut *Victor*, unum deinceps, tam ſub caput, quàm ſub nomen, collegit; &, *ut beneficii memor*, quod ab *uxoriis* ad regnum impulſibus acceperat, ab uxore MESSENIAM maluit, quàm, à ſeipſo, *Polycaóniam*, appellare. Talis ergo, quantuſcunque ſub Eléis, ſub Arcadibus, ac ſub Laconibus, jacet, ad Ionium uſque mare, tractus, inter Alphéi fluminis oſtium & Leuctra Laconica, jam tum nominabatur: nomine quidem tenus, *Meſſeniorum* terra; reipſa verò (ſi confiteri, quod res eſt, volumus) Laconum, Argivorum, & Polycáonis ac Meſſénes, latrocinium, & rapina. Cæterum, in hunc quem dixi, modum rex effectus *Polycáon*, & regina *Meſséne*; regiâ tamen adhuc carebant: quam omnes ſimùl, in unum contracti, *vici* non conſtituiſſent; nec ad eam, quæ reges decet Europæos, magnificentiam evexiſſent. Quare, ne *pagana* tota foret Meſſenia; confeſtim ad urbes & oppida condenda rex animum adjecit: &, ut eſſet, ubi pro ſplendore ſederet; *Andaniam*, cæteris amplitudine munimen-

nimentísque præstantem, regni caput exstruxit. Ad *Messénem* porrò *reginam*, Andaniæ jam habitantem, *Caucon* quidam, cum *Orgiis*, venit; *Magnarum* (quas prisca Græcia nominabat) *dearum* cæremoniis. (*h*) Eas hic *Eleusinâ*, vicinô tunc Athenis oppidô, deportârat; Eleusinius ipse patriâ, Celæni (*i*) filius, Phlyi nepos. Et ea superstitionis pravæ mysteria, *Messéne*, Regina, prima tunc ætatibus secuturis, tanquam *Sanctißima* Religionum pignora, deposuit; omnî populorum reverentiâ prosequenda. Supervénit autem Caucóni, quem dixi, multos post annos, *Lycus*, Pandíonis filius; Athenîs eò profectus. Is omnia, quæ *Caucon* quondam importârat, circa *Magnarum Dearum* Orgia, celebriora fecit, augustioráque: *lucô* præterea, priscos ad ritus, & aliô detestabilium Sacrorum splendore multo, superadjectô. Quæ nos tamen, aliò properantes, ad Pausaniam, cæteróque, quos secutus est ipse, priscarum religionum admiratores, libenter remittimus: quippe, *Christiani*; quibúsque propterea meritò, *Sathanica* veterum illorum *Sacrificia, plus allii sterquiliniiq́ue, quàm thuris & liliorum, olere debent.* Sit satìs, submonuisse: *Messénês* reginæ profanissimam

Ruina Messeniorum.

hanc Cerealium, cæteríque generis Sacrorum, religionem, ut ex Attica deportatam primò; ſic poſtea *regiæ-Sacerdotis (k)* exemplô per univerſam fuiſſe Meſſeniam, ac finitimas ei Peloponneſiorum oras, diſperſam. Ità coli *Juppiter*, in Ithómes montano vertice, cœptus eſt: ità *Macháon*, Aeſculapii filius (hoc eſt, *figmētum, è figmento*) victimîs apud Gereniam, ſeu *Choerium-ſaltum (l)*, honorari. Sic ab *Iſthmio* poſtea, *Górgaſo, Nicomachóq;*, mortuis olim hominibus tanquã vivis etiamnum DIs, apud Pheras urbem, templum ædificari. Sic *à Sybóta* (qui nepos Iſthmii, Dotadæq; filius, fuit) Meſſeniorum reges, non parentare tantùm Eúryto juſsi, cujus in agro Meſſenio tunc *oſſa* ſervabantur: ſed etiam anniverſaria facere ſacra Paniſo, de quo ſuperiùs dictũ eſt, amni: rei, quæ nec animam unquam, neque vitam, quantò minùs ergò *Divinitatem*, habuiſſet. Sic denique, præter alia religionum impiarum, ſine numero, deliria, *Meſſenen* ipſam, unà cum *Polycáone* marito, Dorienſium in fanô; *ſolam* autem, ac ſinè conjuge, Divinitatis & honorum collegâ, Gerenias ad aras, Glaucus, Meſſeniorum & ipſe regum unus, conſecravit: vel ut *Deam*, vel ut *Semideam &*

Heroi-

Heroidem, ſuper menſam, DIs immortalibus accubantem. Quibus rebus factum eſt: ut, hac Numinum faciendorum fingendorúmque proterviâ; ſicut cętera Græcia, ſic & Peloponneſus, Divîs, & Indigetibus, impleretur univerſa: nullâ non urbe, vel oppidô, pænéq; nec pagô, monte, ſaltu, ſpeluncâ, proprium aliquod, & *ſui* quaſi *Cœli*, Numen oſtentante. Quare tantâ mortalium illorum inſaniâ, quantâ meritò Cynicæ-Philoſophiæ princeps clarô meridie ſuccensâ laternâ *cœtum humanum* quæſiſſet: *faciliùs* aliquis (quod apud C. Petronium ancilla Pſyche dicit) *Deum inveniſſet, quàm hominem.* Cæterùm, ſinè liberis, aut certè tenuî nomine gloriáque fulgentibus, Polycáone Meſſenéque, vitâ perfunctîs *(m)*; non ideò regnum extinctum eſt Meſſeniorum: ſed, ut apparet, ad propinquos, vel alterutrius eorum, vel utriuſque, ſucceſſionis quadam imagine, conſensúque multitudinis, delatum; in quintam hominum *ætatem*, ſeu, quo modo ſacri codices loquuntur, *generationem (n)*, ſemper habuit, à quibus placidè tranquilléque tractaretur. *Polycaonidarum* verò demum omnî progenie ſtirpitus exareſcēte; gubernacula ſuſceperunt ii, quorum ad

Ruina Meſſeniorum.

nos famosa nomina pervenerunt. Eorum primus, in imperium aliunde, Messeniis postulantibus, evocatus, Aeoli cujusdam filius, *Periéres*. Hic Meláneo, sui temporis sagittariorum excellentissimo, quîcum ei fœdus intercedebat hospitii, Messeniæ regionis partem, *Oechaliam* eâ tempestate dictam, possidendam assignavit. *Periéri*, vivis exempto, successêre, quos is è Gorgóphone Persei filiâ susceperat, *Apháreus*, ac *Leucippus*, legitimi filii. Quorum, *Apháreus*, qui matris suæ Gorgophonês, ex alio marito, filiam, *Arénen*, habebat in matrimonio; novam in Messeniis urbem, sibique deinceps Regiam, condidit: conditámque, pro temporum illorum vulgò receptâ consuetudine, nomine suæ conjugis insignivit: ut idem esset utriq; nomen, & ei, de qua genus suum; & ei, de qua regni majestatem, propagaret: paritérque dicerentur, & *Vxor*, & *urbs*, Arena. Quod porrò fecerat in Meláneo Periéres; ut Messeniacæ terræ partem ei (sicut dictum est) Oechaliam assignaret, insidendam: idem fecit & Apháreus hic, post annos aliquot, in Néleo, Nestoris genitore; dum ei profugo, non hospitium tantùm, sed & agri Messeniaci partem

tem illam, quæ pelagus adjacebat, Zephyrum inter ac Notum, incolendam regendámque dedit. Ibi *Pylos*, oppidum poſtea regium, aut conditum, aut amplificatum. Cùm autem *Aphâreo*, fatîs functo, filii duo ſuperſtites eſſent, ex *Arena*: minor eorum natu, trucidatus in certamine, pro pecoribus ac paſcuis; fratri, cui nomen *Idæ*, regnum omne, jam æmuli timore vacuum, reliquit. *Idas* autem ipſe, flammâ nubium exanimatus, domum Apharæam omnem, unà ſecum, extinxit. Ità Meſſenii rurſus, ſinè rege, ſupremóque capite, degebant; parata finitimis exterísve præda: donec (quod diu dilatum non eſt) *Nélei*, precariò quondam in regni partem accepti, filius, *Neſtor*, Meſſeniorum terram omnem, exiguâ demptâ regionis particulâ, Meſſeniis ultrò deferentibus, poteſtati ſuæ ſubjungeret. Et hic igitur, & ex eo geniti *reges*, deinceps, non *Pyli* tantùm ſed *totius Meſſeniæ*, dominati ſunt, unam & item alteram, hominum ætatem. Supervenientibus autem, poſt iſta, Dorienſibus, qui pars & ipſi Meſſeniacæ regionis indigenarum erant; & Neſtóridis Heraclîdas, Herculis Græci poſteritatem, ſuperinducentibus: ejecti Neſtóridæ, Neleíque ge-

Ruina Meſſeniorum.

nus omne, ſunt: imperitârunt autem Heraclîdæ. Quorum, *Creſphontes*, quam ultrò ſibi depopoſcit, ac, ſortibus in Oraculi ſitula nequiter depravatîs, regendam accepit, eam rexit: ſed fraude, ſeris etiam poſteris, per ſummam Laconum invidiam, exprobratâ; quòd Laconici ſensûs ac ſanguinis Creſphontes non fuiſſet. *(o)* Is porrò, potentiâ jam conſtabilitâ, Meropéque, Cypſeli regis Arcadum filiâ, ſibi nuptiîs conjunctâ: primùm quidem filios ex ea complures ſuſtulit; deinde novam ſibi liberíſque Regiam, *Stenyclérum* urbem, exædificavit: in qua, ſicut *Andaniam*, *Arénen*, ac *Pylon*, reges priores inſediſſent; ità Creſphontéa poſthac poſteritas habitarent: indéque Meſſeniis jura darent. Sed non diuturnum *Creſphontis* hoc, nec conſilium fuit, nec imperiũ, atque vita: quippe, tumultuantibus adversùs eum Meſſeniorum Optimatibus, tanquam *plebi*, quàm *proceribus*, addictiorem; ideóque, tum ipſum, tum familiam ejus univerſam, quantum in ipſis fuit, concurſu factô, de medio tollentibus. Solus effúgit communem generis ſui ſtragem *Aépytus*, filiorum Creſphontis, ac Méropês, natu minimus: ut, qui tunc, quando ſævitum in patrem ac fratres

eſt,

Ruina Meſſeniorum.

eſt,apud avum maternum,regem Arcadum, educaretur : tanquam unica ſtirpis adhuc ſcintilla , tantæ cladis incendio ſubtracta. Nec id, ſinè fatorum , ac divinæ mentis,providentia,viſum eſt, eveniſſe. Nam hic in familiæ poſtea lumen, ac ſplendorem novum, præter ſpem ſuam, & contra partium inimicarum opinionem omnē, emicuit; Arcadum Dorienſiúmque communibus armîs , in regnum paternum reductus. In eo rex *Aépytus*, ſaniore,quàm pater,conſiliô,*plebem*,ex æquo, *nobilitatémq;*, beneficiis & obſequio complexus: & ſibi pariter imperium peperit longævum; & ex ſe natis, natorúmque poſteris, firmum & inconcuſſum. *Aepytidarum* itaque, quo nomine ſucceſſores deinceps omnes celebrari cœpti ſunt, haud obſcurior appellatio, generiſque claritudo, quàm *Heraclidarum* antehac,effulſit. Eum in regno poſt hæc ordinè, Glaucus filius; Iſthmius,nepos; Dótadas, pronepos; Sybotas,abnepos; Phintas, atnepos, ſubſecuti ſunt: omnes Aepytidarum ſanguinis, in Meſſenia, *Reges* : nec *Aepyti* minùs *humanitatis* in ſubjectos , quàm *Nominis*, hæredes. QUOD *Nomen* utique, majorum ab Origine, faciliùs in poſteritatem, quàm *mores*, tranſ-

funditur. ideóque, ſine generis antiqui virtutibus, clarum eſſe, ſonorúmque, poteſt: verè tamen generoſum, ac perpetuum, eſſe non poteſt. Hæc de prima *Meſſeniorum* appellationis origine; de gentis illius *Regibus*, Pauſaniæ ſecuti lampadem, in tam denſa vetuſtatis retrò nocte caliginéque, quantùm aſſequi videndo revidendóque potuimus, proſecuti ſumus: in compendium redactîs iis, quæ diffuſiùs ſcriptor Græcus exſequitur. Nunc ad *belli Meſſeniaci* cauſſas, & principia, pedem, inter Antiquitatis regalia rudera laborioſè tantiſper, ſed ad ſequentia fortaſſis haud inutiliter, remoratum, promoveamus.

IV. Sicut, teſtimoniô Sapientis (*p*) *infandus Idolorum cultus*, ab omni ſemper retrorſum ævô, *malorum omnium cauſſa fuit*, *& initium, atque finis*; ità, *Meſſenios* inter, ac *Spartæ cives*, evénit. Regnabat apud Lacedæmonios *Téleclus*, vir fortis, Archelái (*q*) filius, Ageſilai nepos; ex Agidis antiquo, bellicoſóque, genere prognatus. Meſſenios autem, is, quem ſuprà nominavi, *Phintas*, è Glauci Creſphontíſque progenie, ſub idem ipſum tempus, regebat. Stabat autem in *Limnæ* caſtello, quod erat in orâ Meſſeniorum *interiore*, ſicut ait

ait Pausanias, Laconibúsq; finitimâ, delubrũ, *Artemidis* dictum, cognomento *Limnatidis*; quam Deam, Romanô sermone, (si præsertim à *Limnæ* castelli patriâ significatione recedere libeat) rectè *Dianam* interpretari *Lacustrẽ*, Palustrémve, possumus. (*r*). Id fanum, stagno, sicut ego suspicor, aut locis paludosis, adjacens; soli, cum Doriensibus (*s*), Messenii, Spartaníque, sic habebant inter se, jam priscis à temporibus, commune; nullis ut cęterorum Peloponnesi, Græcięve populorum, aditus eò pateret. Fortè sic usuvenerat; ut in unum eundémque diem, & Messenii, Dianæ Limnatidi sacrificatum, exirent: & in chorum inciderent *Lacænarum* (ut Spartani referunt) ætatis adultæ *virginum*; ad idem ipsum Artemidis templum supplicandi gratiâ properãtium. Ibi tum (si Lacedæmoniis, eorúmque narrationi, fides est) ea Messeniorum fuit juvenum intemperantia, cupidiniśq; rabies: ut, vel turbatîs, vel nec inchoatîs quidem, Dianæ Sacris, in puellas, sacrificantium cultu splendidiùs amictas, & ideò formam etiam petulantium oculis commendatiorem faciẽtes, impetum facere, vímque repugnantibus palâm inferre, non vererentur. Cùm autem

Ruina Messeniorum.

eódem tunc articulo temporis, cum ſuorum comitatu, rex Spartanorum *Téleclus*, ſeu casù, ſeu conſiliô, religioníſq; ſtudiô, delatus, violentiæ Meſſeniorum, Virginúmque Spartanarum clamoribus, interveniſſet: verbîs primò; deinde, cùm *libido ſurda ne regias quidem dehortationes ac minas admitteret*, ferro ſuô, ſuorúmque popularium, ſuarum tutari pudicitiam, eſt aggreſſus. Sed, Meſſeniis *à Venere* ſe transferentibus ad *Martem*, nec minùs alacrî ſe manu defendẽtibus, adversùs Spartanorum paucitatem; multitudine ſuperobrutus, rex *Téleclus*, in certamine, pro ſuarum pudicitia, ſuccubuit. Virgines autem, & hinc quidem pudoris ſui florem, & illinc pro tutela floris extinctum Regem ſuum, dolenter admodum ferentes; nec auſæ parentum deinceps, civiumque ſuorum, cum hac gemina, funeris regii, corruptíq; corporis, plagâ, conſpectum ſubire: volũtariâ ſe morte de medio ſuſtulerunt omnes. Hæc ità, quemadmodum expoſui, de ſtupris, ac ſacrilegio, déque cæde regis, tanquam *à Meſſeniis* perpetratâ, narrare *Spartani* conſueverunt. Quæ tamen ſi ſic omnino geſta fuerant: quare tam inſignem hanc, & in Deam Virginem, & in Virgines,

gines, Deæ cultrices, & in regem denique, Rémque Lacónum publicam, admiſſam injuriam, Lacedæmonii non, aut confeſtim ulti ſunt; aut aliquantô tamen pòſt: ſive quæſtione de Cæde, déque Vi, legibus habitâ; ſive, ſi Judices officio defuiſſent, armîs, & acie? Quã, ſinè controverſia, liquidam armorum cauſſam æquitatémque Peloponneſus omnis, atque Græcia, contra violentos Meſſenios, non ſententiis tantùm adjuviſſent; ſed copiîs etiã, atque manu? Nunc autem ſiluerunt *Spartani*, quieverúntque: gens, cæteroquin, ut videri volebat, æquitatis, ante gentes alias, exactrix, diſſimularéq; contumelias publicas inaſſueta: neque, vel verbô quidquam, apud Achaiæ commune concilium, vel ferrô congreſsúq; Martiô, moverunt, adversùs Meſſenios. Idque, quod judicare pronum eſt, ex conſcientia doli mali, quo priores ad injuriam fuerant: & hoc, non *Télecli* regis ſolius, ac privatô, ſed Spartanorum omniũ publicô conſilio, plebíſque ſcitô. Quo factũ eſt: ut, ſuper ea controverſia, non uno tantùm anno, vel alterô, tertióq;, nec uno decennio, vicennióve; ſed *ſolidô* juſtóq; *Sæculô*, ſilentium ageretur altiſſimũ. Propiùs itaque fidem, ac rei geſtæ veritatem, eſt:

est illud, quod super gestis, ad *Dianæ-Limnatidis*, utriusq; populi rebus, semper posteris suis per manum *Messenii* tradidêre. quorũ sic habet se narratio. *Spartani*, Messeniorum agri bonitatem, & amœna maritimorum finium, præ suæ regionis horridiore mediterraneóque campô, sæpius admirantes: *in illius* tandem, ut *è vicinæ felicitatis Invidia* fieri solet, *amorem & cupiditatem inciderant*. Ut autem eo potirentur agrô, suisque finibus adjectô, potentiam ac spatia dominationis, cum opibus pariter, amplificarent: re deliberatâ, decreverunt; si per compendium ad vota sua pervenire festinarent, ex opportunitate, Messeniorum Optimates sub unũ esse tempus aliquod inexspectatũ opprimendos. Sublatîs è medio Capitibus, infirmiores, ad vim propulsandã, populi fore manus. Tempus porrò, destinata perficiendi, non aliud opportunius oblaturum se; quàm cùm ad *Dianæ-Palustris*, utrimq; , solemnî pompâ conveniretur. Necunde verò consilii Spartanorum ad Messenios ulla posset emanare conjectura, vel suspicio: pro virginibus illis puberibus, quibus, ex more, chori, sacráque Dianæa, committi deberent; cultu puellarî *Juvenes imberbes*, sed ad

ad audaciam exercitatos, & ſuo quemq; pugione ſub veſtibus inſtructos, ad delubrum mitti placere: qui formoſarum *virginum habitu* ſpeciéque Meſſenios in inſidias pertraherent. In hunc ergo modũ compoſitâ fraude, die conſtituto, cum ficto virginum illo, mentitóque cœtu, rex Spartanus, ad *Limnatidis* fanum accedit. Accedunt eodem & Meſſenii: qui, fallaciæ cæteroquin ignari, tamen, è Lacænarum, quas putabant, tum greſſu, nimiùm maſculô militarîque, tum ex incedendi, canendi, loquendíque ritu, malè virum diſſimulante, latentis neſcio quid hoſtilitatis odorati; nihilo ſecius, ex more, ſecundùm templi parietem interiorem conſederunt: præſtolantes, quémnam ſuſpecta res finem eſſet habitura? Cônſident invicem, è regione, cum rege ſuo, Lacedæmonii, Lacænæque fictæ; non tam in rem divinã, quàm in ſignum, quod ex compoſito dandum eſſet, intentæ: diſtrictiſque, ſignô datô, dolonibus, in Meſſenios impetum facturæ. *Sicut autem nullius diſſictæ frontis, ac vultûs, tam abſtruſæ ſunt latebræ; quin, per aliquam ſaltem, aut geſtûs, aut naturalis affectûs, ſe rimam prodant:* ità Meſſeniis, ex malè quietâ Spartanarum, (quæ

Ruina Meſſeniorum.

(quæ ſimulabantur) virginum ſeſſione, tanquam deſtinati facinoris moram impatienter ferentium; necnon, è flammantibus earum in cædem propinquam oculîs, aciéque pluſquam fæmineùm ardente, ſuboluit: *Aliquid profectò ſceleris, & hoſtilitatis, adversùm ſe conceptæ, mente volvi.* Conjungunt itaque capita: *nictibúſque* veriùs, ac ſuſurris, quàm *verborum* habitô conſiliô, prævertendam eſſe paratam ſibi perniciem, decernentes, & nutibus alter alterum exſtimulantes; ſimùl unà *Meſſenii* conſurgunt omnes: ínque *Spartanas* (quas ſeſe ferebant) impetu facto, ferróque diſtrictô, minaciter; *Númnam verè Spartanæ ſint? &, num pacem magìs, an hoſtilia, meditentur?* interrogant. Illos, *reſpondere*, vel dedignantes, vel implexè tergiverſantes; adoriuntur: direptíſque primô ſtolîs & amictu, corporum interiora ſcrutantur. mox, & *ſexûs* deprehensô *mendaciô*, quod renudata pectora prodebant, & ſub amictu repertîs pugionibus; in eos, tanquam profeſſos hoſtes, cæſim punctímque ſæviunt: &, in medio ſacrorum apparatu, nihil veriti loci religionē, ad unum omnes contrucidant. *Téleclum* quoque, *regem* eorum, jam tum ab initio ſcrutationis

tionis ſuorum, verbis, & clamoribus contrà nitentem, ac *fœderis læſam fidem*, *Dianæq́ pollutas religiones*, & *alia talia*, quiritantem, armis compeſcunt: & arma denique contrà ferentem, nullâ porrô maieſtatis habitâ ratione, cæterorum cædi ſuperadjiciunt. Ipſi, diſpoliatîs cadaveribus, cum præda non aſpernandâ (quia Lacedæmoniorum nobiliſſimus quiſque, non ſinè largis, ad oſtentationem, donariîs, eò venerant; ac ceciderant) ad ſua ſe recipiunt. (*t*) Hæc igitur, quam attulimus, *Meſſeniorum* eſt, ſuper eo facto, *narratio*: digna, quam & Pauſanias, (*Laconibus* alioquin haud inimicus) in medio ſaltem relinquat; & in lectoris, *amplectine malit*, *an ei derogare fidem*, arbitriô conſtituat. Nobis, utra veritati propior eſſe videatur; ex iis, quas ſuprà produximus, conjecturîs jam deinceps integrum non eſt, in utramque partē rationibus ventilare. nam, judicium à nobis eſt *ſecundùm Meſſenios*, *contra Spartanos*, datum. In quo proinde meritò perſeveramus: quippe, *Sinceritatis*, *adverſùs aſtutiam*, *fautores*. Ex his interim, in hunc, quem retuli, modum geſtîs, apparet: *Quanta ſit impudentiæ, ſemel ad calumniam impingendam obfirmatæ*, *vis*;

Ruina Meſſeniorum.

vis; ad Mendacium, imagine Veritatis induendum: ut, nisi rerum actarum, quas annorum vetustas obscurare cœpit, caligo, lumine saltem argumentorum & conjecturæ tandem illatô, discutiatur, &, quod res est, protrahatur è latibulis; Veritas figmenti, figmentúmque veritatis in sedili, regnet. Ità nequitiâ factum est, ac scelere, Spartiatarum; qui, quam injuriam Messeniis intentârant, ejusdem culpam, in eorum caput, falsissimâ criminatione retorserunt: ut per *universam* deinde *Græciam* rumor hic invalesceret; *Ad fanum Dianæ supplicatum venisse Lacedæmonios: qui tamē doli mali, cædisq; faciendæ, caussâ venerant. Sacrificatum adfuisse Lacænarum virginum chorum; qui Laconum tamen militū globus fuerat. Per petulantiam, ac libidinē, in puellas irruisse Messenios; qui potiùs salutis, ac servandorum suî caussâ, Lacedæmonios aggressi sunt. Fœdè contrectata castarum corpora, devirginatáq; Messeniorum intemperantiâ, fuisse; quæ nihil ultra, quàm explorata, fuerant. Pudorem eis ereptum; quibus indumenta fallacia detracta, quibus arma latentia sunt extorta. Seipsas, amissæ virginitatis verecundiâ, jugulâsse: cùm ferrô tamen alieno, sed suî tutelæ caussâ sumpto, Lacones interierint. Ad summam! vim illatam pudicitiæ Lacæ-*

Lacænarum, à Messeniis: cùm hi revera vim, in se comparatam, vi, Laconúmq; morte, repulerint. Sic ergo Spartanorum *Iniquitas*, aliquamdiu mũdo, cum ingenti Messeniorum invidiâ, sed ad extremum *Sibi* quoq;, *mentita*, famæ suæ dispendió; justioribus rerum æstimatoribus, æterno fieri probro cœpit. Paullatímque *Lacedæmonii, veteris* illi *veritatis, candoris, abstinentiæ, Justitiæq; jactatores*, sicut omnis alia laus *Virtutis-Idololatrarum*, in improbitatis suspicionem, ac fumum, evanuit. Id nos, ne calumniari potiùs quàm ex meritis suis describere Spartæ cives, videamur; ex alio quodã improbissimo, tum hominis privati, tum universæ civitatis & Ephororum, in *Messenios* delicto, palàm faciemus: ut appareat, *Veræ Virtutis Scholam, nec apud Lycurgum, ejúsque Leges; nec Spartæ*, sicut olim jactabatur: *sed in Christo demum, & Civitate Dei, quæ nunc est ECCLESIA, reperiri.* SPARTA, plus *bellicæ* laudis, quàm forensis, ac *veræ*, tenuit: *LACONVMque, non Sermo brevior, quàm Æquitatis commendatio, fuit.* NIHIL enim *Simulatum, pariter & Diuturnum est.*

V. Cùm igitur, tanquam sub cinere-malè *mortuus*, maléque *vivus*, ignis, opertæ ve-

Ruina Messeniorum.

riùs, quàm extinctæ, Messeniorum ac Spartiatarum simultates, integrô propemodum, ut dictum est, sæculô, scintillarent; & in alterum alter, uterque populus, odii bullientis caussam culpámque conjicerent: *reges* interea, tam apud Lacedæmona, quàm in Messeniis, alii prioribus, fatô sublatis, successerant. Et Spartæ quidem imperabant, *Alcámenes*, Teleclææ stirpis (*); ac *Theopompus*, (nam bini, *nomine* veriùs, quàm *Potestate* summâ, Lacedæmone regnabant) alterius familiæ regiæ: quæ, multîs posterorum gradibus, ab Euryponte descendebat ad Nicandrũ, Theopompi genitorem. (*u*) *Messeniis* autem itidem bini, *regiô* non minùs nomine, sed potentiâ (sicut ego reor) minùs aliquantò, quàm apud Spartanos, restrictâ, jura dabant, *Antiochus*; & *Androcles*, Phintæ regis, dè quo superiùs dictũ est, proles, Æpytidarum gentis. (*x*) His igitur utrimque Regibus, illa, per tot annos malâ fide suppressa, Lacedæmoniorum, ac Messeniæ gentis, mutua vindictæ cupiditas; in apertum hostilitatis incendiũ, cruentîs armîs, erupit. Occasionem, *Omnis mali publici plerumque prima fax, Avaritia, crudelitate mista*, præbuit; hominis quidem privatæ

vatæ ſortis, ſed Reipublicæ ſuæ malô geniti. Lacedæmonius erat, *Evæphnus* nomine, vir, rei pecuariæ juxtà pecuniariæque, ſtudioſus: & homo, cuj viliora ſemper, fides, ac bona fama, quàm lucrum, & divitiæ, fuerunt. Hujc, utì gregum armentíque magna copia; ſic loci compaſcui latum opimúmque ſpatium, & ager, erat. Is ager, in ipſis Laconiæ finibus, quà Meſſeniam adjacebant, ſitus; nec celare bonitatem ſuam finitimos, nec abſcondere Meſſeniis dominos poterat, ac poſſeſſores ſuos. Celeriter igitur amicitiæ jus, & hoſpitii mutuam neceſſitudinem, Evæphnus hic, Lacon, apud *Polycharem* invênit Meſſenium: qui, perhumaniter invitatum, acceptúmque; non minore quoque, quàm neceſſarios intimos, liberalitate, pluſquam ſemel, iterúmque, tractavit. (*y*) Erat autem hic, de quo ſermo nobis, *Polychares*, tum aliîs aliunde nominibus haud obſcurus, & ignobilis: tum verò, quòd in Olympico quondam ſtadio *curſor* viciſſet, universâ Græciâ celebris; pro ſæculorum illorum, ac gentium, conſuetudine: quibus (ſicut & ſuperioribus in libris, ac nominatim, *Timanthis* in Ruina, dictum eſt) *Olympionicem* eſſe procla-

Ruina Meſſeniorum.

matum, & coronatum, pæne tantundem erat; ac, *Semideum* esse, *cœlò demissum.* Huic igitur tali, cùm boves essent multæ; prata contrà pascuáque, pro rei necessitate, nulla: consilium incidit; pastionis caussâ, pecora sua compertæ (sicut existimabat), ac dudum jam spectatæ, bonitatis viro, quem diximus, *Evæphno* Lacedæmonio committere. Nec detrectavit alter. Pactum inter utrumque fuit: ut inter sese pecoris Messeniaci fructus, ac fœturam, *Lacon*, & *Polychares*, partirentur. Erat hæc, *æqua*, vulgóque nec aliis inusitata, pastoritii laboris & impendii, *conditio: si, quātùm promittere, tantùm & stare promissis, cupiditas Evæphni potuisset.* Sed hic, post temporis aliquantum, & fidem projecit, & beneficiorum Polycharis memoriam: oblatáque quæstûs opportunitate, Messenias vaccas omnes, à suísmet segregatas, unà cum *Polycharæ* bubulcis, navibus impositas; ad Laconiæ maritima loca, de continenti terra, transportavit: ibíque talium opum negotiatoribus, & boves vendidit, & boum custodes. Ipse verò, totus è fraude compositus; acceptâ, recōditáque domî, furtô-partâ-pecuniâ: rectâ deinde pergit ad hospitem Messenium. Ei, diffi-

ctô

Ruina Messeniorum.

ctô frontis ac vultûs, in mœrorem, habitu, falsísq; fluentibus lacrymîs, ejulans, & capillos sibi vellens, ultrò, priórque, *Calamitatem* nuntiat, cladémque domesticam. *Absente se, piratas, Laconicum in littus exscendentes, ac posthæc in continentem, agmine factô, progressos; fortè fortunâ primùm in armentum incidisse Polycharis: quod, à suopte tunc pecore diversâ pascuorum parte, sit habitum. Id, unà cum pastoribus suis abactum, in myoparones suos imposuisse piratas: continuóq; notas latronibus in Insulas, vela fecisse.* Loquebatur hæc, & alia talia, mendax *Evæphnus*, Polychari, filióque; qui præsens & ipse tunc erat, propemodúmque fidem jam indubitatã, verbîs, omni calamitatis acceptæ commiseratione refertîs, faciebat; cùm repentè casus, seu planè fortuitò, seu Providentiâ Numinis, interveniens, omnem *Evæphni* fallaciam evertit. Ecce namque! *bubulcorum* Polycharis, quos, unà cum pecore, mercatoribus *Evæphnus* vendiderat, *unus* quispiam, institorum elapsus manibus; viîs, minùs tritîs, & multùm potiùs aviis, per extremos Laconiæ fines in Messeniam, & hinc ad *Polycharem* herum, reversus erat: *Evæphni* perfidiam ei, cunctáque, quæ circa pecus acta fuerant, ex

Ruina Messeniorum,

fide relaturus. Supervénit igitur *Evæphno*, nihil tunc minùs exſpectanti: túmq; vel maximè fortunas *Polycharis* verſipellî facundiâ miſerantem, opprimens; *primò ſtatim ſuî conſpectu* (*ſicut fieri, malè ſibi conſcias apud mentes, amat*) *in pallorem dedit. Conſternationem* autem hanc, *Sceleris admiſſi, mutam quidem, sed omnî tamen ſermone diſertiorem, planéque manifeſtam, confeſſionem* auxit paſtor, cum jurgiis eum aggreſſus; & abacti venditíque pecori tam confidenter eum arguens: ut *Evæphnu* tandem, quod negaret, nihil inveniens; omiſsâ, quam paraturus fuerat, ſuî defenſione, *ſ furti, violatiq; juris hoſpitalis, ac fidei, reum* lacrymans *clamaret*. Nec is aliud, ad ſui facinoris patrocinium, reperiebat effugiū: quàm ut ſuum, hominis privati, delictum, in *commune mortalitatis malum, Lucri cupiditatem*, transferret: à qua ſe victum, gemebat, & expugnatum. Genibus interim, & *Polycharis*, & fili (z) ſuppliciter áccidens; utrumque, facti veniam, & violati juris oblivionem, orabat. Ad illati diſpendii compenſationem, ac reſtitutionem in integrum, quod attineret; exhiber ſe nunc ſtatim venditi rationes. Quòd autem nummos impræſentiarum penès ſe non

habe

Ruina Meſſeniorum.

haberet, ſed domi ſuæ repoſuiſſet : obligare ſe tamen fidem ſuam ſolutioni plenæ. quam, ſi metuerent illi, ne pari mobilitate mentis, ac priùs feciſſet, infringeret: petere ſe, filius ut *Polycharis* ſecum *Spartam* iret; ibíque repræſentatum ſibi pecoris venditi pretium, ad aſſem uſque receptum, patri reportaret. Hîs dictîs *Laco* perfidus, & paſtoris infregit accuſationem; & *Polycharæ* mentem, alioquin injuriâ tumidam, demitigavit: ac, viæ comite ſecum aſſumpto *Polycharis filio*, continuò Lacedæmonem versùs iter inſtituit. In hunc itaque modum, controverſiæ, *Laconem* inter, ac *Meſſenium*, finis, ut apparebat, erat: nondum tamen ſcelerum erat *Laconicorum* meta. Sceleſtus enim *Evæphnus*, ſimulac in interiora Laconiæ ventum erat; poſteaquam extra Meſſeniorum omnium conſpectum vindictámque ſe conſtitutum vidit: non ſolùm pecuniam Polycharis filio, quam ejus patri pro pecore, nequiter abalienatô, debebat, non repræſentavit; ſed inſuper, ne ſupereſſet, cui repræſentaret, aut, qui ſolutionem in futuros annos urgeret, adoleſcentem, viæ comitem, & exactorem, *Polycharis*, inquam, *filium*, ex inſidiis, in ipſo trucidavit itinere; pri-

Ruina Meſſeniorum.

usquam Lacedæmona pervenirent. Pecuniā autem, malè priùs partam, pejore deinceps facinore, vindictæque securus, possidere perrexit. Non potuit tamen diu latere tam atrox, neque factum, nec auctor facti, *Polycharem*, occisi patrem; longo tempore, sed frustrà, filii reditum, cum apportandis nummis, exspectantem: quò minùs ei primò suspicio cooriretur in animo, multa formidante viarum pericula; fieri potuisse, quod revera factum jam erat. Ad sum̃am! pedetentim deinde, præterlapsu temporis diuturniore, rumore nuntiante, diéq; cuncta latentia retegente, pervénit *genitor* ad notitiā, ab *Evæphno* trucidati *filii*. Cùm ergo jam extra dubitationem omnem cædes hæc esset: immensô concussus animi, sicut æquum erat, dolore Polychares: *Spartam* se confert. Ibi primò *regibus* duobus, *Alcámeni Theopompóque*; mox & Spartanæ civitatis *Ephoris*, à principio rem omnem, & *Evæphni* scelus, ordinè, nec sinè copiâ lacrymarum, exponit. *Vt in amicitiam primùm ac familiaritatem, hominem illum receperit: ut domus ei sua, nunquamnon, velut hospiti charissimo, patuerit: utì, præ cunctis Lacedæmoniis aliis, ei sese totum intimè crediderit, sinè fraudis ullius,*

aut

aut doli mali, suspicione. quo pacto praterea pecus omne suum ei pascendum, conditione perquàm quæstuosâ, locaverit. quâ contrà perfidiâ, commissæ sibi rei præclarus ille tutor atque custos, Evæphnus, pecus, latronis instar, abegerit: abactum, unà cum pastoribus, vendiderit: latrocinium insignî mendaciô, prædonúmque figmentô, velare sit conatus: convictus autem admissæ perfidiæ, professus item, deprecatúsque culpam; adnumeratione pecuniæ, restitutionem pollicitus fuerit: filium abduxerit: abductúmque, sicarius exsecrandus, interfecerit. Pro quibus, tot improbè factîs, Evæphnum se, non repetundarum tantùm actione siccâ, sed & Capitis, postulare; siquid adhuc (quod minimè dubitaret) prisci moris ac Juris in Spartanis esset. Dicebat hæc, & expostulabat, *Polychares*, apud *reges*, apud *Ephoros* (utì dictum est) & ad Spartanos passim summos infimósque; Deorum obtestans hominúmque fidem: ne tantam improbitatem, immanitatémque, belluinam potiùs, quàm homine dignam, sinerent inultam. Sed dicentem, expostulantem, obtestantem (quod, hodie quoque fieri sæpe, lamentamur) non reges, non populus, aut populi primores, attendebant. Ità miserrimus genitor, justissimâ suâ

Ruina Messeniorum.

jugulati filii deploratione, non tantùm *næniam* ſuo *mortuo* (quod vulgò dicimus) ſed planè *fabulam ſurdis* Lacedæmoniis, cantabat. Hæc igitur *Juſtitia Spartanorum* erat; laudatiſſimæ quondam, & in paucis claræ cæteroqui, gentis. Hæc éadem ne *Chriſtianorum* ſubinde ſit, hac tempeſtate; curâ magnâ tribunalibus omnibus eſt providendum. Cæterùm depulſus cauſsâ ſuâ, cujus alioquin vel barbari, Scythæque, nedum *Græci*, cognitionem ſuſcepiſſent; ad *Meſſenios* ſuos *Polychares*, infectâ re, frendénſque, revertitur: ibíque, quâ mentis indignatione fervebat ipſe, vindictam & exitium *Spartiatarum* ſpirans; eádem & gentiles ſuos paſſim incendebat. Nec contentus, æſtu furoris, & ultionis cupiditate, corde-clausâ; prorupit tandem in vindictam interfecti filii, *privatâ* ſaltem *auctoritate* de Lacedæmoniis expetendam: cùm jus ſuum adipiſci *legibus*, ac *judiciis*, non poſſet. Et verò, non conſiliô, ſed planè de mentis poteſtate ſenſim dejectus, & animo magnitudine doloris alienatô; facinus eſt aggreſſus, quod *Evæphni* truculentiam, in filium admiſſam, multîs facilè partibus antecederet: illiúſque, vulgò famoſam jam,

Ruina Meſſeniorum.

jam, ac flagrantem, invidiam, audaciæ deterioris invidiâ mitigaret; & propemodū jam extingueret. Ferrô namque semper accinctus, &, ut *Olympionices* vetus, adhuc roboris antiqui reliquias in lacertis obtinens; itinera passim, latronis instar, obsidebat. Et in omnes intentus occasiones; ut in quemque Spartæ-civem casus eum, aut locorum opportunitas, impegisset: eum continuò, nec opinantē, interficiebat. Eique, tametsi nulla præcessisset in obvio caussa moriendi, mortis ad caussam satis erat; urbis illius esse civem, cujus alumnus esset is, qui Polycharæ filium interfecisset, & tamen interfectionis nondum pœnas dedisset. Ità, *quod peccârat in Polycharem unus, luebant omnes: quia peccati supplicium dissimulârant omnes.* Cùm autem in hunc, quem dixi, modum, ferrô Polycharæ Lacedæmoniorum ingens jam numerus inultè cecidisset: Spartæ Proceres, defatigati malîs, & in futurum, ni prohiberetur ultrà sævire Polychares, pejora metuentes: obtundentibus præsertim regum, & Ephororum, aures quotidianîs eorum querelîs, qui suorum indigna funera lamentabantur; legatos in *Messeniam* expediunt, qui, tum de

Ruina Messeniorum.

de *Polycharis* immanitate, tum de *priscis* aliis (ut ajebant) *injuriis*, expostularent: Polycharémque sibi, commeritum ad supplicium, dedi flagitarent. Ingerebant autem, eádem accusationis operâ, Spartiatæ Messeniis; caussâ tantô firmiore se niti: quòd, eorum crudelitate, rex ipsorum, *Téleclus*, in *Dianæ Limnatidis* æde jugulatus quondam esset: quódq; Messeniorum rex, *Cresphontes*, ad regnum, *sortis* ac situlæ *corruptelâ* (de qua dictum à nobis in superioribus est) pervenisset; Aristodemô digniore, per eam fallaciam, circumscriptô.

Messeniorum Reges, *Antiochus* & *Androcles*, apud quos Oratores Spartiatæ querelas suas, & accusationis capita, deponebant; tranquillè primùm sedatéq; singula refellebant. *Téleclum* à Messeniis interfectum, eò; quòd in capita Messeniorum prior ipse, per fraudem sacrilegã, interfectores subornâsset. *Cresphontis* admissum in sortitione dolum, jam Aépyti, qui filius ejus ac Successor fuisset, tempore, sepultum oblivione fuisse: sublatîs omnibus, inter Cresphontæos, & Aristodémidas, animorum dissidiis, ac difficultatibus. Quòd autem *Polycharem* Lacedæmonii sibi dedi peterent, ad supplicium: quoniam injuriarum ac

cædis initium ortum ab *Evæphno* Lacedæmonio ſit: dedituros ſe *Polycharem*, ſi priùs & *Evæphnus* ſibi traderetur, ad ea, quæ promeritus eſſet, facinorum ſupplicia recipienda. Negaverunt, in hæc, legati Spartiatarum; rem controverſam ullô modô compoſitum iri: niſi, *Polychare* primùm omnium, ſuæ ſuorúmque poteſtati, permiſsô. Super *Evæphni* verò cauſsâ, poſteriorem fore cogitationem; &, num ipſe quoque viciſſim tradendus Meſſeniis foret, deliberationem ſuſceptum iri, plenîs Spartiatarum comitiîs. Et in eo *Spartiatæ* legati perſeverabant. *Meſſenii* verò *Reges*, id ſui juris & arbitrii, negabant, eſſe; tantâ præſertim *Polycharis* apud *populum* gratiâ: penès quē *populum*, *Capitalium* eſſet *quæſtionum* auctoritas. Ad *populum* ergo ſe cauſſam *Polycharis* univerſam eſſe relaturos; &, quod is *plebiſſcitô* decrêſſet, approbaſsétve, per epiſtolam Spartanis renuntiaturos. Itâ *Lacedæmonii* legati, poſtulatorum hactenus irriti, diſcedunt. A *Meſſeniis autem regibus* continuò populus in concionem & comitium advocatur. Legatorum Spartæ poſtulatîs expoſitîs; ſcinduntur, diverſas in ſentētias, ac ſtudia, nō plebes minùs, quàm ipsímet reges. Et *Androcles* quidē,

pacis

Ruina Meſſeniorum.

pacis ac ſecuritatis publicæ ſtudiô, dedendum Spartanis *Polycharem*, cenſere. nec enim feciſſe, vel è legibus, vel humano more, Polycharem; Unius Juvenis pro cæde, plurimorum inſontî ſanguine funeréque manus, eáſque privatâ duntaxat ulciſcendi libidine domeſticíſque furiîs armatas, nullô juris ordine, maculando. Contraria verò prorſus *Antiochus*, regum alter, diſſerere. Notam eſſe *Spartanorum*, adversùs *Meſſenios* univerſim, malevolentiam, perfidiam, crudelitatem. teſtatum omnibus eſſe, nimiô plus, inveteratum odium, ac fines alienos invadendi cupiditatem. Non jus ab iis, ſed bellandi Meſſeniósque ſubigendi cauſſam, quæri. Vel, ſi certè Juris illis, æquitatíſque, tanta cura ſit: éccur Injuriam ipſi cœptâſſent? ac, poſthæc, in auctorem injuriæ nō legibus animadvertiſſent? Ad ſummam! Iniquiſſimum eſſe, poſtulare, ſibi *Polycharem* ad ſupplicium dedi; quem in oculis *Evæphni*, bipedum omnium deterrimi, tormentîs omnibus, exquiſitiſſimíſque pœnîs, laceraturi ſint. *Evæphnum* autem, è diverſo, non modò Meſſeniis non tradi; ſed inſuper, in civitate ſua viventem, florentémque, tanquam rebus præclariſſimè geſtîs, inimici ſuppli-

ſuppliciis exultaturum. PERIISSE Juſtitiam, apud eos, quibus ſcelera pro Virtutibus honeſtentur. In hunc modum contendentibus inter ſeſe *regibus*, populus quoque ſtudiîs ardeſcere diverſis cœpit; ínque factiones primùm diſcindi: mox, honeſtiſſimô quôque cum *Androcle*, robuſtioribus autem, & multitudine, cum *Antiocho*, ſtantibus; ad verba, clamores, ac demum ad arma lapidéſque, devolatur. Pugna, diſtrictîs gladiîs, forô comitióque mediô, conſeritur. Cadit, cum *Optimis* quibuſque, tranquillitatíſq; ſtudioſis, *Androcles* Aepytides; rex, ac regibus oriundus. Vincit, numerô, quàm cauſsâ, melior potentiórque, Rex jam ſolus, *Antiochus*. Ità *Polycharis* injuſtè cæſo filio, tanquam in *Inferias*, plurimi, non jam *exteri* modò, ſed & *cives*, ut hoſtiæ, procumbunt: *& Mortuus Vnus, vivos plurimos occidit*. Quæ tam funeſta, poſteaquam patravit *Antiochus*, nemine jam tantiſper collegâ, vel adverſariô; tum demum ad *Ius* cœpit, ac *leges*, reſpicere. Lacedæmoniis, utì pollicitus antè cum Androcle fuerat, expeditô Spartã tabellariô, per litteras offert, totius controverſiæ finiendæ promptiſſimam voluntatem. Non eſſe verò, nec apparere, compendioſiorem

Ruina Meſſeniorum.

rem pacis utrimque litiſque componendæ viam; quàm, vel arbitros capi totius quæſtionis, *Argivos* (quippe, tam Spartanis, quàm Meſſeniis, cognatam urbem): vel, ſi civitatis unius oculi debiliores eis, ad perſpiciendam æquitatem, videantur; ad *Amphictyonum* cõmune conciliũ rem deferri: quæ curia perſpicaciſſimis *Septem*, ex omni Græcia celeberrimarum *urbium*, Judicibus conſtet (*Aa*). Ibi mulctam iis, quorum culpâ concordia diſſiliſſet, aut dirupta nõdum coaleſceret, indici. Vel denique, quoniam *Cædis* eſſet ea *quæſtio*; Judicibus Athenarum *Areopagiticis*, quorum eſſet, in *Sicarios* & *homicidas* quærere, cauſſam omnem permitti; nec *Meſſenios* eſſe detrectaturos, & *Lacedæmoniis* quoque placere debere. Juſta fuerat hæc *Antiochi* petitio. Sed, perlectîs *Antiochi* litterîs, *Spartiatæ* (quippe, qui pertinaciter adhuc, aut *Polycharem* vellent, aut *bellum*) vehementer offenſos ſe Meſſenii regis, prudentiæ Spartanorum propoſitîs, conditionibus, oſtenderunt. Nam, qui cæteroquin arroganti quadam, &, *tanquam univerſi Reges eſſent*, aſcititiâ majeſtate, reſpondere, *Regibus* etiam (*bb*), *breviter* aſſuêſſent; tunc latori litterarum, nuntio, ſcripto-

ptoríque litterarum, Antiocho, modeſtóque Meſſeniorum poſtulato,nihil penitùs reſponderunt. Ità diſceſſum à *mutis* eſt, utrimque mutuò. Cæterùm, inter ſeſe ſolos pluſquam *vocales*, ac *diſerti*, Lacedæmonii, taciturnitatis ſuæ, tam ſuperbæ, cauſſas, in curia, circulíſque, nec minùs plebs, quàm Optimates, collaudabant: *in eo, quòd diſpliciturì Meſſeniis eſſent, ſibi placentes*; ac belli, jam ex eo tempore, cruentas tragicáſque cogitationes, ſummô conſenſu volutantes. Inter hæc autem, paucorum admodum menſium imperiô, ſine collega rege, lætatus *Antiochus*, vitâ cedit: ínque regno ſucceſſorem relinquit filium, *Eúphaën*. Hujus rerũ mutationis nuntiô Lacedæmonii, tantò magìs in ſpem, benè gerendæ rei,ſuorúmque conſiliorum proſperi ſucceſsûs, excitari cœperunt; quantò Meſſeniis adoleſcentiorem jam, armorúmq; rudiorem, videbant, ac ſperabant, in *Euphaë* præſeſſurum: quàm in *Antiocho*,quippe bellîs exercitatô, viribúſq; ferociore, nuper rex præſediſſet. Quod igitur aliquamdiu jam omnî nocturnâ diurnáque curâ, ſecum agitaverant; bellum, & hoſtilitatem, in Meſſenios,apertam decernunt.Idque quò conſtan-

Ll tiùs,

Ruina Meſſeniorum.

tiùs, quàm deliberatiùs, perſequantur; inter ſeſe Summi pariter infimíque religioſiſſimô ſe jurejurandô conſtringunt; *Nec armorum ullâ difficultate, neq; morâ temporis in armis (ſi vel Trojanum in decennium bellandum eſſet), nec ullius denique cladis magnitudine frequentiáque deterritos, quieturos antè: quàm, non jam diſceptationibus, atque jurgiîs, ſed belli jure, Meſſenios omnes, eorúmque regionem univerſam, ſui juris effeciſſent.* Cùm id omnibus igitur, Deorum etiam interpoſitâ fide Numinéque, ſediſſe animô: *Spartani*, nec feciali, pro more, qui bellum indiceret, nec legatô ſaltem, aut ſuæ voluntatis interprete, vel ſcriptô denique quô priſcam Meſſeniis amicitiam renuntiarent, in Meſſeniam miſsô, bellum auſpicantur; ſed turbine quodam, incogitantibus prorſus alterîs, in Meſſeniorum extremos ſe fines, quà Laconiam attingebant, effundunt. *Nox* delecta furori, feliciter auſpicando: dux autem, *Alcámenes* rex, *Téleclô* (ſicut dictum in prioribus eſt) progenitus. Erat, in ipſa Meſſeniorum extremâ ferè, quà vergebat in Laconas, orâ, modicæ magnitudinis, ſed egregii naturâ ſitûs, oppidum, *Amphia*; vertici multùm editi collis, impoſitum. Id oppidũ & pro

& propter ipsius loci naturam, & adjutam manu munitionibúsque firmitudinem; ac præterea, quòd fontium vivas ac juges *(cc)* habebat, intrà muros ínque summo collis, aquas: idoneum eis, vel inprimis, universi belli receptaculum fore, sedésque *(dd)*, videbatur; si, deletîs ibi Messeniîs habitatoribus, colonos, ac præsidium, sui nominis, ac generis, collocarent. Noctis igitur usi beneficiô Spartani; cùm priùs omnia singuláque speculatorũ industriâ dispexissent: nihil minùs opinantibus oppidanîs, ac propter hoc ipsum, portîs tunc excubiísque, pessimô disciplinæ militaris exemplô, neglectîs; irrumpunt: quod incolarum occurrit, opprimunt: & partim, in ipsis deprehensos cubilibus; partim, irruptione cognitâ, Deorum ad aras, & in delubra, confugientes, nullô vel ætatis, vel sexûs, discrimine trucidant. Pauci civiũ *Amphiensium*, notîs sibi mœnium, ac montis, exitibus, mortem evadunt. *Amphia*, capta direptáque, præsidiô Lacedæmoniorum occupatur. Ità, quibus *Polychares*, vir unus, ad pœnam ultrò non erat deditus: iis *Amphéa*, multorum capitum innoxiorum urbs, tanquam Achilli Pyrrhóque succidanea Polyxe-

Ruina Messeniorum.

na, per vim, pœnas dedit. jactatíque vulg dicti veteris usus in contrarium versus est quo ferebatur; *Iniquum petendum, ut Æquum auferatur.* Spartani quippe, Polycratem de poscentes ad cædem, *Petebant Æquum;ut Iniquum* tandem, Amphéa sic captâ, *reportarent.*

VI. Cæterùm hæc tam ingens *Ampheensium*, totiúsque *Messenii* nominis, in unius urbis calamitate, clades; ab iis, qui perniciem effugerant, nuntiata: perculit quidem plerosque Messeniorum. non fregit tamen, neque regem eorum, *Euphaën*; neque populi primores. Confestim igitur ad concionem advocatâ multitudine, quæ *Steniclérum* in urbem (quippe, regni tunc sedem) pavida, rerúmque dubia, se cunctis ex urbibus oppidísque conglobârat: placidè rex, & omnî mente suppressô dolore, quem è Lacedæmoniorum indignitate facti conceperat, universos affatus; *Bonum habere Messenios animum* jubet. *Non continuò, quòd, in scelere, melioribus usi fatis, ac successu, Lacones sint; etiam in progressu nefariorum armorum perpetuò melioribus usuros Dis: in caussa præsertim deterrimâ. Spartanos noctem, dolum, insidias, & Ampheanorum somn* lo

loco virtutis fuisse; quam illi virtutem, si vel vera genuináque fuisset, immanitate tamen cædium universam everterint. Nunc autem, à DIs immortalibus, eis restare, pro malè factis, pœnam: cujus, si nullum adhuc, ad eum diem, sensissent exactorem; sensuros, sinè dubitatione: cùm eorum impunitatis ac proterviæ, paullò pòst, evolutum tempus futurum sit, & induciæ. Dilatos eos ad supplicium esse; non, Dimissos. Deos caussam adjuturos esse favorabiliorem. Quid autem esse favorabilius, & apud Superos, & apud mortales, quàm Innocentiam? *quæ, cùm nihil ipsa prior læserit; ab omnis æqui rectique violatoribus, ultrò provocata, lacessita, læsa sit. Spartanos Injuriam, à se cœptam, injuriâ, per se continuatâ, cruentè cumulâsse: Messeniis interim eousque, pati magìs, & ferre, quàm agere malè, vel inferre vim, assuetis. Sed non in posterum quoque tempus, eádem, quâ cœperint, mansuetudine Messenios acturos esse: ne, dissimulatione malum invalescat; aut Vis armata, pro Jure legibúsque regnet. Vim vi repulsum iri. Nec debere de successu, Messenios animi pendére. Lacedæmoniis manum esse militarem. Eandem & sibi non defore. Dexteram illis, ad bella jam antiquitus exercitatam, pro Victoriæ præjudicio vigere. Messeniis, è*

Ruina Messeniorum.

diverso, vindictæ justissimæ cupiditatem, & animos, omni ferrò penetrabiliores, ardescere. Spartanos, solâ superbiæ, latiúsque dominandi, libidine; se contrà, pro focis, & aris, pro liberis & uxoribus, necessitatis telò, quod durissimum efficacissimúmque sit, pugnaturos. ac, si primos fortè conatus, par vincendi spes destituat; ad extremum tamen, vel ipsâ Victoriæ desperatione, victores fore. Denique; pro Spartanis stare veterē belli gloriam: sed, adversùs eos, illorum perfidiam & crudelitatem, ac Messeniorum viventium *armatas manus;* interfectorum *autē, insontes vindicésque Manes: &, quod solatiorum omnium caput sit, Iratos sceleri DEOS. Quocirca, ne dubitarent, in bellum hoc, omni titulò justissimum, totis viribus atque pectoribus incumbere. CLYPEVM eis, omni chalybe firmiorem, fore; magnum, ac bene præparatum, animum. Reliqua, sibi regiæq; suæ providentiæ, curæ futura. Quippe,* militis *esse, bene confidere:* Ducis autem, *accuratè providere.*

VII. Secundùm hæc, aliáque talia, Regis *Euphais* verba, dimissi *Messenii*; bello contra *Lacedæmonios* gerendo, toto se conatu, studióque summô, componunt. Sacramentô *Juniores* omnes, &, quod *virilis* est roboris, ab

ab *Euphaë* rogantur. Ac *veteranorum* quidē, armísque jam olim exercitatorum, quotidianum fervet, in armis decurrendi, ſtudium: *juniorum* autem, ac *tironum*, ad belli ſcientiam, à peritis inſtitutio. Quæ dum fiunt à Meſſeniis; hoſtes interim nec ipſi, vel quieſcunt, vel quietum aliquid Meſſeniis relinquunt: agendîs, ex eorum agro, prædîs; abigendîs jumentîs, ac pecore; frugibúſque generum omnium aſportandis: eô tamen hoſtilitatis, ac prædationum, temperamentô; quô, vel in ipſa *modeſtia*, ſuæ tamen *avaritiæ* rationem haberent. Quanquam enim, haud ſecus, atque (quod res docebat) ex *hoſtico*, raperent, agerent, ac ſurſum omnia deorſúmque verſarent: ab agris tamen in *ſolitudinem* redigendîs, & arborum fructiferarum ſuccisionibus, ac villarum tectorúmque ruinis & incendiîs, ſibi temperabant: nullo ſanè *Meſſeniorum* amore, vel miſericordiâ; ſed ideò ſolum, quòd, qui *Meſſeniam* univerſam, tanquam revera, ſinéque dubitatione, *ſuam*, ac *ſuæ* poſſeſſionis, jam olim ſpe devorâſſent; res fortunáſque *ſuas* perditum & inflammatum ire, per protervias, nolebant. *Oppida* tamen haud ſegniùs, nunc hæc, nunc

Ruina Meſſeniorum.

illa *Messeniorum*, tam *continentis*, quàm *maritimæ* regionis, aggressi; summîs ea viribus expugnare laborabant. Ubi verò, permunita pleraque, propugnaculísque firma; tum prætereа, contra spem animi fortissimè suîs à præsidiis, ac civibus, ea defendi, vident: multis affecti vulneribus, suorúmque non paucîs amissîs; urbe captâ nullâ, *Spartam*, unde venerant, *prædâ* raptóque, quàm *gloriâ*, locupletiores revertuntur. *Messenii* contrà, nec ipsi tandem otiosi; populationibus, tum *maritima* Laconiæ, tum inprimis, quod ad Taygeti mõtis ulteriorem pedem soli cultioris erat, infestum habere pergunt. Hæc, *justi prælii*, quod haud multò pòst utrimque commissum est, *præludia* fuerunt, & irritamenta. *nec poterant, nisi cruore tandem, latrocinia saturari.* Priores autem, ad ferrum stringendum, *Messenii* fuerunt. Quorum, apertô jam Marte, vexillorúmque signîs explicatîs, volantem exercitum, simulac ex edito collis vertice conspicari cœperunt *Spartiatarum* illi, qui captam nuper *Amphéam* præsidiô tenebant, & *in quintum* jam *mensem* arctîs tutabantur excubiîs: Lacedæmonem id ad suos sine morâ renuntiârunt. Et *Lacedæmonii*, de summâ rerum, acie

cie decernendum esse, nec dubitantes, nec veriti; suum & ipsi militem, eúmque numerô Messeniis superiorem, educunt. Convénit autem utriusque gentis exercitus, ad campum quendam finium Messenicorum; ad concurrendum alioquin aptissimum, cæterùm ingenti profundáque quadam hiantis terræ *voragine* (*ee*) præstructum, ab ea, quà Spartani venerant, parte: sic, vel naturâ terræve motu, vel manu quondam fossorum, providente; ne conserere dexteras, aut pedi pedem conferre, dimicationis caussâ, copiæ, contrà se mutuò stantes, possent. Stabant igitur, ultra *barathrum* quidem illud, armata *Lacedæmoniorum* agmina; cis autem, copiæ *Messeniorum*: quarum in medio, Rex *Euphaës*; qui secundas à se partes *Cleonni* cuidam, utpote totius exercitûs *imperatori* promulgato, commiserat. *Equestres* autem copias *Pythâratus*; ac *velitum* ordines, *Antander* quidam, ducebant. Signô prælii datô; *velites* quidem, & *equites*, supra *voraginis*, de qua dictum est, extremam oram, quà terminabatur, in planitie, prælium acriter utrimque commiserunt. At *armatura* contrà *gravior*, hinc quidem *Messeniorum*, illic autem *Spartiatarum*, quantum-

Ruina Messeniorum.

illa *Meſſeniorum*, tam *continentis*, quàm *maritimæ* regionis, aggreſſi; ſummîs ea viribus expugnare laborabant. Ubi verò, permunita pleraque, propugnaculíſque firma; tum prætereа, contra ſpem animi fortiſſimè ſuîs à præſidiis, ac civibus, ea defendi, vident: multis affecti vulneribus, ſuorúmque non paucîs amiſsîs; urbe captâ nullâ, *Spartam*, unde venerant, *prædâ* raptóque, quàm *gloriâ*, locupletiores revertuntur. *Meſſenii* contrà, nec ipſi tandem otioſi; populationibus, tum *maritima* Laconiæ, tum inprimis, quod ad Taygeti mõtis ulteriorem pedem ſoli cultioris erat, infeſtum habere pergunt. Hæc, *juſti prælii*, quod haud multò pôſt utrimque commiſſum eſt, *præludia* fuerunt, & irritamenta. *nec poterant, niſi cruore tandem, latrocinia ſaturari.* Priores autem, ad ferrum ſtringendum, *Meſſenii* fuerunt. Quorum, apertô jam Marte, vexillorúmque ſignîs explicatîs, volantem exercitum, ſimulac ex edito collis vertice conſpicari cœperunt *Spartiatarum* illi, qui captam nuper *Amphéam* præſidiô tenebant, & *in quintum* jam *menſem* arctîs tutabantur excubiîs: Lacedæmonem id ad ſuos ſine morâ renuntiârunt. Et *Lacedæmonii*, de ſummâ rerum, acie

cie decernendum esse, nec dubitantes, nec veriti; suum & ipsi militem, eúmque numerô Messeniis superiorem, educunt. Convénit autem utriusque gentis exercitus, ad campum quendam finium Messenicorum; ad concurrendum alioquin aptissimum, cæterùm ingenti profundáque quadam hiantis terræ *voragine* (*ee*) præstructum, ab ea, quà Spartani venerant, parte: sic, vel naturâ terrævè motu, vel manu quondam fossorum, providente; ne conserere dexteras, aut pedi pedem conferre, dimicationis caussâ, copiæ, contrà se mutuò stantes, possent. Stabant igitur, ultra *barathrum* quidem illud, armata *Lacedæmoniorum* agmina; cis autem, copiæ *Messeniorum*: quarum in medio, Rex *Euphaës*; qui secundas à se partes *Cleonni* cuidam, utpote totius exercitûs *imperatori* promulgato, commiserat. *Equestres* autem copias *Pythâratus*; ac *velitum* ordines, *Antander* quidam, ducebant. Signô prælii datô; *velites* quidem, & *equites*, supra *voraginis*, de qua dictum est, extremam oram, quà terminabatur, in planitie, prælium acriter utrimque commiserunt. At *armatura* contrà *gravior*, hinc quidem *Messeniorum*, illic autem *Spartiatarum*, quantum-

Ruina Messeniorum.

illa *Messeniorum*, tam *continentis*, quàm *maritimæ* regionis, aggressi; summîs ea viribus expugnare laborabant. Ubi verò, permunita pleraque, propugnaculísque firma; tum præterea, contra spem animi fortissimè suîs à præsidiis, ac civibus, ea defendi, vident: multis affecti vulneribus, suorúmque non paucîs amissîs; urbe captâ nullâ, *Spartam*, unde venerant, *prædâ* raptóque, quàm *gloriâ*, locupletiores revertuntur. *Messenii* contrà, nec ipsi tandem otiosi; populationibus, tum *maritima* Laconiæ, tum inprimis, quod ad Taygeti mõtis ulteriorem pedem soli cultioris erat, infestum habere pergunt. Hæc, *justi prælii*, quod haud multò pòst utrimque commissum est, *præludia* fuerunt, & irritamenta. *nec poterant, nisi cruore tandem, latrocinia saturari.* Priores autem, ad ferrum stringendum, *Messenii* fuerunt. Quorum, apertô jam Marte, vexillorûmque signîs explicatîs, volantem exercitum, simulac ex edito collis vertice conspicari cœperunt *Spartiatarum* illi, qui captam nuper *Amphéam* præsidiô tenebant, & *in quintum* jam *mensem* arctîs tutabantur excubiîs: Lacedæmonem id ad suos sine morâ renuntiârunt. Et *Lacedæmonii*, de summâ rerum, a-

cie

cie decernendum esse, nec dubitantes, nec veriti; suum & ipsi militem, eúmque numerô Messeniis superiorem, educunt. Convénit autem utriusque gentis exercitus, ad campum quendam finium Messenicorum; ad concurrendum alioquin aptissimum, cæterùm ingenti profundáque quadam hiantis terræ *voragine* (*ee*) præstructum, ab ea, quà Spartani venerant, parte: sic, vel naturâ terrævè motu, vel manu quondam fossorum, providente; ne conserere dexteras, aut pedi pedem conferre, dimicationis caussâ, copiæ, contrà se mutuò stantes, possent. Stabant igitur, ultra *barathrum* quidem illud, armata *Lacedæmoniorum* agmina; cis autem, copiæ *Messeniorum*: quarum in medio, Rex *Euphaës*; qui secundas à se partes *Cleonni* cuidam, utpote totius exercitûs *imperatori* promulgato, commiserat. *Equestres* autem copias *Pythâratus*; ac *velitum* ordines, *Antander* quidam, ducebant. Signô prælii datô; *velites* quidem, & *equites*, supra *voraginis*, de qua dictum est, extremam oram, quà terminabatur, in planitie, prælium acriter utrimque commiserunt. At *armatura* contrà *gravior*, hinc quidem *Messeniorum*, illic autem *Spartiatarum*, quantum-

 vis

Ruina Messeniorum.

illa *Messeniorum*, tam *continentis*, quàm *maritimæ* regionis, aggressi; summîs ea viribus expugnare laborabant. Ubi verò, permunita pleraque, propugnaculísque firma; tum præterea, contra spem animi fortissimè suîs à præsidiis, ac civibus, ea defendi, vident: multis affecti vulneribus, suorúmque non paucîs amissîs; urbe captâ nullâ, *Spartam*, unde venerant, *prædâ* raptóque, quàm *gloriâ*, locupletiores revertuntur. *Messenii* contrà, nec ipsi tandem otiosi; populationibus, tum *maritima* Laconiæ, tum inprimis, quod ad Taygeti mōtis ulteriorem pedem soli cultioris erat, infestum habere pergunt. Hæc, *justi prælii*, quod haud multò pòst utrimque commissum est, *præludia* fuerunt, & irritamenta. *nec poterant, nisi cruore tandem, latrocinia saturari.* Priores autem, ad ferrum stringendum, *Messenii* fuerunt. Quorum, apertô jam Marte, vexillorûmque signîs explicatîs, volantem exercitum, simulac ex edito collis vertice conspicari cœperunt *Spartiatarum* illi, qui captam nuper *Amphéam* præsidiô tenebant, & *in quintum* jam *mensem* arctîs tutabantur excubiîs: Lacedæmonem id ad suos sine morâ renuntiârunt. Et *Lacedæmonii*, de summâ rerum, acie

cie decernendum esse, nec dubitantes, nec veriti; suum & ipsi militem, eúmque numerô Messeniis superiorem, educunt. Convénit autem utriusque gentis exercitus, ad campum quendam finium Messenicorum; ad concurrendum alioquin aptissimum, cæterùm ingenti profundáque quadam hiantis terræ *voragine* (*ee*) præstructum, ab ea, quà Spartani venerant, parte: sic, vel naturâ terræve motu, vel manu quondam fossorum, providente; ne conserere dexteras, aut pedi pedem conferre, dimicationis causfâ, copiæ, contrà se mutuò stantes, possent. Stabant igitur, ultra *barathrum* quidem illud, armata *Lacedæmoniorum* agmina; cis autem, copiæ *Messeniorum*: quarum in medio, Rex *Euphaës*; qui secundas à se partes *Cleonni* cuidam, utpote totius exercitûs *imperatori* promulgato, commiserat. *Equestres* autem copias *Pythâratus*; ac *velitum* ordines, *Antander* quidam, ducebant. Signô prælii datô; *velites* quidem, & *equites*, supra *voraginis*, de qua dictum est, extremam oram, quà terminabatur, in planitie, prælium acriter utrimque commiserunt. At *armatura* contrà *gravior*, hinc quidem *Messeniorum*, illic autem *Spartiatarum*, quantum-

 vis

Ruina Messeniorum.

illa *Messeniorum*, tam *continentis*, quàm *maritimæ* regionis, aggressi; summis ea viribus expugnare laborabant. Ubi verò, permunita pleraque, propugnaculísque firma; tum præterea, contra spem animi fortissimè suis à præsidiis, ac civibus, ea defendi, vident: multis affecti vulneribus, suorúmque non paucis amissis; urbe captâ nullâ, *Spartam*, unde venerant, *prædâ* raptóque, quàm *gloriâ*, locupletiores revertuntur. *Messenii* contrà, nec ipsi tandem otiosi; populationibus, tum *maritimæ* Laconiæ, tùm inprimis, quod ad Taygeti mõtis ulteriorem pedem soli cultioris erat, infestum habere pergunt. Hæc, *justi prælii*, quod haud multò pòst utrimque commissum est, *præludia* fuerunt, & irritamenta. *nec poterant, nisi cruore tandem, latrocinia saturari.* Priores autem, ad ferrum stringendum, *Messenii* fuerunt. Quorum, apertô jam Marte, vexillorúmque signis explicatis, volantem exercitum, simulac ex edito collis vertice conspicari cœperunt *Spartiatarum* illi, qui captam nuper *Amphéam* præsidiô tenebant, & *in quintum* jam *mensem* arctis tutabantur excubiis; Lacedæmonem id ad suos sine morâ renuntiârunt. Et *Lacedæmonii*, de summâ rerum, acie

cie decernendum esse, nec dubitantes, nec veriti; suum & ipsi militem, eúmque numerô Messeniis superiorem, educunt. Convénit autem utriusque gentis exercitus, ad campum quendam finium Messenicorum; ad concurrendum alioquin aptissimum, cæterùm ingenti profundáque quadam hiantis terræ *voragine* (*ee*) præstructum, ab ea, quà Spartani venerant, parte: sic, vel naturâ terræve motu, vel manu quondam fossorum, providente; ne conserere dexteras, aut pedi pedem conferre, dimicationis causſâ, copiæ, contrà se mutuò stantes, possent. Stabant igitur, ultra *barathrum* quidem illud, armata *Lacedæmoniorum* agmina; cis autem, copiæ *Messeniorum*: quarum in medio, Rex *Euphaës*; qui secundas à se partes *Cleonni* cuidam, utpote totius exercitûs *imperatori* promulgato, commiserat. *Equestres* autem copias *Pythâratus*; ac *velitum* ordines, *Antander* quidam, ducebant. Signô prælii datô; *velites* quidem, & *equites*, supra *voraginis*, de qua dictum est, extremam oram, quà terminabatur, in planitie, prælium acriter utrimque commiserunt. At *armatura* contrà *gravior*, hinc quidem *Messeniorum*, illic autem *Spartiatarum*, quantum-

Ruina Messeniorum.

vis irritatîs & infensis invicem animîs; dentibus magis alterorum in alteros stridētibus, verborúmque contumeliosîs jaculîs, quàm hastis ensibúsq;, dimicabant: *hiatu terræ* mediô congressum alternum inhibente. Quòd autem *Euphaës* secum, è *Messenia*, servorum ingentem multitudinem adduxisset;singulos, tum ligna vallósque, tum cætera munitionum instrumenta, gestantes: ipse prudenter, in medio velitum equitúmque concertantiū ardore, *fossione* strenuâ jaci vallum, & aggerem excitari, nihil minùs advertentibus hostibus, primùm quidem *à tergo*, deinde paullatim & *ad latera*, præcepit. Quod cùm indefessô, conspectúmq; Lacedæmoniorum fallente, labore factum esset: die tandem in vesperam, & hac, in noctem ac prælii finem, abeunte; repentè *frons* quoque *Messeniorum* agminum, adversùs hostem aggere præductô, parata prælio stetit. ità, vim & insultum hostilem, siquid ultra conari, vel noctem etiam infestare repentinîs irruptionibus, tentâssent, elusura fuit. brevitérque! manè posterô, cùm rerum omnium faciem clara lux apparuisset, tota *Messeniaca* castra circumquaq; prævallata, *Spartanis* apparuerunt; ringentibus,

bus,ac dolore mentis ſibimetipſis, & ignaviæ ſuæ, ſuccenſentibus: quòd non eádem, quâ Meſſenius *Euphaës*, providentiâ ſedulitatéq;, calones ſecum, cum apparatu materiáque munitionum, adduxiſſent. Videbant enim, poſt diem jam cōflictúmq; primum finitum, clariùs,ac magis magíſque;ſub dio ſibi deinceps,locôq;, nec foſsîs adversùs hoſtem,nec aggeribus,clausô,cum ingenti formidine periculóq; degendum, ac pernoctandum fore: cùm inter hæc *Meſſenii*, quos *vallum* caſtrorum tutos, hoſtiúmque ſecuros, contineret; haud ęgrè,ſi vellent,*voragine* circumitâ,*Spartanorum* eſſent ſtationes ac vigilias aggreſſuri: beneficióq; ſaltem noctium,in eorum aperta paſſim caſtra, concitatîs turmîs, irrupturi. Quare,de communi conſilio, non jam expugnatione tantùm, ſed etiam circumſeſſione caſtrorum Meſſeniacorum durabilî,deſperatâ: rebus omnibus infectîs, Lacedæmonem Spartani, cum copiarum ſuarum reliquiis, ne prædatoriâ quidem, ad incurſationes inopinas, manu relictâ,diſcedūt. In hunc ergo modum, ſi profectò Marte *pares* hoſtibus, ab eo prælio, *Spartani* receſſiſſent (nox enim eos ſuperveniens, alacriter utrimque, nec

nec inæquali ſpe victoriæ, dimicantes, quaſi receptui datô ſignô, diremit) *conſiliô* quidem certè, provisúq; neceſſariarum ad victoriam facultatum, *Meſſeniis inferiores* abierunt. Unde patuit; *Haud proſperiùs armis, quàm artibus, bella geri.* Nec tamen, ne ſic quidem, ambitioſa turbidáq; *Spartiatarum* potuerunt ingenia conquieſcere: ſed, ab antiquo conceptũ in hoſtes odium, æternîs prorogare ſimultatibus, atque pugnis, *Lacedæmonicæ gentis propriam*, inſitámque ſanguini, *gloriam* putabant. Et alioquin, arreptîs utrimque diſſidiorum flammîs, non Perſæ Græcis, aut Græci Perſis, infenſiores; quàm Spartani Meſſeniis, & hi Spartanis, erant. Immoderatiores tamen, *Spartani*; quippe, qui, tranquillîs jam utcunq; *Meſſeniis* (etſi profectò, *Meſſenii* ſatis luculentè, pro *victoribus* nuper è campo diſceſſiſſent) annô nondum planè vertente, bellum *priores* reſumpsêre. Cauſſam expeditionis iterandæ præbuerat illis, non inſolentia tantummodo, tumórq; militarium animorum, ac faſtûs; cujus impulſu, non *parem* ullam, nedum armorum gloriâ *priorem*, ferre gentem poterant: ſed, quòd ab Ephoris ipſis, ac primorum annoſiſſimo quôque, quotidie Ju-

ventus

ventus Spartana sugillaretur; &, ut *Jurisjurandi* sui, de quo dictum in principiis est, *ignava violatrix*, utpote, quæ, nondum debellatô, discessisset è castris: &, ut *hôc ipsô victa, quia non manifestè vicisset; ac virtutis gloriam ambiguam, pro non-obscurâ cladis ignominiâ, domum reportâsset. Quantulùm enim inter hæc duo discriminis esse, quoties ità pugnantes interrogarẽtur; Vtra pars superior fuisset? aut; Vtra cecidisset? In clara virorum fortium luce, nihil esse crepusculi; nihil esse dubitationis, & umbræ, posse.* Talibus igitur *Seniorum*, similibúsque dicteriis aliîs, accensa *Lacedæmoniorum* armata *pubes*; expeditionem in *Messenios*, superiore multis partibus intentiorem, acriorémque, repetunt: ingentíque comparato, tum *volonum*, tum multò magis ex *ingenuis*, exercitu; *Messeniorum* fines irrumpunt. Non desunt tamẽ sibi *Messenii*: sed, quantas per festinationem contrahere licebat, & ipsi copias educunt. Positîs utrimque, communitísque, castrîs; nec *Spartani* longam, nec ullam *Messenii*, moram faciunt: quò minùs, eductîs postridie legionibus, & equitatu, pugnandi copiam alteris alteri faciant; ac, prolatîs signis, agminibúsq; dispositis, exhibeant. Et verò magnum, ad rem acriter,

criter, ac ſinè dilatione, gerendam, hortamentum, utrimque gentis utriuſque *Reges* erant: qui ſimùl, & quidem animis odiiſque pares, advenerant. *Lacedæmoniorum*, inquam, Reges, *Theopompus*, Nicandri filius, de quo ſuperiùs eſt dictum; &, Alcámene, qui vitâ tantiſper exceſſerat, natus, *Polydorus*. Meſſeniorum verò Rex, ut anno ſuperiore fuerat, adhuc *Euphaës* erat. Acies autem utriuſque partis hoc modo conſtitit. In exercitu quidem *Spartanorum*, cornu dextrum Rex *Theopompus*; ſiniſtrum verò, regum alter, *Polydorus*, ductabant. In acie mediâ curare juſſus *Euryleon*, & ipſe patriâ *Spartiates*; progenie verò majorum, Thebanus, è ſtirpe Cadmi. *Meſſeniorum* autē in cornu dextro, contra Siniſtrum Lacedæmoniorum, *Pythάratus* agebat: in ſiniſtro, cōtra dextrum hoſtium, rex *Euphaës*, cum *Antandro*. mediam aciem *Cleonnis*, qui jam olim belli ſuperioris *imperator* ab Euphäe conſtitutus fuerat, moderabatur. In hunc ergo modum acie, tum hac, tum illâ, diſpoſitâ: præliô concurſum eſt, ab utriſque, vi maximâ. Quod prælium, Grajarum rerum ſcriptor, *Pauſanias*, aliâs jam nobis, nec ſemel, laudatus, longè diſertiſſimè, diffuſéque, proſequi-

Ruina Meſſeniorum.

ſequitur: nec incuriè Latinitati donavit interpres illius, *Romulus Amaſæus*. Ut proinde, cùm uterque, cujvis paullò litteratiorum, in promptu manibúſque quotidie ſit; vel, eorum narrationis verba veſtigiáque premere, *metaphraſis* futura potiùs, quàm *hiſtoria*, ſit: vel, eam bene compoſitéque conſcriptam, velle *diducere*, quibuſdámque quaſi colorum pigmentîs illinere, *labor* ſit *puerilis*, aut *grammaticus pulvis*, apparituras. Ne nihil tamen egiſſe videamur; in compendium acta prælii mittemus. Cùm ergò jam in procinctu congreſsûs ambo ſtarent exercitus: *Spartanus* quidem rex, *Theopompus*, veteris illius *juramenti*, quô ſe principiô ſtatim, ante captã *Amphéam*, obſtrinxiſſent, ſuos admonebat: antiquiſſimæ præterea bellorum gloriæ; ditionúmque ſuarum, ſi victores è prœlio diſceſſiſſent, novâ Meſſeniorum adjectâ terrâ, ſpatium amplificandi. Breviter iſta *Theopompus*; &, ut *Laconum* loquendi genius ferebat, *abruptè*, dicebat: eâ tamen claritate vocis, ut eam in aures etiam *Meſſeniorum* aura ſecunda facilè perferret. Certè, non fefellerat *Euphaën*: qui, ſuos & ipſe cohortaturus, & utrimque circumferens oculos, ac ſermonem;

Vide-

Videtis, inquit, *& auditis, viri Messenii; quibúsnam adversùm nos* animis, armísque, *Spartiatæ veniant?* Animîs *quidem iîs, quibus antehac, jam Argivos, jam Arcadas, jam alios quoq; Græciæ Peloponnesiq; populos, aggreßi; fines eorum, sine fine, carpserunt: & Spartani-juris fecère terras, quas summam per injuriam, quæsitisq; bellandi caußîs, extorserunt?* (ff) Armîs *autem iis in nos tendunt; quibus, nocturnum per scelus ac proditionem, Amphéam, annô superiore, dormientibus incolîs; occupaverunt: occupatámq;, civium insontium promiscuâ cæde, sanguinéq;, repleverunt. Nunc quoq;, non paria modò, nostrûm omnium fortunis & capitibus, infandi carnifices, meditantur: sed longè truculentiora, contumeliæq; pleniora. Remittite (quod DI prohibeant, & Juppiter avertat!) remittite paullùm modò vestras in dimicatione manus; ac potiores illis in acie partes concedite. Jam continuò, de terra vestra, tam amœnâ, támq; frugiferâ, ne cespitem quidem unum relictum vobis, in quo pedem dominicum ponatis, aspicietis. Cessate, vel ad ictum oculi, contra juris humani divinique violatores istos, telîs, lanceis, ensibus, impreßionem facere. dispeream! nisi confestim videatis; ab illis, etiam in caussa nefandißimâ victoribus, in corpora quidem vestra, genus omne cruciatuum, ac tormen-*

tormentorum; in corpora verò filiorum, conjugúmque vestrarum, compedes, servitutem, contumelias: in tecta denique, penates, sacraria, templáque Deorum patriorum, flammas ac ruinas, expediri. Quapropter, *quibus animis odiisque detestabilem Spartæ gentem, omnémque Laconiam, jam olim, in auctore primo malorum omnium, Evæphnô, devovistis; iisdem nunc quoque, singulos illic, in acie stantes, devoveatis, hortor. Et quoniam id in victima, quam in illis Marti debetis, satìs non est; nisi mactetur etiam, & cadat: agitè, virtutem, quam victi frustra voletis in dexteris vestris resuscitare; nunc, dum adhuc integra res est, & animi calet ardor, in vobis inflammate, commilitones. Putate, si difficile vobis videtur, tantam Spartanorum multitudinem, DIs* hostiam *facere*; putate, *totidem, ante vos, Lacedæmonios astare* boves, *ac* tauros. *Fingite, si quidam eorum parùm adhuc lanienâ digni vobis videntur, quia primi criminis intacti; fingite, totidem illic* Evæphnes, *quot* Spartiatas, *& eorum auxiliares, in armis esse.*

Dicentem hæc *Euphaën*; ejusdem jussu confestim, ab extrema sermonis parte, classica subsecuta signa, pugnam inchoaverunt. *Priores*, in hostem incurrêre *Messenii*, nec dis-

Ruina Messeniorum.

tulêre, manum conserere, *Spartani*. Primáq; *velitaris* potiùs, quàm *graviter cruenta*, congressio, *verborum* magìs, & contumeliarum, quibus alteros alteri lacessebant; manuum item, telorúmque, vibratio, cum oculorum minaci fulgure: quidam denique velut umbraticus, cum ferri scutorûmque concussione, conflictus erat. Deinde tamen præliantium Martius ardor utrobique succenditur: *acrior* tamen, utì videri poterat, *à Messeniis*, initiô saltem, & aliquousque, quàm *à Lacedæmoniis*, incalescens. Illos enim, jactæ, Spartiatarum arrogantî convitió, voces insuper, supra vetus odium, ad iram inflammârant recentem: cùm *Spartani Messenios*, clamarent, *Servos esse suos; nec majore jam, quàm Helótas*, (gg) *libertatis possessione potientes: quippe, Lacedæmoniorum ministros, colonos, lictores, ac lorarios urbis publicos, cæterorum omnium captivorum ritu, futuros: simulac de rerum summa decretum armîs foret.* Quæ verborum ignominia, cùm, utì par erat, profundiùs omnî spiculô *Messeniorum* aures, animósque, sauciarent: non ferrum *Spartanorum*; non densas eorum phalangas, & horrentem hastatorum segetem; non, excussam fundîs, lapidum procel-

lam;

lam; non ſagittariorum Cretenſium ſpiſſum jaculîs nimbum; nec denique ſocialia Lacedæmoniorum agmina, *Dryopas*, *Aſinæos*, & his vicinos populos alios, horrebant: ſed, mortis contemptores, in medium ſe pugnæ diſcrimen, quà confertiſſimi furebant hoſtes, immittebant. Erátque ſpectaculum, vel in ipſa cadentium ſtrage, militaribus oculis, auribúſque, dignum attentu: cùm *Meſſeniorum* quidem alii, ſuorum in oculis, egregiâ morte, nec ſinè cumulo *Spartanorum*, ad Orcum præmiſsô, procumberent; alii, vulnerum adhuc intacti, gentiles ſuos ſauciatos, ac ſemianimes, adhortarentur, ne vel ſic inulti mori pergerent, ſed, interfectîs priùs aliquot adhuc *Laconibus*, gloriæ ſuæ numeros implerent: alii denique, jamjam animam agentes, vel ſemineci voce ſuperſtites rogitarent; ne morientibus vitam imbelliorem agerent: vel, in ipſa ſubinde ſuî ſpoliatione (quis non obſtupeſcat?) extractũ è plaga ferrum, ac telum, ſpoliantis *Laconis* in pectus defigerent. *His ictibus, Spartanorum os arrogans, breviloquentiam ſuam aculeatam, ab hoſte, luit.* Diſcebant igitur, & impudentem deinceps *linguæ* procacitatem inhibere; contentíque ſimplice *Meſſenii*-viri cæde, jactan-

Mm 2 tiæ,

Ruina Meſſeniorum.

tiæ, probrísque, temperare, qui pugnabant: qui verò nõdum ad certamen procurrissent; post phalangis hastata septa, pugnandi tempus, & opportunitatem, opperiri. Tamen, in summa! tantus exercitûs utriusque fuit ardor, & armorum, & odiorum: ut nulli quies, aut respirandi facultas, aut vitæ venia, fieret: immò, precariò nemo retinere spiritum, vel ullô pactô vivere, nisi victor, vellet. *Aut vincendum hodie, milites* (clamabant) *aut à manu victoris moriendum!* Regum quoque, memorabilis in paucis, spectatáque, pugna fuit. In *Euphaën* namque *Messenium*, Lacedæmonius, impetu magnô, *Theopompus* ferebatur: *occisi regis opimum decus, ac spolia, rex sibi deposcens.* Nec tamen imparatum invénit *Euphaën*; violatæ cognationis mutuæ (nam *Heraclidarum* uterque stirpis erant) & *Herculei* numinis offensi, scelus *Theopompo* subamarùm exprobrãtem. Cùm *Euphaë* porrò, Messenius *Antander* erat; in *Theopompum*, ardore non inferiore, pugnam initurus. Tum enimverò, *duobus* inter sese *regibus* arma miscentibus, prælii calor, paullatim antea remitti cœptus, apud omnes increbrescit. Præ cæteris autem, tempestatis, ac fulminis horrendi more, rex *Euphaës*, re-

gem

gem *Theopompum*, loco primùm; mox, omni campô, pellit. universum denique Laconum illud cornu, quod duxerat *Theopompus*, in fugam effundit. At inter hæc, alibi, *Pytháratô*, Messeniorum duce, proſtratô: cornu dexterum, quod is rexerat, laborare primùm, mox & labare; tum, laxatîs ordinibus, amiſsiſque ſignîs, ac duce, terga dare: Cùm interim tamen *acies* utrobiq; *mediæ* (quarum alteri *Cleonnis* Meſſenius, alteri Spartanus *Euryleon*, utì dictum eſt, præerat) æquo paríque quaquaverſum virtute, neutram in partem vel clade vergente, vel victoriâ, præliarentur. Quæ cùm ità gererentur; ut nec *Euphaës* averſos in fugam Laconas, nec *Polydorus*, rex Lacon, Meſſenios, itidem alibi diſſipatos, inſequerentur: deterrentibus, ab hoſte perſequendo, *Spartiatas* quidem belli vetere quadam lege, locorúmque, per quæ perſequendus hoſtis eſſet, inſcitiâ; *Meſſenios* autem, ſuorum, in dextero cornu periclitantium, curâ, ſtudióque ſuccurrendi: *nox* tandem ingruens, cœlum ac terras caligine; præliúmque controverſiâ, penès utros victoria ſtetiſſet, involvit. Ità, tam pro victoribus utrique, quantùm pro victis, diſceſsêre. Tantummodo, ſtratorum in medio

Ruina Meſſeniorum.

dio multitudo cadaverum, loquebatur: *Vtrósque pugnásse sic; ut neutri non vincere mererentur.* Ac certè, diluculô posterô, ne *Lacedæmonii* quidem ipsi, cæteroquin ad arroganda sibi speciosiora facillimi, vel figere trophæũ, adversùs Messenios; vel ullo modo se pro victoribus gerere; vel denique, ne prælii quidem aleam repetere, sunt ausi. Tantummodo, pactione mutuâ, suorum humatîs corporibus; alteri *Spartam* suam, in *Messeniam* alteri, redierunt. Hic exitus fuit prælii, cumprimis tunc per Græciam decantati: cujus è campo, jam iterum *Spartiatæ reversi sunt; Juramentò suò, quàm spoliis hostilibus, onustiores.*

VIII. Quamvis autem hæc, in eum se, quem dixi, modum haberent; ut de re, contra Messenios gestâ, vel nihil, vel parùm admodum, quod triumpharent, habere Lacedæmonii possent: ex eo nihilominus tempore, nihilô ferè meliores valentiorésq; cœperunt esse Messeniorum opes, ac fortunæ. Defecerant, anima bellorum, impendia nummaria; superiorum temporum apparatibus armorũ, ac præsidiorum alimentîs, præconsumpta. Transfugerant, lassata bellicîs oneribus operîsque, servitia: quibus etsi Spartæ quoque dura

dura proponebatur *Helotarum* conditio; multitudo tamen conservorum, securitásq; major, solatium promittebat. Aliquid denique, bellis aptæ pubis, ac roboris, pestilens annus, ac vulgata Messeniacis oppidîs agrísq; corporum tabes, imminuerat. Quibus omnibus temporum iniquitatibus adducti Messenii, tum Optimates, tum populus; in commune captô probatôq; consiliô, constituerunt denique: nudatîs frequentiâ cultorum *continentis-terræ* campîs, & agris; ac sinè cive cuncto solitariîs relictîs iis oppidîs, & urbibus, quæ longiùs à mari recesserant: *Ithômen* insidére montem. Hic littoribus, in Austrum incumbentibus, utcunque vicinus; altitudine, magnitudinéque, siquis alius totius Peloponnesi montium, eminebat. ac præterea, vel Homero teste, *salebrosus*, aditúque propterea difficillimus: castellum insuper habebat, & oppidum, in supremo sui vertice, perquam opere quidem, & naturà, munitum; cæterùm, per contractius murorum ac loci spatium, tantæ Messeniorum multitudini, quanta tunc Ithómen erat occupatura, nequaquam suffectu-rum. Muros igitur, quoad necesse visum esset, per circuitum produxerunt. Et sanè feliciter

Ruina Messeniorum.

citer ſeſe, talî contractionis ingeniô, contra Spartiatas, communîſſent: niſi, quæ *Dei Fortunæq́ beneficia quàm plurima diſturbat, veſana mentium humanarum Superſtitio*, bene conſultis intercurriſſet. Nec id ſemel; ſed (quoniam in exitium ſui Meſſenii, jam non *homines* tantùm, verùm *Cacodæmonas* etiã, proliciebant) iterum, iterúmque repetitîs fallaciſſimorum Oraculorum conſultîs. Primùm igitur omnium, *Tiſin* quendam, è gentilium ſuorum numero, divinationibus, & hariolandi ſtultâ peritiâ, famoſum hominem, *Delphos*, in Phocidem, ſciſcitandi cauſsâ, legârunt Ithomenſes; *Ecquid, ſuper exitu Spartani belli, ſpei Meſſeniis oſtenderetur?* Interrogantibus, Pythia reſpondit; *Aepytidarum è progenie, puellam, omnis expertem maſculæ conſuetudinis, victimam fieri, nocturnîs Sacrîs, oportere.* Dæmonis intellectâ voluntate; producuntur in medium Aepytidarum regii Sanguinis univerſæ virgines. mittuntur ferales in urnam ſortes. Palpitantibus, inſtantis lethi formidine, puellîs cunctîs: ſors exit denique filiæ *Lyciſci*; viri, ſtirpis Aepytidarũ. Exſpectant omnes; quandónam, quóve Sacrorum apparatu, quô Virginis, ac genitoris, animorum habitu, ma-

ctare-

Ruina Meſſeniorum.

ctaretur? Sed intervénit exſpectationi, tanquam *Auſpex obnuntians auſpici*, Vates alius, *Epébolus* nomine; ſive ſubornatus à Lyciſco, propinquíſve mactandæ virginis, ſive ſponte ſuâ, veritatíſque ſtudiô. Negabat hic; Lyciſci ſanguinem, adeóque ſtirpis Aepytidarum, eſſe puellam eam, quam Sacrificio deſtinâſſent Meſſenii: quippe, fraude quondam à Lyciſci conjuge ſibi, patríque falſo, ſuppoſitam; cùm partum ea revera non ederet, ſed mentiretur. Quocirca, nihil ad virginem illam, nec Oraculum pertinere, nec Sortem: ut, quæ gentis Aepytidarum omnino non eſſet. Hæc, *Epéboli* vatis interceſſione mota, controverſia, dum in utramque partem, populo judice, ventilatur; *intérq. caliginem ac lucem*, quaſi *crepuſculò* quodam *conjecturarum*, *Veritas laborat*: Lyciſco tantiſper ſpatium eſt occaſióque data; cum filia, per diſpoſitos equos, Ithóma Lacedæmonem profugiendi: paritérque, ſe dolore luctûs, ac puellam omni mortis periculô, liberandi. Neque poſt hæc unquam Meſſenios, ac patriam, *Virgo* vidit: quippe, poſt aliquot annorum intervallum, morbô corporis Spartæ decedens. Patuítque, ſub obitum demum ejus; argumentîs, haudquaquam va-

Ruina Meſſeniorum.

nîs, *Epébolum* olim illius intercessisse neci. Dum enim *Lyciscus* ad tumulum virginis aliquoties, lacrymarum, ac memoriæ caussâ, ventitat; *filiæ* cineribus, veluti sibi persuaserat, luctum impendens: fortè fortunâ tandē, die quodam, ab Arcadum equestri globo, qui pro Messeniis, contra Spartiatas, suburbana Lacedæmonis excursionibus persultabant; ad ipsum sepulcrum *Lyciscus* comprehenditur. Agnitus autem, Ithoménq; continuò perductus, dum, in comitio populi, capitis, ac transfugii, quin & proditæ, quantùm in ipso fuisset, patriæ, caussam dicit; omnium denique suffragiis, post summum jam discrimen aditum, Lyciscus absolvitur: posteaquam, Junonis summô Sacerdotiô complures antehac annos functa, matrona quædam, seu Lycisci periclitantis commiseratione, seu vi Veritatis, adacta, processit in concionem: séque pariter, & supposuisse filiam suam uxori Lycisci, sub horam partûs, confessa palàm est; &, in assertionis veræ pignus ac testimonium, Junoniô seipsam Sacerdotiô, palàm abdicavit. Verùm, hæc posteriùs, ac multos post annos, evenêre: quæ nos tamen, hoc locô, ne dividere narrationem, anxiâ temporum observa-

ſervatione, cogeremur, aptiùs exponi ſimul in cumulum, exiſtimavimus. At inter hæc, abductâ per Lyciſcum eâ, quam victimæ deſtinârant, virgine; pendebant animi Proceres, ac populus, Meſſeniorum: quónam deinceps ſe, juſſis Delphicis explendis, converterent? cùm, ecce, Meſſeniorum facilè nobiliſſimus, ARISTODEMUS, Aepytidarum etiam ipſe proſapiæ, procedit in forum: unáque Virginem filiam nubilem, egregiâ puellam formâ, productam; Ithomæis ſacrificandam offert. Aſſentientibus, approbantibúsq; cæterîs omnibus, ſed inprimis Aepytidarum Virginibus, eorúmq; parentibus; quòd, in *unius* tunc Puellæ caput & jugulum omnî translatô fatô, reliquis moriendi metus ac neceſſitas deceſſiſſet: unus ſe *Meſſenius* oppoſuit *juvenis*; negavítq;, ſe paſſurum, ut Ariſtodemi filia, quam jam pridem amâſſet ipſe, clámq; parentibus ſibi deſpondiſſet, ullius à manu ferróque, vel Deorum, vel Hominum, violaretur. Ex quo namq; die, propriam eam ipſe ſibi, nuptiarum pactione mutuâ, feciſſet: in patria poteſtate puellam eſſe deſiiſſe. Quare, nec in arbitrio jam eſſe genitoris; viveret, an occumberet, etiam publicâ pro ſalute: verùm eam,

eam, injectis manibus, se ducere, non ad *Aras*, sed in *thalamum*. Gratum id *Virgini* fuit utique, destinatam ad cædem jam dudum pallenti; quòd *assertorem*, nec opinum, invenisset. Ingratum *patri*; quòd, quam ab universa Messenia cœperat inire gratiam, ea sibi, Juvenis unius importunâ caussatione, pręscinderetur. Vehementer igitur, magnísque clamoribus, hinc à genitore contra filiam, isthinc à proco (sive verè *Sponsus* is fuit) pro puella, contra patrem, res agebatur. Cùm autem appareret: interpellatoris caussam, partim quidē Aristodemi gratiâ splendoréque, *conficta mentitáq; Sponsalia fuisse*, vociferantis, fluctuari; partim autem, & multitudinis favore, qui pronior in Aristodemi caussam (utpote Reipubl. plausibiliorem) erat, opprimi paullatim, multísq; fore partibus inferiorem: tum demum, velut ad *sacram* universæ litis *anchoram* cōfugiens, adolescens; *Quoniam*, inquit, *inimici me potiùs opes ac potentia, quàm leges æquitásq; gravant; & Hostem experior eum, quem Socerum optâram: non parcam, nec ego, diutiùs auribus Aristodemi; quantum id cunq;, quod dicam, dolenter & acerbè laturis. Nimirum, gentis Aepytidarum puellam, Apollo Delphicus in hostiam flagitat. Eam, Aristodeme,*

Ruina Messeniorum.

deme,(fateor) in filia, citra controverſiam ullam, veriúſque,quàm Lyciſcus,habes. Sed tamen,idem hic Apollo, puellam in aras imperat, omnis expertem maſculæ conſuetudinis. & hanc, in filia tuâ, non habes. Eam enim ego (ne neſcias) non modò jam uxorem,ſed & matrem,feci; quippe,prægnantem ex me. Dixerat hæc adoleſcens; & in *ſe* mendax, & in *Virginem:* intemperanti videlicet, illius liberandæ, ſtudiô raptus in tranſverſum. Id, quod continuò patuit; ipſéque, manifeſtô veritatis experimentô convictus, fateri compulſus eſt. *Ariſtodemus* enim, hîs, quæ dixerat Juvenis, auditîs; omittere, tam cauſſam cœpit,quàm actorem: &,oblítus patrem, indutúsq; ſævum Scytham, cruentiſſimãmq; belluam;*iracundiâ gladium ei porrigente, ſed mentem ſimùl eripiente*, filiam domum abſtrahit. Ibi,negantem flagitium, ac pernegantem,ſed lamentis nihil proficiẽtem, Hippómene truculentior, manu propriâ mactat. Deinde, Neroni Cæſari, matris interfectæ viſcera rimanti, præludens; uterum puellæ diſciſſum (ô facinus!) ſcrutatur: fœtum, & corruptæ ſigna,quærit; ſed neutrum ínvenit. Id frendens igitur;duplicatóq; jam luctu, per urbem fortunas ſuas hàc illàc deplorans;tantum

Ruina Meſſeniorum.

tum populi totiúsq; Messeniæ, motum concitavit animorum: ut magna pars, utri potiùs graviúsq; succenseret, in dubio poneret; Aristodémo-ne, *filiæ carnifici*; quod nomen, omnis naturæ genitiva vis exhorresceret? an verò Juveni; qui mendaciô suô, devotam jam Sacris victimam, avertisset: aliámq; posthac, ex Aepytidis, sortiendi Virginem, populo necessitatem imposuisset? Stabat enim idem ille, qui priùs, aruspex ac vates, *Epébolus*: negánsque, ritè puellam immolatam esse, quæ non poparum, sed genitoris, ferrô procubuisset: concionem, ad aliud quærendum puellare Sacrificium, incitabat. In quo deterrima *Sathanæ* sitis humani Sanguinis, ac Virginei præsertim libandi cruoris, abundè se prodidit; ex ore detestabilis hujus *Epéboli*, sacrificiorum humanorum Suasoris, & administri: quò sic, catenatâ plurium adhuc cædium *invitarum* serie, perveniretur tandem, ad *Capitis* alicujus spectatioris interfectionem suî *voluntariam*; quæ, præcedentium tot lanienarum, mensuram impleret & coronaret. Id, in tempore, memorabitur. *Epébolum* interea, solum omnium, qui *Dæmoni Pythio* sacrificium fieret, dignissimum; *rex Euphaës*, de quo di-

ctum

Ruina Messeniorum.

ctum in superioribus est, quò minùs suîs ad populum cruentîs hortamentîs proficeret, terrore majestatis inhibuit. Huic enim cùm ex intimis is esset Juvenis, qui figmentô suô caussam Aristodemo parricidii præbuerat; idcóque, quò minùs à furente plebe discerperetur, prope propiùs abfuisset: in concionem rex procedens, advocatæ Messeniorum multitudini, non solùm Juvenis mendacium, quod vis amoris extorsisset, elevavit, ac diluit; sed etiam, ut omnes deinceps extra metum omnem scrupulúmq; degerent, ex ipsis Oraculi Pythii verbis, argumentorum facundâ congerie, demonstravit: *Satìs jam supérq; tum sacrificatum esse, tum perlitatum, in Aristodemide Virgine. Nec interesse, cujúsnam manu, dummodo manu tamen hominis, immolata foret.* Hæc regis *Euphais* oratio, dici non potest, quàm, summis infimisq; Messeniorum, non *vera* modò visa, sed & *grata* fuerit, & accepta: lætantibus præsertim Aepytidarum familiîs universis; Aliquando finem inventum esse, *Virginum* sui sanguinis, in publicum sacrificium, cum privatorum luctu, quærendarum. Secundùm quæ, major animorum, ad resumendum bellum, alacritas subire Messenios

Ruina Messeniorum,

nios cœpit; victoriæ fiduciâ, quam Apollo Delphicus, Aepytidæâ cæsâ virgine, ſpoponndiſſet. Lacedæmonios contrà, rebus, & Sacrîs, apud Ithomæos peractîs, exterritos, ac debilitatos; militaris ſuccesſsûs ſubire deſperatio. Neque tamen omisêre, vel conſilium, vel arma: ſed, veteris identidem memores Jurisjurandi, *Contra Meſſenios, ad eorum internecionem uſque præliandi*; præthereáq; Seniorum incitati vocibus: octavo demum, poſt Lycisci fugam, annô, bellum ultro, priorésq;, *Spartiatæ* reſumunt. Nec detrectant *Meſſenii*: ſed, mactatæ per Ariſtodemum filiæ, tanquam veriſſimi legitimíq; Sacrificii, fiduciâ; cum ingenti Victoriæ ſpe, ne ſociis quidem Arcadibus, ac cæteris Peloponneſiaci nominis, exſpectatîs, in aciem procedunt. Et venerant in caſtra, magnum ſuis utrimque virtutis ac pugnæ futuræ calcar, Spartiatarum hinc quidem Theopompus, illinc autem Meſſeniorum, Eúphaes; animoſi reges. Commiſsô certamine, penitúsq; fugientem jam, & occumbentem, in diem extractô; neutrius fuit partis victoria: neutrius quoque clades, aliquantô notabilior. Ut proinde nihil tunc magnopere lucri ſe reportâſſe, gloriari *Meſſenii*

Ruina Meſſeniorum.

[M]ſenii poſſent, è cæde Virginis Ariſtodemidis, [o]raculiq; Delphici promiſsîs. Immò, ſi pan[d]ere, tum ſaltem aliquando, ſuperſtitionibus [o]bcæcatos oculos auſi fuiſſent; *Idolorum* ſuo[r]um ſceleſtiſſimam fallaciam, ac vanitatem, [c]larè deprehendere miſeri valuiſſent. Nunc [a]utem, ſatìs ſupérque triumphare ſe rati *Meſſenii*, quòd ſe triumphandos *Spartanis* non [p]ræbuiſſent; ſucceſſui rerum ancipiti, tanquã [o]mnibus reſpõdenti votis, acquieverunt: & è [p]rælio majus nihil, tum quidem, quàm, quòd [E]*uphaën* regem ſuum non in veſtigio ſtatim [c]ertaminis amiſerant, retulerunt. Is enim in [a]dverſarii regis aciem incitatiore, quàm ſuis [e]xpedîſſet, invectus impetu, compluribúſq; [l]ethiferîs affectus plagîs; cùm eum, in terram [d]efluentem, ad ſe rapere vi ſummâ *Spartani* [l]aborarent: ſuorum acerrimâ renovatâ dimi[c]atione, ſervatus tunc, & in caſtra ſubdu[c]tus eſt. Ac rex quidem *Euphaës*, in paucis [p]òſt diebus, è vulneribus, vitam *regnúmque*, [q]uod annorũ *tredecim* fuerat, abſolvit: cæſæ, [p]er iram parricidalem, *Virginis* (quam cædem [r]ex, *Sacrificii* colore fucârat) infelix in tumu[l]um, ſed digna, meritáq;, victima. *Regii* namq; [ſ]anguinis puellam, *regiæ* decebant *Inferiæ*!

IX. Post hunc, qui sine successione stirpis, ex se prognatæ, decesserat; Messeniorum *regia potestas*, rejectis, qui diversa sentiebant, ac regem alium volebant; populi favore suffragiisque transfertur in *Aristodemum*. Solatium id futurum *patri* videbatur, ærumnarũ, ex *filia*, pro Salute populi mactatâ, toleratarum. Hujus Regnum, *sex* fuit annorum, & *mensium* aliquot; fortunæ memorabilî varietate mistum. Ac principiô quidem *Aristodemus*, prudentiæ laude singularî, ne vel intestinô conflictaretur hoste, vel externîs amicîs uteretur dubiîs; & regni competitores, universimque primores ac populum, indulgenter habendo, sui studiosissimos effecit: &, ad *Messenii* nominis *socios* munera legationésq; mittendo, sibi, quosvis in belli pacisque casus, *Arcadas*, *Argivos*, ac *Sicyonios*, conciliavit. Quo factum est: ut, cùm annô regni sui *quintô*, copias adversùm *Lacedæmonios* educeret, non modò suîs omnibus, in castra præliúmque, volentibus, ac promptissimîs, usus sit: sed etiam iis ipsîs, *Sociorum*, quos paullô priùs nominavi, populîs. *Lacedæmoniorum* autem tam æquabilî mitique Messeniorum imperiô tanta tunc, cæteras ad *Peloponnesi* gentes, superbia

perbiæ fuit invidia: nullîs ut auxiliîs, præter ſolos tantummodo *Corinthios*, ſuffulti, prælium inierint. Id, quod è præjudicio, totius pæne Græciæ, ſibi diſcordis, parùm honorificô, non parùm eorum retundere tumorem, frangeréque ſpiritus, debuerat: ac victoriæ comminuere fiduciã. Idque debilitâſſe *Spartanam* arrogantiam, quantumvis alacritatem vultu frontéq; ſimulantem, apparuit è ſucceſſu. Quantumlibet enim copiarum numerô multitudinéq; ſuperiores, ac pro victoriâ, veteréq; belli gloriâ, nitentes: ad extremum tamen, unà cum *Corinthiis*, in fugam effuſi, ſuperandos ſe, cædendóſq; *Meſſeniis*, inſignî ſuâ clade, præbuêre. Ceciderúntque, *Spartanorum* generoſiſſimus quiſque, bellóque ſpectatiſſimus: *vulgi* verò, multitudo magna. Cùm autem, poſt hæc, ad *Delphicum* & ipſi ſe cõferentes Oraculum, *Aſtu fraudéq; rem gerere*, Lacedæmonii juberentur; ipſiq;, *Dolus, an virtus*, ſuperior evaderet, *in hoſte* non anxiè crederent inquirendum: nec id quidem, periculum *aſtutiæ* facientibus, ad votum ſucceſſit. *Centum* enim *Spartanos* à ſuis ſubornatos, qui ſe perfugas fingerent; cùm *Ithômem* veniſſent, ut, hoſtium deprehensis conſiliîs, &

Ruina Meſſeniorum.

opportunitate captatâ, patefactîs portîs, suos intromitterent: *Aristodémus*, ad *aures* quidem principiò; nunquam tamen ad *animum*, ac fidem, admisit. Quin & cùm Spartæ paullò pòst eos, plebiscitô, procerúmque decretô, tanquam *transfugas*, damnatos intelligeret: idipsum, quod alium, minùs cautum, illis perfugis, tanquam pignore sinceritatis, adstrinxisset, & conciliâsset; apud *Aristodemum* ad confirmandam valuit suspicionem: utì, sicut revera fuerant, ex *composito* potiùs hæc illi, quàm *verò*, geri cuncta viderentur. Increpitos igitur eos, *Ithómâ* protinus ejecit. Quos eosdem, paullò pòst, eádem simulatione, se recipientes in *Arcadiam*; eádem imbuti falsitatis conjecturâ, rejecerunt feliciter & Arcades. *Prudentiùs itaque fraudem à se depulerunt homines; quàm eandem DI, Dæmonésq; suaserunt*. Sed, sub hæc, ad *Oraculi* denuò salebrosam perplexámq; vanitatem relapsi, tum rex *Aristodemus*, tum omnes universim *Messenii*; bene cœpta, *vicesimúmque* jam *annum* (tot enim annis bellabatur) prosperè satis continuata Martis, adversùm *Spartiatas*, consilia, sine lævô corruperunt. Prædictum ab

Apolline

Ruina Messeniorum.

Apolline fuerat; *non priùs exituram belli, quod inter utrumque populum gereretur, aleam; quàm GEMINI, QVI PRIVS EX ABDITIS ERVPISSENT LOCIS, IN ABDITA DENVO SE RECIPERENT.* Id, quorſum valeret, ac tenderet; non modò, qui conſuluerant Oraculum, expedire non poterant: ſed nec interpretum quiſquam, ac, ſinè dubio, nec is quidem, qui prædixerat. *Sathanas* enim, qui ſub *Delphico* canebat *Numine*, *cortináque*, futurorum, quæ pendebant ab hominum arbitrio, prorſus inſcius; jecerat, in incertum, ſub *Geminorum* vocabulo, quod, utcunque poſtea cecidiſſet, eò trahi, rebus jam peractîs, poſſet. Et nihilominus, nec *Meſſeniis* victoria, cladéſve; nec *Spartanis*, ſignatè denuntiabatur. Sed *Ariſtodémus*, ac *Meſſenii*, ſuperſtitione, tanquam oeſtrô quopiam, exagitati; *Geminos* tandem retulerunt, ad *oculos* Ophiónei cujuſdam, Meſſenii vatis: qui, cæcus olim in lucem èditus; poſtea, graviſſimîs cranii doloribus afflictus, morbô decedente, ferebatur *Oculorum* fuiſſe nactus uſum. ad extremũ autem, (ut *omnia Tartari beneficia, fucata fugitiváq; ſunt*) in priſtinam relapſus eſt cęcitatem. Idque regem ac *Meſſenios* exterruit;

Ruina Meſſeniorum.

ut, rebus ſuis fatalem inſtare finem, ſibi perſuaderent; omnémque propterea bellandi veterem alacritatem, formidine planè delirâ Panicâque, deponerent, & abjicerent. Quod totum tamen, ex Oraculi vi, neque neceſſarium fuerat: aut, non magis Ithomæis, ac Meſſeniis cæteris, quàm Spartanis atque Laconibus. Præterea, conſulta rurſus, ab iiſdem Meſſeniorum legatis, aliô tempore, *Pythia Delphica*, ſuper ratione compendióque victoriæ, de Laconibus reportandæ; præceperat, (at, quid nugarum, ac puerilitatis, plenius eſſe poterat illius *Apollineæ Divinitatis* DECALOGO?) duos inter populos uter *Meſſeniam* facere ſibi propriam ſubjectámq; deſideraret, is DECIES DECEM *tripodas*, ad *Jovis-Ithomæi* properaret aram, prior ſtatuere, ſtatutóſque dedicare. *Meſſenii* ſciſcitati fuerant, edoctíque, ſicut diximus, quid opus facto foret; videbantur, id & celeriter, & nullâ magnâ difficultate, confecturi: dummodo Lacedæmonios tantiſper præceptum illud Apollinis lateret. Nam & *Jovis* ipſi delubrum, Ithomês intrà mœnia, tenebant; cui propterea Jovis *Ithomátæ* nomen erat: &, *æré* licèt ac metallô cæteri generis, exhauſti; *tripodas* tamen

men *è ligno* quàm primùm faciēdos locârant. Sed, dum *Centum* iſtius formæ *vaſa* peritus artifex Meſſenius molitur, & elaborat: Spartiatarum interea civitas, à Delphico quodam cive, quídnam Oraculi redditum Meſſeniis eſſet, properanter edocti: feſtinatione ſummâ cōfectos è luto tripodas fictiles (ô, Deorum-Græciæ crepundia!) *Centum* numerô, conjectos in peram venatoriam, humerîs *Oébali* cujuſdam Spartani, miſerunt Ithómam. Is *Oébalus*, venatorem mentitus, ſed Meſſenium, & Meſſeniô cultu; cùm, inter agreſtem multitudinem fácilè pro gentili receptus in urbem, ad Jovis Ithomátæ, primîs ſub tenebris, penetrâſſet: ibi *tripodas*, quos attulerat, ad aram effudit; effusósque, Jovi conceptîs dedicavit verbis. eóque factô, Meſſenios, qui ſub pera venatoris alia quævis potiùs, quàm ſacra latitare vaſa, crediderant, in *Tripodum* hoc negotio prævénit. Qua res, in ſeipſa ſinè dubio futilis, ſed gentibus illis, errore cæcis, permagna viſa; vehementer *Ithomenſes*, cùm poſtridie Spartanorum aſtutam induſtriam deprehendiſſent, fregit: ac, tanquam cladis exitiiq; ſecuturi præjudiciô fatalî, conſternavit. E diverſo verò, *Lacedæmonios* in

Ruina Meſſeniorum.

ſpem, totius potiundæ Meſſeniæ, minimè dubiam, erexit. Eo factum eſt; ut *hi* quidem, reipſa nō inſtructiores, manúve fortiores, tunc, quàm annîs ſuperioribus fuerant; *poſſent* tamen (quod Romanus Poëta dixit) *quia poſſe videbantur*. E contrario verò *Meſſenii*, quibus adhuc pubes eádem, ac bellandi vis, ſupererat, quâ tot annis Spartanorum opes ac tumorem retuderant; flacceſcentibus tunc animîs, *Vinci ſibi videbantur debere: quia DI victoriam illis*, (ut ipſi ſomniabant) *abjudicare credebantur*. Eámque, ſolâ profectam è ſuperſtitione, perſuaſionem, Meſſeniorum in animis auxerunt, etiam alia quædam eventa, timidis fortaſſe *grandia*; cordatis autem, ac ſuo ſingula cenſu penſantibus, frivola planè: naturæque rerum, aut caſui, tribuenda. Qualia fuêre: Dianæ Meſſèniæ ſimulacro, ſponte ſuâ, ſcutum æneum excuſſum; quia ferrumen, quo clypeus ſigno Deæ fuerat adglutinatus infirmiùs, vetuſtatis exeſum vitiô, reſolutúmque, diffluxerat. Jovis quoque ſacrificio deſtinati, ſub idem ferè temporis, *arietes*; cùm, ad aram, ſolitô violentiùs impactîs cornibus, poſtea concidiſſent exanimes: *Ariſtodemo* regi, qui victimam eos facturus fuerat, ſuſpicionem

nem auxerunt, faſtiditarum à cœlo Meſſeniæ religionis hoſtiarum: ac portarum urbis ſuæ, templorúmque, per *murales* Spartanorum *arietes*, everſionem. Quo, quid fingi poterat, aut puerilius, aut inanius? ut ideò projici mens omnis armorum legitimorũ, unà cum ſpe victoriæ, deberet? Quaſi verò non ſæpius, in hodiernum uſque diem, & *arietes*, & boves ipſi, biſontéſque, vel in ſeſe mutuò, pugnæ cauſsâ, vel in truncos arborum, ſcopulóſque, capitibus iratîs incurrentes, & cornua frangerent; &, pertusîs frontibus, in ventos cerebrum unà, vitámque, diſpergerent? *Canes* quoque (quod & ipſum tunc Meſſeniis evenerat) quàm ſæpe conglobati, noctes totas, in publico, pérque vicos & angiportus, exululantes; nihil tamen ulteriùs, vel publicę calamitatis accerſunt, vel privatæ: niſi, ſicui credula deliriis anilibus, ad iſta talia, mens, & imaginatio, malum ipſi ſibi creet, ex ea, quã haurit, formidine; nemine, nec *Deorum* cogẽte, nec *hominum*. FREQVENTER *enim, mortis eſt cauſſa, moriendi ſolus metus: & intereunt, qui nimis credunt, ac formidant, interitum.* Sæpius quoque, plus, quàm malis ipſis, malorum opinione ſolâ laboratur, ſuperſtitioſas apud

Ruina Meſſeniorum.

mentes: trahíque ſe fingunt ad perniciem; cui depellendæ tamen, ſola ſufficeret animoſa depellendi voluntas. Nam arma ſatìs adhuc, ſupérque, ſuperſunt illis in manu; *non Cedere malis: ſed, quantò minantur atrociùs, tantò generoſiùs adversùm inſurgere. Nunc autem, ſæpe manus damus, adhuc armatas, & telis inſtructas; ideò tantùm, quia, Cœlum nobis iratum, magìs fingimus, quàm experimur.* Intonuit lævùm: irrubuit Luna: deliquiô Sol expalluit: per noctem totam ulula gemuit: ſtriges, ſuper tumulum ſedentes, planxêre: cuculi cantus annorum numerum avarè contraxit: crocitavit in faſtigio corvus, ac domeſticorum uni funus indixit: lepus matutinus, per tranſverſum ſemitæ currens, itineris cœpti proſperitatem inquinavit: *pes* ſiniſter, ante dextrum calceatus eſt: pedis digitus ad cubiculi limen offendit: &, quod Geta quondam Terentianus expreſſit; *Canis alienus ater, irrupit in ædes; per impluvium anguis decidit, de tegulis; gallina garrivit.* unde *vetuit haruſpex, ante brumam aliquid aggredi negotii novi:* (hh) quæque cætera generis iſtius *phantaſticarum* capitis *imaginum*, infinita commenta ſunt. Ea, Deô verô nixus, contemptor animus, ex æquo diſplodit

plodit omnia, redditque caſſa: metu verò, ſuperſtitionéque, contactus, Numine ſubinde permittente, vertit in eam ipſam, quam ſibi præſumpſit, perniciem. Quæ DEI, talium mortalium in capita, *qui Deo non credunt, & ideò non proteguntur ab eo* (ii), meritiſſima, dignáque delictîs ſuîs, eſt *ira*: quâ fit, ut INIQVITAS, alioquin ipſa ſibi MENTIRI ſueta; tamen in vaniſſimis his nugarum obſervationibus, eventu lævô, quem ſibi metuerat, ſubſecutô, *veridica* fiat.* Quantas igitur *aſſertori noſtro*, CHRISTO, ſæcula poſtera melioráque gratias debent: cujus *Evangelicâ*, terris importatâ; luce, deceptionũ illarum è tenebris, magnam partem, expedita ſunt? iiſque *ſempiternæ Veritatis* ore monſtratum, *Quid unicè ſolúmque TIMERE, cæterîs omnibus proculcatis formidinibus, debeant?* eum videlicet, *qui corpus pariter, & animam, tradere Gehennæ cruciandа poteſt.* (*kk*) Sed nos ad *Meſſeniorum* portenta, prodigiáque, quorum à ſemita digreſſi nonnihil, per dolorem, ex indignitate rerum conceptum, ſumus, revertamur. *Canes* illi, quos agminatim ululâſſe per compita noctibus *Ithômæ* dixeramus; eádem demum importunitate ſeſe mœnium

Ruina Meſſeniorum.

mœnium portis ejecerant: & in castra Spartiatarum se contulerant. Quod eorum facinus, quidnam, obsecro, vel ominis habere, vel admirationis insolitæ, debebat apud Sapientes? Quasi verò non itidem, & *leprosi quatuor* illi *Samaritæ*, famis impulsu, *transfugissent ad castra regis Syrorum?* (*ll*) &, in urbiũ complurium diuturnis obsidiis, multa sæpe millia civium utriusque sexûs, *ad hostes* transire, quàm, penuriâ ciborum, ad *cœnam Plutonis*, maluissent? Et *Canes* igitur istos, in rerum omnium, quâ premebantur Ithomenses, inopiâ, ventris esurientis rabies, ad transfugiũ adegerat. (*mm*) Supervénit verò tandem his omnibus mentis angoribus, *ex animi falsa persuasione* Messenios cruciantibus, *Somnium, humanorum affectuum insigne ludibrium:* quod, oblatum *Aristodémo* quiescenti, graviter, & dormientem exterruit, & expergefactum extra se posuit, ac funditus evertit. Videbatur is sibi, sumptis adversùm hostes armis, ac telis, sacrificare priùs, antequam acie congrederetur: cæsæque victimæ super mensam effusis extis, unde futuri certaminis conjectus eventus esset, epulum initurus. Talia verò tunc agitanti, visum erat; super-

venisse

venisse *filiam*, ab se quondam, per impotentem animi furorem, interfectam, pullâ velatam stolâ: retectóque pectore, vicinóque ventre, vulnera, quibus eam genitor lacerâsset, &, num prægnaret, scrutatus esset; cum umbrosâ lugubríq; fronte, prę se ferentem. Mox autem, deturbatîs è mensa, disjectîsque per vim & iram, extîs; detraxisse patri thoracem, cum reliquis armis: &, quo tunc ornatu *Messeniorum primaria* solerent *cadavera* cohonestari, *vestibus* aliîs, iísque *nivei coloris*, eum induere; *caput* autem *aureâ coronâ* redimire. Deinde, de conspectu patriô sese subducere. *Somnium* igitur istud, quod, sive verè nudéque cogitationum diurnarum nocturnus in imagine recursus; sive *Cacodæmonis*, puellę speciem induti, spectrum ac forma ludificans fuit (ut sanè multis sæpe *Spiritus* ille *mendax*, & inprimis *Idololatris*, imponit) *Aristodémo* mortis instantis certissimũ visum est esse præsagium. quod tamen eludi re nullâ præsentiùs, quàm *explosione*, potuit, & *contemptu*. Quoties enim etiam nos, & *mori* nobis secundùm quietem, & ex edito *ruere* loco cum interitu nostri, videmur? ac nihilominus, excussîs animô terriculîs, respiramus?

ramus? póſtque depulſum ſomnum, in multos adhuc annos, *ex ipſo mortis ſimulacrô, vivaciores*, & *è præcipitiis erectiores alacrioréſque*, degere perſeveramus? Sed nimirum, agitabat *Ariſtodémum*, ex mala filiæ trucidatæ cõſcientiâ, *mentis vecordia; peſſimum, occupatis ſuperſtitione mortalibus, ad deterrima quæque capienda conſilia, ſæviendique contra ſeipſos, irritamentum*. Oppreſſus ergo, ſcelerum à ſe, *per utilitatis publicæ futilem oſtentationem*, ſuſceptorum, atrocî recordatione; ſeipſum è domeſticorum ac familiarium conſpectu proripuit: &, adactô crudeliter in *ſuámet* viſcera gladiô, quem è *filiæ* viſceribus olim cruentum extraxerat; ad illius ipſius tumulum infelix ſe *pater* è medio ſuſtulit. In hoc ergo viro, vel inprimis eluxit illa, de malis ac damnis-*Idololatriæ*, Sapientiæ Veritas, per Salomonem expreſſa, capite decimo quarto. cujus afferri verba, pretium erit operæ; *Non ſuffecerat* (inquit) *eis, errâſſe circa veri Dei Scientiam: ſed &, in magno viventes inſcientiæ bello, tot, & tam magna mala, PACEM appellaverunt. Aut enim Filios ſuos, filiáſve, ſacrificantes; aut obſcura* nocturnáque *Sacrificia* (qualia præcepit Delphicus Apollo) *facientes*;

Ruina Meſſeniorum.

tes ; *aut insaniæ plenas vigilias habentes : neque vitam , neque nuptias mundas , jam custodiunt* ; quin, & pactas evertunt (ut in filia fecit Aristodémus). *sed alius alium,per invidiam*, aut immodicam iracundiam , *occidit* ; *aut adulterans*, & dominationem ambiens, *contristat : & omnia commista sunt ; Sanguis , homicidium , furtum, & fictio : corruptio* fœderum , ac mutuæ societatis dissidium , & *turbatio*; *perjuriũ*, *tumultus bonorum* , *oblivio Numinis* , *animarum inquinatio:* cæteríque generis mala , quorum aliud trudit aliud. *Aut enim, dum lætantur, insaniunt : aut falsa certè* perplexáque *vaticinantur* ; *aut vivunt injustè , pejerántque citò. Dum enim confidunt in Idolis, animâ* vitáque *carentibus*; *malè jurantes*, *lædi se ,non sperant. Evenient igitur illis utraq; meritò ; quoniam malè senserunt de* Summo *Bono* ; *stultéque* de Summa *Sapientia* : Cœlestî videlicet *Divinitate*. Quæ verba , quisquis ad ea referre voluerit , quæ de Dianæ Limnatidis sacrilego delubro, delubríque cruentatione ; de Polycharis item , & Evæphni , contentione ; de regis Androclis injustâ cæde ; déque filiarum, imperatîs ab Oraculo , jugulationibus , & Aristodémi cunctâ Tragœdiâ , narrata sunt à nobis , ac partim

partim in residuis enarrabuntur : â linea recti sensûs non discedet ; nec, in his, *unum aliquem* unius libelli Salomonici *locum*, sed *totius* funestæ *Messeniæ* propositum esse *Theatrum*, confiteri cogetur.

X. Quæsierat, ut ex eventu cognitum est, improbissimus humani generis homicida, *Dæmon*, in unius *Aristodemi* Filiæ morte, Patris etiam, adeóque *Duorum*, interitum : & invenerat. Sed lucrosior illi, quàm fortassis ipse sibi spe præsumpserat, ea fuit molitio ; multiplicatîs, è *gemino* funere, *plurimorum* deinceps cladibus, & calamitatibus ; quorum densatâ farragine, tam pasci, lætarique, *Spiritus Acherontici*, quàm glandis copioso proventu, *Sues*, assuevêre; vel pestilitate populosâ *vespillones*. Id adeò tunc apud *Messenios* evénit. Ut enim appareret; unico gladii, cujus in aciem Aristodémus rex incubuerat, ictu, Rempublicam simul ac regnum omne transadactum fuisse : post illa, *Messenii* de rerum summa desperavêre ; tentatisque vix reparandæ virtutis pristinæ reliquiîs, & in quintum adhuc mensem obsidione, qua pertinaciter ab Lacedæmoniis premebantur, sustentatâ : postquam annos *prope* jam *viginti* bellum

Ruina Messeniorum.

bellum toleràssent, hostibus séque suáque tandem permisêre. Cùm itaq; tum Ducum regúmq; suorum florem, tum fortissimum quemq; civium, bellicosissimúmq;, tot ex ordine pugnatîs pugnîs, amisissent: ad extremum, & roboris virtutísque suæ sedem, & arcem, montem *Ithómen* reliquêre Spartanorum arbitrio: suo, reliquam in Messeniam, juri, *necessitate, quâ victoribus victi, vel inviti cedere solent, cedentes.* Ac *Messeniorum* quidem, alius aliò tunc dilapsi; pars Argos, aut ad Arcadas, pars Eleusinem Atticæ; vulgus verò plerumque, suos in vicos quisque, serviliterque colendos agros, se receperunt. *Spartanorum* autem victrix, ac superba, manus, cùm *Ithómen* occupâsset; montem quidem, qualem natura fecerat, indimotum reliquêre naturæ: munitiones autem, & arcem, cum mœnibus, ei superinstructîs, è fundamentis excisas ad rudera pulverémque, redegerunt. Urbes, oppidáque Messeniorum cætera, resistente jam nemine, sui fecêre juris. Messeniæ partem unam, & item alteram, amicis, obnoxiísque sibi, populis, ac familiis, attribuerunt: sibi, quod regionis amplissimum, ac præcipuæ fertilitatis erat, retinentes.

Oo tes.

Ruina Messeniorum.

tes. Messeniorum gentis quod supererat, in majorum suorum solo fundóque, servis, & *Helotîs*, non clementiùs habitum, cunctarum terræ frugum *partem dimidiam*, quotannis, in posterum tempus, dependere sibi compellunt: residuô verò dimidiô, sese, suásque familias, alere permittunt. Quòd si, super hæc, Laconum, sive *regum* quis, sive *Primorum* Ephororúmque vitâ demigrâsset: lata Messeniis lex erat; utì sepeliendorum funera, tam ipsi, quàm eorum conjuges, atrâ feralíque velati veste, serviliter, & cum luctu, tanquam *Dominorum* suorum cadavera *vernulæ* mancipiáque, sequerentur, & complorarent. Quæ cuncta sanè, præcipuéque *Funerum* hæc *officia*; quídnam erant aliud, quàm *Messeniæ libertatis*, in Messeniis adhuc viventibus emortuæ, *Sepultura?*

XI. Non poterat igitur status hujus ac conditionis, ex ingenuæ vitæ culmine tam profundam in servitutem detrusæ, longævus esse tenor: apud animos præsertim *juniorum*, originis aliquantò, quàm vulgus esset, clarioris. His decretum erat; cruentissimam quãvis mortem in acie potiùs, quàm Lacedæmoniæ tyrannidis jugũ, vel annuum adhuc, ultrà

ultrà tolerare. Præ cæteris autem id animo sederat *Andaniensium* juventuti: quippe, quorum urbs, eadem & natale solum ipsis, & *regum Messeniorum* prima quondam Sedes, extiterat. Inter omnes autem eminebat Andanienses juvenes, eâ tempestate, quidam *Aristómenes*; non *virtute* solùm ac manu, sed, *generis* etiã claritudine, conspicuus. Magnam autem fuisse de claritudine stirpis ejus opinionem; satis id est argumento: quòd ejus adolescentis matri, cuj *Nicoteléæ* nomen fuit, Græcorum antiquitas, *Genium*, nescio quem, aut *Deum*, vel *Semideum*, affinxit; qui, *Draconis* indutus speciem, & copulatus ei, filium ex illa genuerit *Aristómenem*; de quo sermo nobis. Idem enim, in aliis ferè plerisque, paullò magis conspicuis, ac per orbem celebratîs, *fabularum amatrix vetusta credulitas*, facere consuevit: ut, ubi *patrem* hominem quàm plurimùm, & longissimè, gestorũ gloriâ *filius* antecelluisset; ibi genitorem ei *Deum* supponeret: sibique, talium filiorum unusquisque, gloriosius esse duceret; *Monstri* se prolem esse, quàm *Naturæ*: déque *Serpentis* semine, quàm *Adami*, descendisse, credi. Quare, tantùm abest, negâsse quosdam; è

Ruina Messeniorum.

Dæmone se conceptos, & è *Succuba* genitos ut id etiam in fronte suarum laudum, suæq gentis imaginum, constituerint; *(nn)* ità s susceptos, ità proseminatos ac natos, esse. Si *Hercules* Grajus, Jovem, in Alcuména matre quàm Amphitruonem, sibi patrem fuisse maluit. Sic *Alexander Macedo*, draconem Sty gium, aut *arietem* Ammonium, in Olympia de genitrice, quàm vel Philippum, aut Ne ctanébum: Sic *Augustus Cæsar*, & ipse draco nem in Atia matre, pro patre, quem cogno mine profitebatur, Octavio: *(oo)* Sic serpen tem, tanquam Aesculapium, Sicyoniorum princeps optimus, ac patriæ liberator, *Ara tus*, in Aristódama genitrice: Sic colubrum item, magnitudinis insolitæ, *P. Cornelius Sci pio*, cui cognomentum *Africano Majori* fuit qui, cubiculo toróque matris, non tunc mo dò, cùm conciperetur ipse, sed sæpius post ea, dum nutriretur, irrepsisse monstrum il lud, jactari, credíque nunquam iniquâ tulit vel mente, vel aure. Quin, neque poster quidem, emendatioribúsque, mundi sæculis defuêre; qui suî tales ortus & origines in parte gloriæ collocarent: ut in Gallia, Pict vorum Comites *Lusignini* Dynastæ; suæ ge

Ruina Messeniorum.

is primordia, fabulosis librorum narrationibus, in *Melusinam* referre gestientes: quam, capite, quæque deorsum sunt, ad umbilicum usque, formosam *viraginem*; pube verò tenus, ac deinceps, *anguem* fuisse, vel credebant, vel credi volebant. (*pp*) Sed inprimis a vanitas insederat, ac persuasio, mentibus *dololatrarũ*, ante tempora Christianæ religionis, orbem irradiantis: ut vulgò *gesta clara, & i clariores*, ac mortalem supra sortẽ euntes, *rigines comminiscerentur; & tamdiu nascerentur ex DIs homines, donec denique nasceretur x homine DEVS*, Deorum inanium exstirpator. Sed nos ad *Aristomenem*, de quo dicere cœperamus, *Messenium*, oratione revertimur: ducem, iis tempestatibus, in paucis anè clarum; &, qui, si nobis, vel solus, n hac *Ruina*, celebrandus foret susceptus, laboris tamen nostri prçmium ac Minerval satis magnum, ipsâ virtutum suarum, ac facinorum heroicorum, magnitudine persolutus esset: quippe, quæ tam insignia fuerint, & ab homine, Deorum falsorum cultore, tam aliena nonnunquam; ut ea, *Christianum* magis, aut ex veteribus illis & melioribus Hebræis, quàm *Græcum* ac *profanum*, decuisse, videri

deri possint. Hic, ut dictum est, matre *Nicoteléa*, patréq; *Nicoméde*, viro nobilissimo, necnon regalis *Æpytidarum* stirpis sanguine, progenitus; communicatô cum amicorum & æqualium fidissimis Andániæ consiliô, conjurationem fecit pleræq; Messeniacæ nobilitatis: uti sub unum aliquod idémque tempus, simùl universi rebellarent: ac, die constitutô, cum quanta possent manu, prosilirent ad arma. Nequid autem in eo tunc ipso consilio per temeritatem (ut *ferè Juventus audacior esse, quàm considerantior, solet*) peccarent: *Aristomenis* priùs auctoritate, populorum, qui *sociam* Messeniis operam, bellô superiore, fidam ac bonam præstiterant; ante cæteros autem Argivorum, & Arcadum, animi prætentantur, occultîs internuntiîs: *ecquid ab ipsis, & quantum spei, sibi polliceri Messenii, contra Spartiatas, auderent?* Eos postquam exspectatione suâ promptiores, ad auxilia submittenda, reperissent; quippe, non modò nondum extinctîs pristinîs adversùm Lacedæmonios odiîs, sed etiam, sub idem illud tempus, quàm plurimùm auctîs, & incensîs: non dubitavit *Aristomenes*, die, consciis denuntiatô, posteaquam *nonus jam ac tricesimus*, à bello primo, dirutáque;

que, velut dictum eſt, Ithomâ dilapſus annus erat; diſcutere cervicibus ſuîs *Spartanæ* dominationis jugum: &, cum validâ ſuorum, armatáque, multitudine, defectionis ſignum extollere. Quo factô, belli *Meſſeniaci Secundi* dari cœptum exordium eſt: quo tempore Spartæ regnum obtinebant, Anaxander; & Anaxídamus, Theopompi regis, illius, de quo traditum in ſuperioribus eſt, pronepos. Porrò, nec *Spartiatæ* diu, Meſſenios impunè ferre defectionem, paſſuri; nec *Meſſenii*, calentem adhuc in principiis, recuperatæ libertatis amorem intepeſcere cunctatione, permiſſuri: non multò pòſt ad *Deras*, Meſſeniæ pagum, utrimque contulêre ſigna; fortiſſiméq; dimicaverunt. In quo conflictu, tametſi Marte propemodum æquô diſceſſum tandem ab utriſque fuerit; tanta tamen, ac tam conſpicua, fuit *Ariſtomenis*, ante cæteros omnes, virtus & opera, contra Laconas: ut, confectô præliô, REGEM eum univerſus conſalutârit exercitus. Quod ille tamen, neque *munus* in ſe ſuſcipere, neque *nomen*, voluit: admirandâ modeſtiâ, *major ſuimet ipſius, & ambitionis humanæ, quàm univerſæ Meſſeniæ, domitor atque rector.* Ad extremum tamen, ſuorum improbîs

Ruina Meſſeniorum.

fatigatus precibus, & assiduis efflagitationibus, ut *bellicæ saltem rei præturam* supremam, *& imperium*, admitteret; manus dedit. In eo verò magistratu talem se gessit, qualem ante se vix quenquam ipse meminisset. Acer animô, promptus manu, consiliô providus; sibi subjectis, non comis minùs, quàm æquus, nullius commilitonum, ducúmve, præclaris in factis, per invidiam obtrectator: sed unumquodque facinus, paullò generosius, nō verbîs tantùm ac laudibus, verùm etiam magnificîs, pro cujusque merito, donîs ac præmiis afficere solitus; cæterorum videlicet accendendæ, parem ad gloriam, virtuti, propositî in medio coronîs, ac palmis, prudēter intentus. Quo liberalitatis ille studiô, paucis in tempestatibus, & *suum* insigniter confirmavit, & *socialem* allexit, militem: ut in oculi *Aristomenis* unusquisque, rem fortiter gerere gloriosum inprimis, opulentúmque, sibi duceret. Ad hoc autem incitabat eos, vel ipse solus *Aristomenis* aspectus: ad imitationis exemplum universis propositus. Cujus tan fuit, in *omine* belli *secundo*, pro Messeniis adversùs Spartanos captandô procurandóqu sub ipsa statim principia defectionis, tum a dac

dacia, tum calliditas: ut, cùm sciret, Laconas victoriæ cladiúmve *præjudiciis & opinionibus*, pæne vehementiùs, quàm armis, ac verâ virtute, commoveri solere; nocte quadam Lacedæmonem, omnibus incognitus, intraret: & ad valvas templi Minervæ, quod *Chalciœcus*, siue *Domus-ærea*, dicebatur, clypeum affigeret, cum hac inscriptione. SCUTUM HOC, DEVICTIS E SPARTANIS REPORTATUM, PALLADI, MEMOR ET GRATUS, SUSPENDO, DEDICOQUE, MESSENIUS ARISTOMENES. Continuóque, priusquam dilucesceret, & agnosceretur, *Spartâ* se, quæ mœnibus carebat, (*qq*) per easdem, quibus venerat, tenebras, evolvit & ad suos se, cum fiducia maximâ, belli prosperè cessuri, recepit. Et profectò, *Lacones*, manè *Scutô*, cum *Inscriptione* tam confidentî, repertô, nec tamen repertô Scuti dedicatore; cœperunt idem ipsum, quod *Aristomenes* sperabat, vereri: Deámque, bellorum præsidem, illi populo benevolentiorem fore, suspicari; cujus *imperator* eam sibi prior anathemate conciliâsset. Igitur, ex eo tempore, superstitione perculsi, minore jam alacritate, quàm unquam antehac, arma spirare, prioresque par-

Ruina Messeniorum.

lebant, partem aliquam: nullo consiliô publicô, sed suapte sponte, Spartanorum in castra profectam. *Spartanos* porrò rex ducebat *Anaxander*, Eurycratis filius, ingentis vir animi; certaminisque, quo suam gentisque suæ gloriam proferret, avidus in paucis. *Messeniorū* autem copiis omnibus summâ cum potestate præerat *Aristomenes*; & formæ dignitate conspicuus & agnitu facilis è scuto: quod effigies *aquilæ*, dispassis, ad extremas hinc & hinc oras, alis, volatum inchoantis, occupabat. Habebat item, circùm se, lectissimæ *Messeniorum* fortissimæque juventutis, ex æqualibus ferè suis ascitos, *octoginta* stipatores, prætorianos. Cum his ille, contra *Spartiatarum* exercitûs præcipuum robur, hoc est, *Anaxandri* regis prætoriam cohortem, suorum summâ voluntate, stare constituit. Et stetit; *leonis* inperterriti more, stimulus ad virtutem suis, ac certaminis ardore formidabilis hostibus. Commissum porrò *Secundum* hoc, à defectione, *prælium* est, ad *Apri-monimentum* (rr), Messeniæ *vicum*, ditionis *Stenycléri*, regiæ quōdam urbis: concursúmque summîs utrimque viribus & opibus. Pulsúsque demum, post acerrimam multarum horarum dimicationē

al

Ruina Messeniorum.

ab Ariſtomene rex Anaxander ; & , ab Ariſtomenis agmine prætorianô, fortiſſima Laconum cohors regia Mox , dum in fugam cum ſuis *Anaxander* effunditur ; immiſsîs in terga fugientium alîs Meſſeniorum citatiſſimîs , quæ neminem eorum vel *vivum* ſinerent, vel *liberum:* Ariſtomenes ipſe, verſus in Spartiatarum, adhuc integros ac ſtantes, ordines ; *Semidei* magìs, quàm *hominis*, exſertâ virtute, *fulminis* in morem quacunque greſſum fert, omnia vultu, clamore, flammámque jaculantibus oculis, ac ferrô, disjicit: *eminus*, contra ſe tendentes , telis ac jaculîs impetens ; *cominus* autem ingruentes , ſcutô trudens,ac diſpellens. Univerſa demum *Lacedæmoniorum* agmina , cæde , vulneribus, luctu , fugâ , formidinéque , totîs paſſim campîs , obſtantibúsque collibus , miſcens : alibi caſtrîs eos & armis , alibi *vitâ* vel *libertate* , (quippe , ſervilibus injectîs vinculîs) exuit. terga verò vertentes , inſequitur ipſe, cum ſuis : fugientiúmq; multitudinem maximam interficit. Ac ne revocatus quidem à vate Meſſeniorum, Théoclo, paruit. Nam & vates utrimque ſuis ſtimulandis, in caſtra , Sacerdotum expleturi munus, venerant.

Ruina Meſſeniorum.

tes sibi polliceri, cœperunt. Et nihilominus, in aciem, vel inviti, rediêre. Cùm enim, à *prælio*, de quo dictum est, *Deræô*, propemodum annus se circumegisset: nec pati *Lacedæmonii* possent, aut diutiùs penès se contumeliam hærere quam illis *Aristomenes*, in affixo, sicut retulimus, inscriptóque, clypeo, ceu *Victor* haud dubius, inflixerat; aut, novîs quotidie viribus, opibúsque, recuperatam *libertatem* suam confirmare *Messenios*: armare denuò juventutẽ, & excire socios ac fœderatos, adversùm hostem, cœperunt. Quod ubi primùm agi *Messenii* sensêre; non remissiores ad *repugnandum*, quàm ad *rebellandum* nuper, sese præstituri, suos, & fœderatos ac socios, opinione celeriùs, ac multitudine numerosiùs, contraxerunt. Nam præstò fuêre Messeniis, non soli, sicut antehac, *Arcades*, *Argivique*, cum *Sicyoniis*; sed insuper & *Elêi*: quique profugerant jam olim è Messenia, diversas in Græciæ Peloponnesique terras, &, ex iis tantisper enata, bellica juventus: tum & ii, qui tunc Eleusinen Atticæ, sacrorum custodes antistitésq;, discesserant. Quin & *Androclidæ* cuncti; quos, post *Messenios* planè debellatos, in partem ditionum suarum Spar-

Spartiatæ quondam receperant, Androclis regis, ac progenitoris eorum, gratâ memoriâ: propterea, quòd is, dum, dedi Lacedæmoniis Polycharem, pacis ſtudiô ſuadet, ac contendit; ab *Antiochi*, regis alterius, factione cæſus, interiiſſet. Quo nomine proinde magnam apud *Androclis* poſteritatem iniſſe gratiam videri Spartani poterant; & his *Androclîdæ* viciſſim in perpetuum, beneficiô tantô, devincti: propter *Hyamiam* regionem, eis inſidendam, liberaliter conceſſam. Sed tantus fuit, tum in libertatem majorum, tum in *Ariſtomenem*, libertatis vindicem, *Meſſeniorum* omnium, ardor animorum, & amor: ut, beneficiîs privatîs poſt publicam utilitatem habitîs, ad *Ariſtomenem* omnes undique convolarent; nec *Androclidarum* quidem, quorum amplæ jam ſenſim, latéque ſparſæ, familiæ numerabantur, vel unico capite, Spartanis à partibus remanente. Quo factum eſt, ut *Ariſtomenis* ingentes eſſent, tum è *Meſſenio corpore*, tum ex *ſociis auxiliiſque*, copiæ: cùm è diverſo, *Lacedæmoniorum* à partibus ſtaret nemo, præter *Corinthios*, veteres amicos; & *Lepreatium*, qui, ſupra flumen Alphéum, Elidis in finibus, ad radices montis Phóloës, incolebant,

tes ſibi polliceri, cœperunt. Et nihilominus, in aciem, vel inviti, rediêre. Cùm enim, à *prælio*, de quo dictum eſt, *Deræô*, propemodum annus ſe circumegiſſet: nec pati *Lacedæmonii* poſſent, aut diutiùs penès ſe contumeliam hærere, quam illis *Ariſtomenes*, in affixo, ſicut retulimus, inſcriptóque, clypeo, ceu *Victor* haud dubius, inflixerat; aut, novîs quotidie viribus, opibúſque, recuperatam *libertatem* ſuam confirmare *Meſſenios*: armare denuò juventutẽ, & excire ſocios ac fœderatos, adversùm hoſtem, cœperunt. Quod ubi primùm agi *Meſſenii* ſensêre; non remiſſiores ad *repugnandum*, quàm ad *rebellandum* nuper, ſeſe præſtituri, ſuos, & fœderatos ac ſocios, opinione celeriùs, ac multitudine numeroſiùs, contraxerunt. Nam præſtò fuêre Meſſeniis, non ſoli, ſicut antehac, *Arcades*, *Argivique*, cum *Sicyoniis*; ſed inſuper & *Eléi*: quique profugerant jam olim è Meſſenia, diverſas in Græciæ Peloponnesíque terras, &, ex iis tantiſper enata, bellica juventus: tum & ii, qui tunc Eleusínen Atticæ, ſacrorum cuſtodes antiſtitéſq;, diſceſſerant. Quin & *Androclidæ* cuncti; quos, poſt *Meſſenios* planè debellatos, in partem ditionum ſuarum Spar-

Spartiatæ quondam receperant, Androclis regis, ac progenitoris eorum, gratâ memoriâ: propterea, quòd is, dum, dedi Lacedæmoniis Polycharem, pacis ſtudiô ſuadet, ac contendit; ab *Antiochi*, regis alterius, factione cæſus, interiiſſet. Quo nomine proinde magnam apud *Androclis* poſteritatem inîſſe gratiam videri Spartani poterant; & his *Androclîdæ* viciſſim in perpetuum, beneficiô tantô, devincti: propter *Hyamiam* regionem, eis inſidendam, liberaliter conceſſam. Sed tantus fuit, tum in libertatem majorum, tum in *Ariſtomenem*, libertatis vindicem, *Meſſeniorum* omnium, ardor animorum, & amor: ut, beneficiîs privatîs poſt publicam utilitatem habitîs, ad *Ariſtomenem* omnes undique convolarent; nec *Androclidarum* quidem, quorum amplæ jam ſenſim, latéque ſparſæ, familiæ numerabantur, vel unico capite, Spartanis à partibus remanente. Quo factum eſt, ut *Ariſtomenis* ingentes eſſent, tum è *Meſſenio corpore*, tum ex *ſociis auxiliiſque*, copiæ: cùm è diverſo, *Lacedæmoniorum* à partibus ſtaret nemo, præter *Corinthios*, veteres amicos; & *Lepreatium*, qui, ſupra flumen Alphéum, Elidis in finibus, ad radices montis Phóloës, incolebant,

tes ſibi polliceri, cœperunt. Et nihilominus, in aciem, vel inviti, rediêre. Cùm enim, à *prælio*, de quo dictum eſt, *Deræô*, propemodum annus ſe circumegiſſet: nec pati *Lacedæmonii* poſſent, aut diutiùs penès ſe contumeliam hærere, quam illis *Ariſtomenes*, in affixo, ſicut retulimus, inſcriptóque, clypeo, ceu *Victor* haud dubius, inflixerat; aut, novîs quotidie viribus, opibúſque, recuperatam *libertatem* ſuam confirmare *Meſſenios*: armare denuò juventutẽ, & excire ſocios ac fœderatos, adversùm hoſtem, cœperunt. Quod ubi primùm agi *Meſſenii* ſensêre; non remiſſiores ad *repugnandum*, quàm ad *rebellandum* nuper, ſeſe præſtituri, ſuos, & fœderatos ac ſocios, opinione celeriùs, ac multitudine numeroſiùs, contraxerunt. Nam præſtò fuêre Meſſeniis, non ſoli, ſicut antehac, *Arcades*, *Argivique*, cum *Sicyoniis*; ſed inſuper & *Eléi*: quique profugerant jam olim è Meſſenia, diverſas in Græciæ Peloponnesíque terras, &, ex iis tantiſper enata, bellica juventus: tum & ii, qui tunc Eleusínen Atticæ, ſacrorum cuſtodes antiſtitéſq;, diſceſſerant. Quin & *Androclìdæ* cuncti; quos, poſt *Meſſenios* planè debellatos, in partem ditionum ſuarum Spar-

Spartiatæ quondam receperant, Androclis regis, ac progenitoris eorum, gratâ memoriâ: propterea, quòd is, dum, dedi Lacedæmoniis Polycharem, pacis ſtudiô ſuadet, ac contendit; ab *Antiochi*, regis alterius, factione cæſus, interiiſſet. Quo nomine proinde magnam apud *Androclis* poſteritatem inîſſe gratiam videri Spartani poterant; & his *Androclîdæ* viciſſim in perpetuum, beneficiô tantô, devincti: propter *Hyamiam* regionem, eis inſidendam, liberaliter conceſſam. Sed tantus fuit, tum in libertatem majorum, tum in *Ariſtomenem*, libertatis vindicem, *Meſſeniorum* omnium, ardor animorum, & amor: ut, beneficiîs privatîs poſt publicam utilitatem habitîs, ad *Ariſtomenem* omnes undique convolarent; nec *Androclidarum* quidem, quorum amplæ jam ſenſim, latéque ſparſæ, familiæ numerabantur, vel unico capite, Spartanis à partibus remanente. Quo factum eſt, ut *Ariſtomenis* ingentes eſſent, tum è *Meſſenio corpore*, tum ex *ſociis auxiliiſque*, copiæ: cùm è diverſo, *Lacedæmoniorum* à partibus ſtaret nemo, præter *Corinthios*, veteres amicos; & *Lepreatium*, qui, ſupra flumen Alphéum, Elidis in finibus, ad radices montis Phóloës, incolebant,

tes sibi polliceri, cœperunt. Et nihilominus, in aciem, vel inviti, rediêre. Cùm enim, à *prælio*, de quo dictum est, *Deræô*, propemodum annus se circumegisset: nec pati *Lacedæmonii* possent, aut diutiùs penès se contumeliam hærere quam illis *Aristomenes*, in affixo, sicut retulimus, inscriptóque, clypeo, ceu *Victor* haud dubius, inflixerat; aut, novîs quotidie viribus, opibúsque, recuperatam *libertatem* suam confirmare *Messenios*: armare denuò juventutẽ, & excire socios ac fœderatos, adversùm hostem, cœperunt. Quod ubi primùm agi *Messenii* sensêre; non remissiores ad *repugnandum*, quàm ad *rebellandum* nuper, sese præstituri, suos, & fœderatos ac socios, opinione celeriùs, ac multitudine numerosiùs, contraxerunt. Nam præstò fuêre Messeniis, non soli, sicut antehac, *Arcades*, *Argivique*, cum *Sicyoniis*; sed insuper & *Eléi*: quíque profugerant jam olim è Messenia, diversas in Græciæ Peloponnesíque terras, &, ex iis tantisper enata, bellica juventus: tum & ii, qui tunc Eleusínen Atticæ, sacrorum custodes antistitésq;, discesserant. Quin & *Androclîdæ* cuncti; quos, post *Messenios* planè debellatos, in partem ditionum suarum Spar-

Spartiatæ quondam receperant, Androclis regis, ac progenitoris eorum, gratâ memoriâ: propterea, quòd is, dum, dedi Lacedæmoniis Polycharem, pacis ſtudiô ſuadet, ac contendit; ab *Antiochi*, regis alterius, factione cæſus, interiiſſet. Quo nomine proinde magnam apud *Androclis* poſteritatem iniſſe gratiam videri Spartani poterant; & his *Androclîdæ* viciſſim in perpetuum, beneficiô tantô, devincti: propter *Hyamiam* regionem, eis inſidendam, liberaliter conceſſam. Sed tantus fuit, tum in libertatem majorum, tum in *Ariſtomenem*, libertatis vindicem, *Meſſeniorum* omnium, ardor animorum, & amor: ut, beneficiîs privatîs poſt publicam utilitatem habitîs, ad *Ariſtomenem* omnes undique convolarent; nec *Androclidarum* quidem, quorum amplæ jam ſenſim, latéque ſparſæ, familiæ numerabantur, vel unico capite, Spartanis à partibus remanente. Quo factum eſt, ut *Ariſtomenis* ingentes eſſent, tum è *Meſſenio corpore*, tum ex *ſociis auxiliiſque*, copiæ: cùm è diverſo, *Lacedæmoniorum* à partibus ſtaret nemo, præter *Corinthios*, veteres amicos; & *Lepreatium*, qui, ſupra flumen Alphéum, Elidis in finibus, ad radices montis Phóloës, incolebant,

Ruina Meſſeniorum.

lebant, partem aliquam : nullo consiliô publicô, sed suapte sponte, Spartanorum in castra profectam. *Spartanos* porrò rex ducebat *Anaxander*, Eurycratis filius, ingentis vir animi; certaminísque, quo suam gentísque suæ gloriam proferret, avidus in paucis. *Messeniorũ* autem copiis omnibus summâ cum potestate præerat *Aristomenes*; & formæ dignitate conspicuus & agnitu facilis è scuto : quod effigies *aquilæ*, dispassîs, ad extremas hinc & hinc oras, alîs, volatum inchoantis, occupabat. Habebat item, circùm se, lectissimæ *Messeniorum* fortissimæque juventutis, ex æqualibus ferè suis ascitos, *octoginta* stipatores, prætorianos. Cum his ille, contra *Spartiatarum* exercitûs præcipuum robur, hoc est, *Anaxandri* regis prætoriam cohortem, suorum summâ voluntate, stare constituit. Et stetit; *leonis* inperterriti more, stimulus ad virtutem suis, ac certaminis ardore formidabilis hostibus. Commissum porrò *Secundum* hoc, à defectione, *prælium* est, ad *Apri-monimentum (rr)*, Messeniæ *vicum*, ditionis *Stenycléri*, regiæ quõdam urbis: concursúmque summîs utrimque viribus & opibus. Pulsúsque demum, post acerrimam multarum horarum dimicationẽ, ab

ab Ariſtomene rex Anaxander ; & , ab Ariſtomenis agmine prætorianô, fortiſſima Laconum cohors regia. Mox, dum in fugam cum ſuis *Anaxander* effunditur ; immiſsîs in terga fugientium alîs Meſſeniorum citatiſſimîs, quæ neminem eorum vel *vivum* ſinerent, vel *liberum*: Ariſtomenes ipſe, verſus in Spartiatarum, adhuc integros ac ſtantes, ordines; *Semidei* magìs, quàm *hominis*, exſertâ virtute, *fulminis* in morem, quacunque greſſum fert, omnia vultu, clamore, flammámque jaculantibus oculis, ac ferrô, disjicit: *eminus*, contra ſe tendentes, telîs ac jaculîs impetens ; *cominus* autem ingruentes, ſcutô trudens,ac diſpellens. Univerſa demum *Lacedæmoniorum* agmina, cæde, vulneribus, luctu, fugâ, formidinéque, totîs paſſim campîs, obſtantibúsque collibus, miſcens: alibi caſtrîs eos & armis, alibi *vitâ* vel *libertate*, (quippe, ſervilibus injectîs vinculîs) exuit. terga verò vertentes, inſequitur ipſe, cum ſuis: fugientiúmq; multitudinem maximam interficit. Ac ne revocatus quidem à vate Meſſeniorum, Theoclo, paruit. Nam & vates utrimque ſuis ſtimulandis, in caſtra, Sacerdotum expleturi munus, venerant.

Ruina Meſſeniorum.

rant. At Aristomenes, nec audivit Vatem; nec, obsequendo monitis ejus, ardorem trucidandi repressit; nisi serò. Stabat enim, in eo, quem fuga Laconum impleverat, campo, *sylvestris* arbor, *pyrus:* in qua, sedisse quondam Gemellos, *Castorem ac Pollucem*, superstitiosus Théoclus, clamitabat; ideóque, reverentiâ Deorum, cis eam consistendum, nec ad eam usque procedendum esse cruēto victori. Non substitit igitur *Aristomenes*; sed, ad *pyrum* usq; progressus, ibi demum, elapsum manu, *scutum* amisit. Id ipse dum quærit, ac recipere laborat; tantisper spatium hostibus, ac facultatem, in tutum sese recipiendi, quantumvis invitus, concedit. Et *Clypeus* quidem *Aristomenis*, incertum, quibúsnam vel miraculi, vel figmentorum, ambagibus, multô pòst tempore, non in *Messenia* repertus est, ubi perierat; sed in *Bœotiæ* longè distãte regione, *Trophoniiq;* Jovis, quod vocant, antrô, juxta *Lebadiam*, Bœotorum urbem. *Aristomenes* autem, *Andaniam* tunc reversus, victor, & ovans: *matronarum*, pro gentis tunc institutô, faustîs acclamationibus, & carminum cantu; quósque ferret anni tempus, *florum*, ac *tæniarum*, è vittis muliebribus, conjectu densô, sparsus excipitur.

tur. Nimirum ea tunc *Messeniorum*, ac pleræque *Peloponnesi* circumjectæ, paupertas, & parsimoniæ laus, id moderationis studium, erat: ut, è *verissimâ* quoque, nec *ementitâ*, victoriâ, triumphum ducētibus, distichus unus *Elegus*, (*ss*) pro *Paane*; spolium autem hortorum, pro manubiis; & matronalium exuviæ *Capitum*, ingens *pompa*, *Capitolium*, & *arcus*, essent.

XII. Jam multùm itaque jacebat ille vetus, arrogánsq;, Lacedæmoniorum, in Messeniis premendîs, spiritus; *Aristomenis*, ducum ducis, ejúsque pro patria fortium ausorum, formidine. Quam ipsam, ab hostibus de se conceptam, virtutis opinionem, non prudenter minùs, quàm generosè, novîs quotidie strenuè factis, augere studebat *Aristomenes*: *præstantis Imperatoris esse, ratus, æquè metum Pavorémque, quàm conatus ac Vim, hostium urgere.* Potissimùm autē ex eo cœpit tempore graviùs animosiúsq; Spartanis insistere, crebrîs in eorum urbes, & agros, excursionibus; ex quo *Scutum* illud suum, quod *sylvestrem* quōdam ad *pyrum* (uti dictum est) amiserat, in loco prorsus disjunctô, reperîsse se magis, quàm ex omni de Lacedæmoniis victoriâ, trium-

Ruina Messeniorum,

triumphavit. Id autem accidit in hunc modum. Ut eum ſua monebat inſtigabátq; ſuperſtitio, cùm DEI *Veri* notitiam haberet nullam; Delphos, ad Apollinem, *Deum ementitum*, exſolvendi voti, ſciſcitandarúmque latentium rerum cauſsâ, profectus eſt. Inter cætera, de *Scuto* Pythiam Sacerdotem interrogat. Pythia, Dæmone dictante, reſpondet; *Apud Lebadéam, Bœoticam urbem, in antro Jovis Trophonii, repertum iri: ſi Trophonium etiam ad antrum iret.* Id, quod arduum haud erat *Sathanæ*, qui reſponſa ſub Oraculo dabat, percognitum habere. Cùm enim, inter tumultum, fugientium quondam è prælio Spartanorum, & inſequentium eos Meſſeniorum, Ariſtomeni *Scutum*, in ipſo trucidandi calore, vel excidiſſet ſponte, vel ereptum de manibus eſſet: is (ut prudenter, ac meritò, conjicere poſſumus) qui prolapſum inter turbam ſuſtulit aſportavítque, Lacedæmonius, aut quarumcunque partium, miles; id animi grati cauſsâ, quòd cædem effugiſſet, Jovi Trophonio conſecravit. Id totum, auctor ac promotor ejuſcemodi vanorum rituum cultuúmque, tam Pythii, quàm Trophonii numinis, inſeſſor, *Cacodæmon*, neſcire non potuit: &, quod

&,quod ſciebat, Ariſtomenem edocebat. Lætatus autem hic incredibiliter ; ex *Aquilæ*, quod recognôrat, inſignî, tametſi Clypeum, utì dedicatus Jovi fuerat, dedicatum & ipſe denuò ſuîs verbis ac ritibus, illic, ubi repererat, reliquit: abiens tamen, res ſuas, ac populi Meſſenii de Spartiatis Victorias, haud minùs eſſe foréq; Superis cordi, quàm eſſet Aquila Jovi, ſibi perſuaſit. Ab hoc igitur die, majora ſecum animô contra Spartiatas, etſi ſanè ſucceſſu (*ſicut omnia Deorum inanium dona fluxa maleſidáque* ſunt) plurimùm variante, volvere machinariq; cœpit. Laconum erat oppidum, quod *Pharin* vetuſtiores, poſteri verò *Pharas*, appellârunt. Id *Ariſtomenes*, dubiô, diem inter ac noctem, aggreſſus tempore; poſt aliquamdiu protractum certamen, occupavit, & opibus exhauſit. Id continuò renuntiatur Anaxandro, Laconum regi. qui, Spartâ copiîs eductîs, inſidias Ariſtomeni, cum præda Meſſeniam repetenti, tendit; in abditô quopiam, ſecundùm viam militarem, locô. Cùmque jam pars exercitûs Meſſeniaci pluſquam dimidia præterîſſet; nec, niſi poſtremi ferè, qui claudebant agmen, ſupereſſent: Anaxander, ovantes, ac victoriâ ſpoliîſ-

Ruina Meſſeniorum.

que Pharęîs,exultantes hoſtes,à tergo,repen-
tè, nihílque minùs exſpectantes, adóritur; a
dorſa cædit. At *Ariſtomenes*,ſuorum laboran
tium excitatus clamoribus,in medium conti
nuò recipi jubet impedimenta, quantula ma
num adhuc hoſtilem effugiſſent: ac,de raptî
jam, vetans, ſuos eſſe ſollicitos ; in hoſten
retro ſigna convertit : acerrimâque , quoa
per importunitatem loci negotiíque conceſ
ſum eſſet, editâ pugnâ; fundit Spartanos; i
fugam avertit Anaxandrum , ac reſiduun
militem;prædam,adhuc ſalvam,retinet; abig
verò cœptam , extorquet Laconibus, atqu
recuperat. Ipſe tamẽ,dum Anaxandrum,no
contẽtus eum profligâſſe, perſequitur arden
tiùs,ejúſque cæde debellatum eſſe cupit: ja
culô vulneratus, clunem inter, & coxã *(tt)*
curſum ſiſtere cogitur , hoſtémq; dimittere
Neque ſecius tamen, magnâ cum gloriâ, vi
ctoriâ ſimùl geminâ,ſpoliiſq;, circumfluens
ad ſuos revertitur. Spartiatis verò luctum i
gnominiámq; relinquit. Dum autem ex vul
nere decumbit , & curatur, Ariſtomenes ; n
vel in otio , tam neceſſarió , negotioſus eſſ
deſineret : ſicut eum ſua *virtus* admonebat
ac *fortitudo* militaris perpetua ; *quæ Martis i*
luſtri

Ruina Meſſeniorum.

lustria facinora, nec in umbra quidem, agitare prætermittit: in illa lentâ curationis mora, nõ jam Laconas tantùm, ulteriore bellô persequendos; sed ipsius *urbium* oppidorúmque *Laconiæ principis* oppugnationem, Spartæq; sub Messeniis jugum, meditabatur. Ac perfecisset, quod, communicatô cum Optimatibus consiliô, destinârat: Víxquedum persanato vulnere, processisset ad Lacedæmonis usque, si pertinaciorem eam reperîsset, excidium. Sed his se cogitationibus interposuit vafer, nescio quis, ex Acherunte, Genius: qui, conceptam ab omni Græcia, de Divinitate *Tyndaridarum*, superstitionẽ & credulitatem, etiam apud Messenios corroboraturus; *Aristomeni*, jam ad expeditionem accincto, secundùm quietem, *Helenæ*, *Castoris*, ac *Pollucis*, oblatâ, supra mortalem habitum, specie, vetuit: in eam urbem aliquid inimicum moliri, quæ *trium Numinum* illorum genitrix aliquando fuisset, ac nutrix. Hoc igitur absterritus ille Somniô, destitit tum quidem cœptîs, neque tamen in universum quievit; quò minùs aliter identidem, alitérque, Messeniorum suorum res ac fortunas augeret. Laborabant autem ii *nummariâ* potissimùm *difficultate*:

qua præpediti,castrensia sua, contra Spartiatas,opera consiliáq;, tardiùs, ac vellent,emoliebantur. Id cùm sentiret, ac non rarô, patriæ nomine, doleret, *Aristomenes*: dispicere secum,traheréq; cum animo suo,cœpit;quonam pactô,non sibi,sed Messeniorum ærario, locupletando pecuniam quàm maximam facere posset. Iniit autem,vir, non callidus minùs,quàm strenuus,tale consilium. Erat in finibus Laconum , *Caryum (uu)* oppidum , in cujus delubro, sicut alibi Limnátis Diana, sic *Caryátis*, antiquitus erat in veneratione. Fortè tempus instabat anniversarium ; quo tempore Lacænæ *Virgines*, ex more , victimas & choros erant Dianæ ducturæ. Jámque dies advenerat sollemnis, quo,tum privatæ sortis puellæ,tum inprimis nobilissimi cujusque ditissimíque filiæ, plebejis à puellis tam formæ dignitate , quàm habitûs, ornatu, facilè discernendæ; Deam choreîs ac cæremoniis honorare debebant. Eam igitur ex insidiis speculatus opportunitatē *Aristomenes*; cum suorum armatâ validáque manu, clarô die prorumpit: & in *Virgines*, ut in mediô chorearū calore, tale nihil, neque metuentes, nec præsentientes, dat impetum: dissipatóque puellarum

Ruina Messeniorum.

arum agmine, cùm aliam alia fugæ viam intenderet, milite Messeniô circumfusô, capit omnes. Ac *tenuioris* quidem fortunæ virgines, sinè morâ, gratuitóque, liberas remittit; ad suos quamque parentes ac necessarios. *Opulentiores* autem, ac natalibus eminentes, retinet universas: insertísque vinculîs, ad Messeniæ vicum quendam, diversoriúmque, perducit. Ibi, quoniam nox ingruebat, quietem & ipse capit; & capere suos jubet. Nequa tamen interim injuria captivas in virgines cooriretur, per absentiam suam, ac tenebrarum occasionem: severè suis interdicit omnem adversùs eas, ceu *Dianæ Virgini* Sacras, intemperantiam, atque proterviam: & ipse, ne cautior esset in *præcipiendo*, quàm *cavendo*; de prætoria cohorte sua custodiam illis apponit: ac deinde dormitum concedit. In quo negotio toto, præclarè quidem ille, providentérque, se gessisset; *si, quemadmodum Virginum pudicitiæ Custodiam, sic & Custodibus ipsis Custodes alios, & his secundis Tertios, apposuisset.* Nunc enim, & vinô Juvenes, & nocte, formáque Virginum Lacænarum, ac libidinis denique vecordiâ, transversùm agentibus; conticiniô tenebrarum, minimô minùs

 abfuit:

Ruina Messeniorum.

abfuit: quin vis ac vitium puellis inferretur. *Ariſtomenes* autem, clamore tumultúque, tum incurſantium juvenum, tum reluctantium virginum, excuſſus ſomnô, cubilíque; luctam ac periculum, interventu ſuo, diſcutere conabatur: utpote, qui primùm omnium *integritatis* illarum; deinde, ſecundas inter curas, ingentis, quam ex earum libertatis pretio redacturus eſſet, *pecuniæ*, rationem haberet. Cùm autem, ut inter cupidine furentes, jámque nec in Imperatoris ſui, nec in ſuímet poteſtate, conſtitutos adoleſcentes, non clamoſis vocibus, non acribus hortamentis, & intentatione minarum ac necis, quidquã ſe proficere ſentiret: ad id denique decucurrit extremum, quod in eo magnopere, magnus etiam *Eccleſiæ Doctor*, poſtea celebravit. *(xx) Gladiò* namque diſtrictô, petulantium illorum impudiciſſimum quemque, cæterorum ad terrorem, & ad modeſtiam in officio continendam, in ipſo calore cupidinis eorum, interfecit; ac Tartaro tranſmiſit. *Puellas* autem, *inviolatas ad unam omnes*, noctis toto reſiduô ſpatiô, *fugienti*, quàm *victori*, ſimilior, iter faciens; *Andániam* denique perduxit. Ubi tamen majus à *civibus ſuis*, quàm à *Spar-*

Ruina Meſſeniorum.

Spartanis unquam antehac, periculum incurrens, & ab occisorum juvenum propinquis ac parentibus cædis postulatus; capitis discrimen adiit. Sed id tandem discussêre captivæ Virgines: quæ, Judicum Messeniorum advolutæ genibus, eousque perstitêre, pro Raptore simul, & Ereptore suo, supplices; donec capitis periculo liberaretur: negantes, ac dejerantes, in Patriam se redituras, aut in plantas pedum assurrecturas priùs; quàm secundùm *Aristomenem* datum judicium esset, quod absolutum eum, extráque periculum, declâraret. Eáque res, & honori fuit *Aristomeni*, tutori *Pudoris*: & Messeniis emolumento: grandî, pro sic restitutis virginibus, à parentibus earum refuso pecuniæ cumulô quē omnem suæ Civitatis intulit ærario; multîs in unico factô titulis admirandus. Nam & prædo fuit Sacrilegus; & homicida gloriosus; & Reus honestissimus; ac Reipublicæ demum suæ Quæstor, in privata sua paupertate, magnificus, & liberalis.

XIII. Ad summam! Magnus in hoc Virginum, ab injuria tuendarum, facto, fuit *Aristomenes*: omninóq; dignissimus omnî posterorum commendatione. Quem si nostrorum

Ruina Messeniorum.

rum quoq; temporum *Duces militares*, & exercituum *imperatores*, in bellica coërcenda licentiâ, castrensíq; petulantiâ castigandâ, sibi sumerent imitandum: minùs multa matronarum ac virginum ingenuarum, in hoc ipso, quo jam *annis quadraginta* flagrant *Germaniæ* nostræ, *bellô*, discere deploraréq; stupra cogeremur. Simùl & alia complura, dedecoris turpitudinísq; plena, flagitia, quæ castella, munitiones, urbes, & castra, fœdant, minuerentur: si, quæ deberet, *tribunorum Præfectorúmq; militiæ*, Severitas, legum exerceret custodiam. Nunc, multis multa peccare *libet*; quia *licet*, & impunè peccãtibus cedit. *Ductorum* hæc, capitúmq; (tametsi per se nonnunquam abstinenter agant ipsa) vel ignaviâ fiunt, vel immodicâ formidine: metuentium, ne, si militarem in lasciviam legibus agant, ac suppliciîs animadvertant; compositô tandem aliquando bellô, solutus sacramentô, dimïssúsque, miles, in animadversorum, ac Judicum suorum, arces & prædia, ferrô, flammîs, ac latrociniîs, impetum faciant: ditionúmq; vastatione, conceptum in eos odium, & ultionis cupidinem, exsaturent. Quod universum tamen, quid est aliud, quàm, in tanta morum

Ruina Messeniorum.

morum caſtrenſium corruptelâ, propter *Panicas* quaſdam, ac plerumq; vanas, *formidines*, diſſimulandâ; pluris rem facere *Privatam* ac *Domeſticam*, quàm *communem* omnium atque *Publicam?* pluris, unius interdum *Villulæ*, vel *agelli*, quàm totius *Imperii*, péndere *Ruinam* & Interitum? Quæ proinde cautio Providentiáque, nónne præpoſtera magìs, quàm è rectæ mentis ac Judicii, legibus eſt? *Teneret ſanè curſum ſuum Jus & æquitas : perirétq;*, ſi neceſſe foret, non *fundus* tantùm, ſed vel ipſe *mundus!* JUSTITIÆ *Cuſtodes*, *incuſtoditos DEUS Juſtus nunquam dimitteret*; &, amiſſa per injuriam, favoris extraordinarii compendiô reſtitueret. Interim, quæ Dei bonitas eſt, ac Providentia, non deſunt tamen, ne noſtrîs quidē his tempeſtatibus, *antiquæ Severitatis*, in coërcendis improbitatibus, renovata, per *recētes*, Exempla. Sanéque, talium unum aliquod, & item alterum, quorum ipſimet nos oculati fuimus teſtes, huc inſeri; non erit extra noſtri laboris inſtitutum. Cùm ergò *trigeſimus ſecundus* iret *Sæculi*, quo nunc iſta lucubramus, *annus*; & urbs *Auguſta Tiberina*, cujus inquilinus tunc eram, à copiis *Bojo-Cæſareanis*, manè quodam, ſub adultum Aprilem, par-

Ruina Meſſeniorum.

tim astu compendióq;, partim autem & virtute fortissimi Centurionis, *Constantini Benzenavii*, capta, déque manibus extorta præsidiariorum, *Sueco* faventium, esset: *miles*, laboris sui periculíque pretium præmiúmq;, discurrendi per urbem, ac prædandi, tres circiter aut quatuor horas, licentiam adeptus; prędas agere, quantas, & à quibus voluit, promiscuè cœpit. At *equitum* unus, cultu corporis, ac formâ roboréq;, conspicuus; omissîs opibus, potiùs, ut impurus, ac libidine pércitus hircus quærebat; in qua turpitudinis suæ furorem sedaret. nec difficulter invenisset (utpote perterritîs omnibus) in ætate maturiore. Sed illius tanta fuit, ac tam vecors, Cupidinum impatientia: nihil ut pensi duceret; si vel in *Proserpinam* ipsam, eámq; *trimam* aut *quadrimam*, incurrisset. Incidit igitur in *puellam*, religionis, ab nostra diversæ, cultricem, vix *duodecenni* grandiorem natu: quam detestabilis ille, vel ideò saltem, putavit injuriâ digniorem, quòd in *Sacris* à se dissentiret; cùm ipse tamen, inter hæc, neque *profana sacris*, nec honestum turpî, nec deniq; naturæ *tempestivæ* legẽ ab *immaturæ* Veneris obscœnitate, distingueret. Misellam igitur illam,

qui-

Ruina Messeniorum.

quiritantem licèt, & vociferantem, sed nullius, inter arma, præsidiô sublevatam, intemperantiæ furiîs illîs, quibus *Gabaitæ* quondam uxorem *Levitæ* strangulârant, vexavit: &, absolutô tandem scelere, jámq; resolutîs in deliquium Virgunculæ membrîs, mori coëgit. Sed nequaquam impunè. *Tribunorum* enim, qui tunc urbem occupârāt, *fortissimus*, SALISIUS, generis æquè virtutúmq; nobilitate clarus, & præsidio *Bojo-Cæsareano* supremâ pro potestate *præfectus*, ut primùm rem tam atrocem didicit; reum abripi sinè mora jussit: &, urbe militiáque spectantibus, ante cubiculares fenestras, illius ipsius domûs, ac penetralis, in quo tam exsecrabile nefas patratum fuerat, suspendi, sicut is abreptus abstractúsque, non ante multò, fuerat è lecto. Quem & nos proinde, spectaculô *Justitiæ* lætô, *pendentem* aspeximus; auricomâ volitantéq; cæsarie capillatum; veste pretiosâ, corporísque proceritate dignâ, spectabilem; & ocreîs candîdis, inauratísq; calcaribus, fulgentem: ad summam! *In nullo* (quod homines vulgò clamabant) *unquam antehac Equô, tam pulcrè sublimem & conspicuum.* Accidèrat insuper, expletîs jam illis, de quibus prefatus sum,

ad præ-

Ruina Messeniorum.

ad prædandum concefsîs, horîs: ut *Juvenis* quidam, ab exteris facris ad noſtra, per eoſdem illos dies, tranſgreſſus, quíq; , diuturnus urbis incola, complurium nôſſet civium ditiorum arcana, defoſsáſq; fortunas; militum audaciſſimo cuiq; notitiam ſuam aſpergeret: & iis, ut abſtruſa paſſim refoderent, non *auctor* modò, ſed *index* etiam, *ductórq;*, fieret. Scelere compertô, (quippe multîs, calamitatem *ſuam*, & exhauſta defoſsîs opibus *ſcrinia*, lugentibus) idem, quem laudavi modò, SALISIUS, abripi furum hunc & raptorum anteſignanum, imperavit: & ab officina *Pileorum*, quorum opifex fuerat, in *furcam*, urbis meditullio tunc imminentem, agi. Quæ dum fiunt; ecce, confertam, ut fit, inter multitudinem, quæ ſpectatū confluxerat, adulti floris *virgo*, ſive ſponte ſuâ, naturæque miſericordi motu, ſive jam antè ſubornata, ſeſe medium in agmen ac ſtipatores, intrudit: proximéque juvenis *Rei*, jam patibulo propinqui, tergum, non advertente lictore, conſtituta; quaſi *Virginitatis*, quod ipſa ſibi, cunctas apud gentes, & inter *Arma* quoque, fingebat, *Privilegiô*; promptè diſtrictô, quem ad latus gerebat, cultrô, reſtim, qua poſt dorſum

Ruina Meſſeniorum.

ſum revinctæ furis manus erant, ſcienter, ac celeriter. diſcindit: juvenémque jam deinceps, & *maritum* ſibi ſimùl, & *liberum*, eſſe jubet. Eum enim ſe, ſicut antehac *Sponſum* habuiſſet, ſic poſthac *conjugem*, habituram. Quo puellæ ſermone, factóque talî, tam inexſpectatô, peractô; quid homine, lignum infelix jamjam aſcenſuro, felicius? quid, tanquam ex inferis revocatô, lætius videri poterat, & hilarius? Totô certè forô ſalario, vix ſeipſum capiens, exultánſque gaudiô, diſcurrebat; ſibi gratulans, *ſuæq; Sponſæ*, voce plauſúq; clarô, gratias agens. Applaudebant autẽ, & acclamabant unà, plerique ſpectatorũ. Illorum igitur excitatus vocibus, ac tumultu, *Tribunus*, is ipſe, quem ſuprà memoravi, qui *ſuſpendium* imperaverat, quíque tunc imminentem illi circo domum incolebat: de feneſtra, *Quænám cauſſa tam inſolentis clamoris ac lætitiæ repentè ſit enata*, ſciſcitatur. Diſcit rem omnem, à reſpondentibus; &, ut vir ſagax acutæq; mentis, ſtatim ſuſpectam habens, in genus ac nomen *Puellæ* quæri, mandat. Reperitur, labore non multô; quæ ſe *Pileonis* videri *Sponſam* nuptámque voluiſſet, *uterina* fuiſſe *Soror*. Quare, morâ nullâ, qui tan-

* Ruina Meſſeniorum.

tantisper asservatus à satellitio Tribuni fuerat, ad patibulum postliminiô juvenis infelix abripitur; multùm, cum puella, quòd tam improsperè suus utrique dolus ac spes cecidissent, plorans, ac lamentans: sed lacrymarum fructu casso. Nam, fustuariolô (ni fallor) multatâ *virgine*, quòd eximere morti germanum suum incestô connubiô tentâsset; verô nimis, ac properatô, supendiô miser hic necatur: & exitialî, circa collum nodô Sponsalia *dissolvuntur*. In *Salisio* verò, Justitiæ studium, æquitatísque rigor, ab universis in cœlum efferuntur. Sed nos ad institutam nobis gestorum *Aristomenis* enarrationem regredimur; ea, quæ diffusissimè *Pausanias* evolvit, in summam compendiúmque redacturi.

XIV. Fecit autem ac passus est, post hæc, quæ modò commemoravimus, ista ferè, quæ nunc enumeratum imus, *Aristomenes*; & fortiter, & cum totius Græciæ laude. Ratus hic, eandem locorum omnium, ex fœmineis choris, prædandi fortunam fore: cùm didicisset, Aégilæ, Laconiæ vicô, Lacænas matronas in fano Deæ *Cereris* anniversaria facere *Thesmophória* (yy): cum suorum fortissimis eódem & ipse

Ruina Messeniorum.

& ipſe venit; iterúmque locatîs, utì nuper *Caryatidibus puellis* tetenderat, inſidiîs: opportuno, quo viſum eſt, tempore, proſiliit, & in cœtum mulierum impetum fecit. Sed hæ, *viragines* ſe, non *virgunculas*, præſtitêre: partímque cultrîs ac ſeceſpitîs ſacrificalibus, partim autem & verubus fervefactîs, quibus exta viſceráque victimarum tunc ad flammam aſſabant, correptîs, &, ſiquid præter hæc aliud occurriſſet, in arma versô: Meſſenios *viros*, ipſæ *fœminæ* peregrinæ, furiîs, ſi non & multitudine, ſuperiores, malè mulctant: eorúmque complures graviter ſauciant. *Ariſtomenem* ipſum, ardentibus Cerealium ſacrorum facibus, in os, barbam, ac faciem ingeſtîs, ejúſque capite, tedarum incuſsîs ictibus, ſine ceſſatione crudeliter dedolatô: tandem vivum eum capiunt; onuſtúmque vinculîs, in delubri ſacrario tantiſper, quoad poſtridie diluceſceret, adſervant. Is tamen nihiloſecius, ex ea ſe cuſtodia, priùs, quàm mundo dies redderetur, expediens; ſemet libertati, ſuiſq; Meſſeniis, reſtituit. Erat enim delubri Cerealis antiſtes, ac Sacerdos, *Archidaméa* quædam. Ea, vinculîs per admotas ingeniosè faces exuſtîs, clam omnibus *Ariſtomenē* effugiſſe,

Ruina Meſſeniorum.

gisse, manè caussata; custodiæ, sibi commissæ, negligentiam, *facilè-credulis* quidem, labore non magnô purgavit: *prudentioribus* autem, quíque veteres ejus in *Aristomenem* amores perspectos habebant, nunquam in solidum absolvit se; quò minùs ultrò, beneficiô tenebrarum, emisisse procum suum, casta nováque Penelope, crederetur. Cùm porrò *tertius* jã procederet belli *Messeniaci*, quod ordine *Secundum* dixerunt, annus *(zz)*: Lacedæmonii, tot *Aristomenis* adversùs Spartam injuriis, & in Spartanas insidiîs, hostilibúsque factîs, irritati; denuò correptîs armis, ad locum, cuj *Fossæ Magnæ* nomen fuit, castra collocârunt: &, cum omni Messeniorum, Arcadúmque, qui Messeniis subsidio venerant, multitudine, collatîs signîs; prœliô cruentô, propemodúmque Messèniîs internecínô, decertârunt. Victoriáque penès Lacónas stetit: nec operosa tamen, neq; gloriosa; quippe, *donis, & aurô, quo sæpe debellatum est*, Aristocrate corruptô, Trapezuntiô; qui, licèt exterus, Arcadas eo tempore, *regiò* nomine potestatéque, domì bellíque gubernabat. Hujus namque perfidiâ, quâ fúgere suos, ementitô periculô, jusserat, apertáque per mediam

(zz) Ruina Messeniorum.

diam aciem eruptione, vixdum etiam initô prælio secum abstraxerat; res Messenia prodita Spartanis est: inque medio concisîs Messeniîs, & sæviente citra miserationem ullam Lacedæmoniorum nundinatoriô ferrô; quod reliquiarum de suis *Aristomenes* colligere valuit; id secum, non tam ex *acie*, quàm *lanienâ*, Magnæq; Fossæ *Sepulcris publicîs*, extractum, reduxit in Messeniam: quantum in ipso, constantiâque certaminis ejus, fuit, aut *victor* Lacedæmoniorum, aut *æqualis*; Aristocratis autem Arcadúmque scelere, *victus*, & eversus. Et *Aristocrates* quidem, posthæc, deprehensîs, quæ perfidiam ejus convincerent, litterîs, occasione quadam aliâ: suorúmmet, quos fraudulentô fugæ consiliô jussúq; circumscripserat, manibus lapidatus; Messeniis, & communi gentium juri, pœnas dedit. Et quamvis *Rex* esset, quia tamen *proditione* suâ non veritus erat, exercitum integrum *sepelire*; projectus *Insepultus* est. *Aristomenes* autē, cùm frustra jam in posterum, à tam exigua, quæ cladi superfuerat, Messeniorum multitudine, retentum *Andániam* iri, satìs intelligeret: & ex illo loco suis, & ex omnibus præterea cæterìs, à mari remotioribus, nimi-

Ruina Messeniorum.

úmq; diſtantibus terris, ut emigrarent, auctor fuit. útq; non *verbîs* eos potentiùs, quàm *exemplò*, traheret; primus ipſe, facultatibus, quãtaſcunq; reliquas habebat, ac domeſticîs ſuîs, abductis: in locũ, qui defenſioni commodior appareret, ſeſe recepit. Erat is, Meſſeniæ regionis, mons arduus, *Ejras* nomine; quem Latinitatis ſcriptorum, alii quidem *Iram*, alii verò dixerunt *Eram*: neutri perperam; cùm, linguæ ſuæ ſecuti conſuetudinem, diphthõgi vocalem alterutram retinerent, alterâ prætermiſsâ. Quod nimirum, & aliis compluribus accidere vulgò dictionibus, videmus, è Græcia tranſportatis in Latium: ut, & Laodicéam rectè proferamus, & Laodicíam: Apaméam, & Apamíam: Hippodaméam, & Hippodamíam, ac ſic de cæteris ejus generis. Sed ad *Ejram* revertor montem. Eum, murîs circumcluſum, & operosè validéque communitum; receptîs intrà mœnium ambitũ Meſſeniorum reliquiîs universîs, præſertim bellô prorogando magis idoneîs, & ad patriam prole reparandam aptîs; *Arcem* Ariſtomenes fecit, & commune Meſſenii nominis propugnaculum. Id autem oppugnare continuò, magnis orſi copiis, ſum-

Ruina Meſſeniorum.

ſummíſque viribus, Lacedæmonii; cùm, impetu ſtatim primô ſeſe capturos *Ejram*, in maximam adducti ſpem eſſent, & à multitudine ſuorum, & à paucitate Meſſeniorum conſpecta: propter alacritatem tamē ac fortitudinem propugnantium; non illo duntaxat inſultu primô, ſed & deinceps, in annum *undecimum* uſque (quis non obſtupeſcat *redivivam*, in unico monte, *Trojam?*) fruſtra fuerunt. In ſumma! Fracti diuturnitate circumſeſſionis, & oppugnandi moroſa contentione, Spartani; denique, rebus infectîs, domum, unde venerant, abſceſſerunt. Non abſtitêre tamen bellô Meſſenii: ſed, annonæ preſſi difficultate, monte ſuo munitionibúſque, propemodum in dies erumpere; prædas ex agro, qui ſuus aliquando fuiſſet, nunc autem Laconum factus eſſet, aſſiduas, & impunè quidem, ut plurimùm, agere; locupletare ſuos; nudare fortunîs ac facultatibus Lacedæmonios. Quibus rebus id effecerat tandem *Ariſtomenes*; ut, deſperatâ frugum ſuarum cuſtodiâ Spartani, prætermiſsíſq; poſthac arationibus ſationibúſque finium illorū, qui Meſſenios hinc, & indè Laconiam, contingebant: & ipſi meſſes ſuas, facere prædam

Ruina Meſſeniorum.

hoſtium deſinerent; &, ex alieno vivere, Meſſenii raptores inciperent: quippe, quibus, in hunc modum, & ſuæ fruges nullæ naſcerentur; & hoſticæ, cum ſpe rapiendi, pariter exaruiſſent. Tumultuantibus igitur, ob intermiſſam agrorum culturam, Spartanorum opulentiſſimô quôque; quòd his & frumenti fertilitas, & è venditionibus lucrum, intercideret: ſollicitabatur populi multitudo, primorum civium ditioribus, in penuria victûs, ut plurimùm ex fœnore venalis, & obnoxia: prælium ut in Meſſenios flagitarent; quò, ſublatô tandem *Ariſtomene*, malis tantis, ac tam diuturnis, finem aliquem invenirent. Delectum igitur, intentiore, quàm unquam antehac, curâ, magiſtratus habent; armáque conſcriptis, & equi, dividuntur. Ut autem ad manus quàm citiſſimè veniretur; faciebat & metus; ne, niſi Spartiatæ Meſſenios prævenirent, ab Ariſtomene Meſſeniiſque prævenirentur; aliquo, vel aſtu, vel impetu repentinô, captâ Lacedæmone. Nam & *Pharas*, Laconicum oppidum, de quo ſuo nos loco ſuprà meminimus; & *Caryátidas* quondam *puellas*, ex inſidiis ab *Ariſtomene*, recordabantur, interceptas, inque poteſtatem ejus reda-

redactas. Noviſſimè quoque, dux idem hoſtium, cum ſuorum audaciſſimis, per obſcura noctis, clam oppidanîs omnibus, adrepens *Amyclis*; locum eum, ſub lucis exortum, nihil tale metuentibus aut cogitantibus Amyclæîs incolîs, opprimit; captúmq; diripit: & ingentî cum præda, priùs, quàm id Spartæ reſciri poſſet, aut indidem ſuccurri, recedit; *Ejrámq;* revertitur. Eam cladem graviter, non Amyclæi tantùm, ſed cæteri quoque Laconum, & inprimis Spartæ civitas, accepeunt. Erant enim *Amyclæ*, Laconicæ regionis, inter Peloponneſios, oppidum, Semideorum Tyndaridarum, *Caſtoris*, *Helenæ*, *Pollucis*, patrium; & aliquantò magìs proprium, quàm *Sparta*, ſolum: quippe, Tyndari quondam regia-ſedes, ac domus. Erat inſuper éadem ipſa, quam diximus, urbs Amyclarum, *centum* illarum urbium una, quibus urbs Lacedæmon jam antiquitus imperitare conſueverat: quæque propterea particeps & ipſa fuerat communium illorum, quæ pro *Centum oppidis* illis, & eorum incolumitate, facere quotannis Spartani ſolebant, Sacrorum; quibus indè nomen *Hecatombarum*, quaſi *Centum boum*, qui cadebant in *victimam*, adhæſit. (*Aaa*) Id igitur

Ruina Meſſeniorum.

gitur oppidũ tale, tam *indignè*, ſicut ajebant, ab *Ariſtomene* tractatum eſſe; nec tamen ab eo, ne poſt hæc quidem, eruptionibus deprædationibúsq; quotidianîs temperari: graviter & acerbè ferentes Lacedæmonii; quò minùs in eum, magnâ comparatâ manu, moverent, haud ultrà diſtulerunt. Incidit autem in eos *Ariſtomenes*; dimidiâ copiarum ſuarum parte debilior Spartanis, numerô plurimîs: utpote, cum quibus uterque *Regum* ſuorum, cumque ſuô quæque rege multitudo juventutis ingens, & ad dimicandum ardens, exiſſet in pugnam. Pede collatô, certatur acerrimè. Spartanorum vis omnis, & ardor, tanquam *grando* quædam, ac tempeſtas, in unius potiſſimùm caput *Ariſtomenis*, ejuſque prætoriam manum, effunditur. Nec ille ſibi deeſt. Sed, oppreſſus multitudine, ſaxôq; capite tenus graviter afflictus, & aliîs toto corpore vulneribus acceptîs, cùm, offuſîs vertigine tenebris, *animô* jam haud minùs, quàm *genibus*, deficeret; à Lacedæmonum irruente globo, vivus etiamnum, ac nondum tamen omne repugnandi ſtudium intermittens, capitur: inditíſque vinculîs, cum aliis è prætoria cohorte, *quinquaginta*, Meſſeniorum fortiſſimis,

ſimis, Lacedæmonem, ingentî civitatis lætitiâ, raptatur. Erat antiquitùs Spartæ *Carcer*, cui *Ceádæ* nomen. Is carcer, nequaquam cedebat, aut ſqualore carceri *Tulliano* Latinorum; aut, horrore tenebrarum, Athenienſium *Bárathro*, vel *Ancóni* Carthaginis; aut rigore, frigoréque, Syracuſarum *Latomiis*; aut altitudine denique depreſſionéq;, Cyzicenorum *Profundo-maris*. de quibus omnibus reorum cuſtodiis, alibi nos quoque meminimus; &, ante nos, Cæſar Baronius, tum in annum Chriſti quinquageſimum octavum, in Annalibus: tum, in diem Martii decimum quartum, in Faſtis. Sed omnia ſimùl omnium, unus & idem Ceádæ carcer Spartanus, incommoda maláq; ſecum includebat. Erat enim terræ dehiſcentis *vorago* profundiſſima, tenebris, & odore cadaverum, graveolentiſſima; lateribus undique, tanquam parietibus ad perpendiculum exactis, præcisè deruptis, atque ſcopuloſis: ſolo quoque, pavimentóq;, ſaxeo. Locus denique, qui totus ipſe Saxum videri poſſet; niſi, quòd repertum poſtea, caſu quodam ac fortunâ monſtrante, ſit; fundum carceris ultimum, ſabuloſi quiddam in lateribus habere: cui ſaxea moles, velut ipsâ ſuî pro-

funditate fatigata deficiénſq;,nonnihilô molliùs inniteretur. Hæc, quam deſcripſi, *Ceádæ* facies ac ſitus erat. *Ceáda* verò,non tam *Carcer* reorum,*ſupplicio* deſtinatorum;quàm *Supplicium ipſum*, ſuppliciorum omnium teterrimum, & extremum. In eam certè, non vulgò, niſi *capitalium*, eorúmq; *maximorum*,condemnati criminum , & exempla noviſſima promeriti,præcipites agebantur. (*bbb*) Perductîs igitur,uti dictum eſt,Lacedæmonem *Ariſtomene* captivitatiſq; ſociîs ; imperiô regum, & Ephororum decretô, *quinquaginta* primùm illi, quos, unà cum Ariſtomene captos in acie,memoravimus,in *Ceádam* abjiciuntur: abjectíque, ſtatim eliduntur, & intereunt. Poſt eos autem, & *Ariſtomenes* dux, dejicitur : &, quòd priorum cadaveribus potiùs,quàm pavimenti ſaxis, incidiſſet;inviolatus undequaque,tantô licèt à caſu,ſalvúſque,præter mentem omnem dejiciẽtium, & inſcientibus penitùs inimicîs,deſcendit. Id autem,quòd retulerim , ſuper cæterorum confertam *cadaverum* ſtruem, non autem in *lapideum* ſtatim ſolum, eum delapſum eſſe ; longè propiùs fidem, ac rerum geſtarũ veritatem, eſt: quàm, quod , figmentorum amatrix , quorundam

poëſis

Ruina Meſſeniorum.

poësis magìs, quàm *historia*, memoriæ prodidit: delabi jam incipienti Duci, divinitùs *Aquilam* subsidio venisse; quæ, dispassîs alîs, *Aristomeni* se subjiciens, eum molliter ad ima voraginis usque deportârit. Quod nobis, in tanta priscorum fabulandi mentiendiq; libidine, facilitatéque, sicut refellere, nullius esset molis, & operis; ità laboris, in refellendo, nullum admodum operæ pretium, atque lucrum. Sit satìs; *Aristomenem*, ex eo casu, quocunque tandem vel Fortunæ, vel Numinis favore, superstitem incolumémq; perdurâsse: quin & *biduum* (*ccc*) illic solidum, inter pædorem tabúmque tot exanimatorum corporum, omnibus vitæ subsidiîs, alimentîsque, destitutum, mœstissimâ solitudine sessitâsse: nonnullâ, sed malignâ tamen, ex ipsis cavernis illis, inter tenebras, imagine lucis, *nictante* veriùs, quàm *immicante*. Sed hujus ipsius *radioli* luridus, ac sepulcralis, aspectus tristior ei *tenebrîs purîs*, & impermixtîs, accidebat; ex eo, *quòd jam non miser tantùm esset, sed etiam, quàm misero malóq; versaretur in loco, subintueri cogeretur.* Id igitur, ne perpetuò facere compelleretur, palliô, chlamydéve, circumvolutâ facie; supremis etiam illis, quantuliscunque, lucis

Ruina Messeniorum.

vestigiis suffuratus est oculos: &, in media funerum strue decumbens, tanquam in *lecto Libitinæ*, supremæ necessitatis horam ultimam, ac fatalem, opperiebatur. Jámque *tertius* illi procedebat, in ea calamitate, *dies*; vitâ, supra mortes omnes acerbâ: cùm is repentè, quasi *feræ* cujusdam *circumreptantis*, advertit mobilem strepitum: evolutóque de chlamyde vultu, dum videndi caussâ circumfert oculos, ad subobscuræ lucis prætenue jubar, *Vulpem* notat; cadavera, circùm se posita, rictu membris applicitô, veluti tentantem, &, num adhuc vesca sint, explorantē. Hanc igitur *Aristomenes*, donec & ad se pedetentim perveniret, immotus, tacitúsque, præstolatur. Accedit ergo tandem eum fera; mortuum & ipsum rata, quòd, statuæ similior, quàm homini vivo spirantíque, persisteret: os, & nares, applicat; ac, velocitate præventa Ducis, caudam invadentis, à captivo, momentô citiùs, capitur; & capta, detinetur. Irruit invicem in Aristomenem *vulpecula*; sese morsibus in libertatem assertura. Sed, idipsum providens *Aristomenes*, jam totâ veste, qua vultum priùs operuerat, manum lævam circumvolverat: eámque, dum interim dextrâ belluam à fine dorsi

dorſi conſtringit, quaſi vicariam ream, & hoſtem, objicit, dentibus appetendam. Sed non perveniebant ad plagam ullam, vulnúſque, feræ ſævientis dentes; prohibente craſſitie chlamydis, ad vivum uſque mordentis iram infigi. Perſeverabat nihilominus, & iſta ſævire rictibus, iracundùm ganniens; & *Ariſtomenes*, omnî digitorum contentô robore, vulpis inhærere caudæ: donec, ad extremum; deſperatâ *vulpes* victoriâ, reſpectare latibulũ ſuum, ac foveam, unde venerat, cœpit: & ad eum, unde minimæ lucis aliquid affulſiſſe diximus, *Ceádæ* locum feſtinare. Tunc enim & *Ariſtomenes*, in ſpem erectus, exitûs alicujus, occaſione fugientis belluæ, reperiendi; volens, & ultrò, ſe trahendum, ad uſque lucis irrumpentis oſtiolum, *vulpi* permiſit: nunc currentem, & ipſe currens; nunc autem, tardiùs ſeipſam emolientem, tardior ac reptans, ſubſequendo. Cúmque nunquam inter hæc vulpinam dimiſiſſet caudam; feliciter tandem, ad eum, per quem intrare bellua ſolebat, & reverti, cuniculum pervénit. Eum vulpes ſibi tranſitum ſubterraneũ, jam olim, ad infimum *Ceádæ*-latus, ac fundum, deſinente jam rupe, ſabuloſum, ac propterea per-

Ruina Meſſeniorum.

perfoſſu facilem, excavârat. Sed erat ejus non major diductiórque capacitas; quàm, quæ commeantem ultro citróque *feram* admitteret: *hominis* autem, ac præſertim robuſti proceríq; (qualis *Ariſtomenes* fuiſſe fertur), tranſitū, ut tunc erant anguſtiæ, prorſus excluderet. Satis igitur Dux habuit, impræſentiarū liberam dimittere beſtiam; quod & fecit: ſibi verò ſpem in poſterum haud ambiguam reſervare, ſuam hanc, ſive *libertam*, ſive *fugitivam*, non multô temporis interpoſitô ſpatiô ſubſequendi. Nec eum fefellit exſpectatio ſua. Paullatim enim, non majore manuum ambarum contentione, quàm *invictiſſimâ Patientiâ* (quæ *vel adamantina perrumpit mœnia*) cuniculum *vulpis*, ſabuloſum, ampliorem ſpatioſiorémque reddens; eum tandem ad corporis ſui craſſitiem & habitudinem adeò redegit, & aptavit: ut, hunc perreptando, *quintum* adhuc *ante diem*, in libertate ſtaret; *Ejræque* ſe ſuæ, jam dudum licèt ab omnibus conclamatus, vivus incolumíſque reſtitueret. Lætum id *Ejræis*, & quaſi cœlo delapſum, *Spectaculum* erat. incredibilis contrà Spartanis, de Meſſenii libertate Ducis, rumor accidebat; & tanquam de redivi-

divivo recoctóque Péliâ, vel ab Inferis reductô Theseo, *fabula* magìs, quàm *Fama*, diu visa. Sed dies tandem ipse, Spartanorúmque subsecuta clades, *Aristomenem*, & vivum declarârunt; & liberum atque *virum*. Ut proinde, locum hîc etiam haberet illud *Romani* postea *Sapientis* acutè dictum; *Multos & Carnifici superfuisse suo.* Credere porrò coacti Spartani sunt; reverà superstitem esse supremo suo supplicio Ducem *Aristomenem*, ex eo primùm eventu: quòd *Corinthiorum*, non contemnendam, manum, auxilio Spartanis, ad *Ejram* rursus oppugnandam, submissam, irruptionéque nocturnâ temerè dispersam & sopitam, aggressus Messenius; partem *magnā* disjecit, ac profligavit: partem verò *majorem*, cum *quatuor* Corinthiorum ductoribus, fudit, ac delevit; reliquias autem auxiliariorum tenues, refugere Spartam coëgit, nuntiaturas: *Aristomenem*, & socios Lacedæmoniorum supremîs affecisse malîs; &, eorundem castra, prætoriúmque, more suo vetere, diripuisse. Subsecutus est autem post hæc casus alius; ex quo discere Spartani compulsi sunt; *Quisquis è subterraneis regnis, ac funeribus, in lucem ac terras revertitur, vivis incidere consuêsse terribilio-*

ribiliorem. Erant, ex mutua pactione, Messenios inter, ac Lacedæmonios, induciæ, ludorum Sacrificiique caussâ: quarum proinde tam *induciarum* fiduciâ, quàm *religionum*, dum, extra muros ac fines *Ejræ*, solutiùs atq; licentiùs palatur *Aristomenes*, abstinens interim ab hostico manus, ac prædam; non abstinuerunt ab eo vim & manum hostes. *Septem* enim è *Cretensium* numero *sagittariorum*, qui cōductam Spartanis operam in bello locârant, nec ab excursionibus interim in agrum Messenium se continebant: sive per induciarum ignorationem, sive (quod propiùs verum est) perfidiâ, pactorúmq; contemptu, prorumpunt ex insidiarum, quas *Aristomeni* tetenderant, locô. Mox, nihil exspectantem tale, vel metuentem, eum circumsistunt, obruunt, obrutúmque capiunt. captū, quòd à funibus aut catenis imparati, Cretes exierant, pharetrarum suarum lorîs vinciunt. *Duo* deinde, de prædonum illorum numero, Lacedæmonem, adhuc ante lucis illius plenum occubitum, abeunt; ac de re, pro voto gestâ, Spartanis, haud tristibus, aut indelectatis, renuntiant. Cæteri vero *quinque*, suum ante se *captivum* agentes, Spartam versùs, aliquantò

quantò tardiùs ſubſequuntur : & in caſulam quandam oræ Meſſeniacæ, quæ ſecundùm viam regiam eis occurrebat, *Ariſtomenem* vinctum, ac pernoctaturum, pertrahunt; ibíque deponunt : diluculô poſterô Spartam uſque perducturi. Sed *evertit* hoſtium exſpectationem, & *Ariſtomenis*, è diverſo, collapſas fortunas ac Salutem *erexit*, caſus novus; ſeu Fortunæ luſus hic, ſeu Numinis conſilium, fuerit, hunc in modum. Degebat in illâ, quam dixi, caſula, cum matre vidua, non uſquequaque pauperrimâ, puella *virgo*: quæ, nocte, ſicut fit, oppreſſis, & ob id oppidani diverſorii facultate copiáque per diei ſerum excluſis, viatoribus hoſpitia ſolebant, pro rei familiaris copiâ, præbere. Quæ proinde, pro vitæ, profeſſioníſque ſuæ, conditione, non omittebant; & penore mapale ſuum, & vinariâ quoque cellulâ, ſollerter inſtruere. Fortè ſic evenerat, ut, in lectulo decumbens *virgo*, nocte, quæ ſupremam illam *Ariſtomenis* captivitatem anteceſſerat, ſecundùm quietem videre ſibi videretur, in cauponulam ſuam, à lupis aliquot pertractum, *Leonem*; fortem quidem illum, ac generoſum, ſed, inimicorum acerbitate, nativîs unguibus exarmatum:

Ruina Meſſeniorum.

matum: ideóque tunc, insiti sibi roboris velut immemorem, & ultionis impotentem Se porrò, vinculîs *leoni* detractis, haud aliter paullò pòst eidem, quàm marito, familiaritatis uxoriæ consuetudine sociatam, in libertatem eum, unguiúmq; plenam possessionem reposuisse. *Somnium*, quod fuerat pridianæ noctis; id ad rei *veritatem*, nocte, de qua dixi posterâ, continuò *Puella* perduxit, hôc, quem referam, dolô. Namque, vixdum adductô captivô; cùm, conjectîs in eum fœmineâ curiositate diligentiùs oculîs, *Aristomenem* eum gentísque Messeniæ principem, didicisset punctô temporis eodem, & in *liberationem* illius, &, siquà fieri posset, in *nuptias* cum e[o] suas, spem atque cogitationem intendit. Liberaliter igitur, & sine fontani laticis ullâ mixturâ, meracissimô *quinq; Cretensibus illis* vino præbito, sopivit tandē omnes; eósq;, porrectîs quiescere pedibus, post epulas, coëgit. Tunc autē ei, qui, cęteris altiore sepultus esse somnô, rhonchorum à vehementia, deprehendebatur; nec repugnanti, neque sentienti pugionem à latere, déque vagina, diripit ejúsque mox acie strictâ, vincula discindit *Aristomenis*. At hic, simulac se *liberum* vidit auda-

audacter correpto gladio, (*ddd*) *Cretas* dormientes invadit: ac, priusquam primis postremi suppetias ferrent, omnes, in cumulum, trucidat, ac mactat. Quibus in hunc modum perfectis rebus, *puella*, cùm videret, *Somnii* sui prima, secundáque, prospere congruéque factis, ac veritate rerum, expleta fuisse; præstolari cœpit, super ultimis, & exitu, *Somnii*, quídnam futurum esset? &, utrum is se *sponsam* duceret, quem ipsa sibi videbatur, tanquam altera nováque Medea, vel Ariadna, virum emisse, vindiciisque salutis, tanquam allatâ dote legitimâ, promeruisse; qui sibi *Jason*, aut *Theseus*, fieret. At *Aristomenes*, ne *fortiorem* se, quàm *continentiorem*, ostenderet: puellæ liberatrici, *suas* quidem nuptias negavit; *filii* verò sui, cui *Gorgo* nomen, octodecennis tunc adolescentis, conjugium ei conciliavit, ac confecit. & id quidem, *utriusque* (quod in connubiis ego vel inprímis æstimandum esse, reor) *mutuâ* summâq; *voluntate*. Cæterùm, persolutô sic libertatis ac salutis suæ pretiô; cùm non *Justitiæ* minùs, exspectationíq; Virginis, quàm *Somnii* fidei, satisfecisset *Aristomenes*: elusîs jam non semel Spartanîs, in supplicium illius intentîs, & *li-*

Ruina Messeniorum.

ber, & *socer*, Ejram suam, comitatu suæ nurûs auctior, est reversus: frendente Spartâ; *Semper lævos intervenire Deos, quoties, lætitiæ Spartanorum immolandus Aristomenes, ad cultros aráſque staret.*

XV. Ac servârunt quidem, in eum, quem dixi, modum, sive *casus* humani, sive *consilia* curæq; Superûm, Messeniorum *Ducem*. non item, ac parî curâ, servavêre *Messeniam* ipsam, ejúsque primariam, id temporis, Arcem ac munitionē, *Ejram*: quippe, tandem & ipsam, post *decem* annorum pertinax obsidium, & oppugnationem, ab hostibus occupatam. Quódque mirêris: haud ferè secus, ac *Troja* quondam, *Ejra* cóncidit; siquis præsertim utriusq; studeat excidii capitalem principémque caussam indagare: quæ tam *Ejræ* fuit, quàm *Trojæ*, muliebris impudicitia, jugalísque tori contumelia. Juverit, ad urbium ambarum comparationem hanc illustrandam, intelligere *Ruinæ*, quam *Ejra* Messeniáq; tunc subiêre, seriem, & originem: quæ talis est. Ex Arcadiæ monte, cui *Lycæo* nomen, amnis decurrit, quem *Nedam* vocant; aliquousque per Arcadum loca planiora, jugi meatu, labens: donec, ad Messeniam denique deflexô cursu,

præ-

prætérq; montis *Ejræ* propemodum pedem, maritima *Peloponnesi meridianæ* petens, mediô, Messenios inter, Elidísq; fines, limite, pelagus in Iönium evolvatur. Dum igitur, tot per annos *Ejra*, cum Aristomene, sic circumside-tur à Spartiatis: ut, quidquid tractandis armis idoneum esset, intrà muros & gremium *Ejræ*, conclusum se contineret; pauci verò qui-dam, & è vulgi fæce, suburbana loca, secun-dùm *Nedæ* ripas, obscurîs, iísque ferè pastori-tiîs piscatoriisque, tuguriîs insidérent: acci-dit, ut *Empéramum*, herum suum, Spartæ ci-vem, inprimis clarum ac nobilem, servus pa-stor, cum armentis abactis, fugiens; in Messe-niam sese, prope *Nedæ* fluminis compascua loca, reciperet. Illic, haud ità procul *Ejrâ*, pecus dominicum quotdiebus ferè, propel-lebat ad amnem, in herbida riparum prata. Solebat autem statîs horîs eodem & *Messenia* quædam venire *mulier*; oppido montiq; sub-jectam casam incolens: &, in amnem demis-sâ situlâ, pro se, domûsque suæ necessitati-bus, aquari. Mulier hæc, haud inculta, nec indecentis formæ, bubulco visa, quem dixi, Lacedæmonio; confestim adamatur: &, cùm eadem eodem crebriùs ventitaret, blandîs

Ruina Messeniorum.

primò nutuum colloquiorúmque vicibus, poſtea *donîs* ac *munuſculîs*, non niſi *paſtoritiis*, ad fœdæ rei conſuetudinem invitatur. Fœmina, pro ſexûs ſui vulgatâ levitate, non pluris pudicitiæ ſuæ, quàm aqualis ſui, ſi frangeretur, interitum æſtimans; ac majoris, caſeolos aliquot, quàm totam Lecti fidem, faciens, adulterô ſe ſic totam mancipavit: ut vix ulla nox, ulláve dies, ſinè flagitio mœchis, niſi quam mariti præſentia coëgiſſet eſſe cõtinentem, præteriret. Erat enim mulieris Meſſeniæ maritus è vigilum illorum numero; qui montis, & arcis *Ejrææ*, quâ parte debiliùs eſſe communita videbatur, per vices cuſtodiam, & excubias, agitabant. Quo proinde fiebat; ut, quoties virum hunc ordo ſuus, ad nocturnas præſertim vigilias, evocâſſet: *bubulcus* ille *Spartiates*, acceptô, ſicut inter amantes convenerat, ſignô, vel ſceleris internuntiô; demptâ morâ, properaret ad adulteræ gurguſtiũ: ibíque flagitioſo ſuo furori fræna laxaret. Acciderat autem demum; ut, nocte quadam, quâ mœchæ vir, cum aliis è commilitio, ſtationem ſuam, ſub muris, nullo contra tempeſtates tectô munitîs, obibat; ſolitô ſpiſsiùs effuſiúſq;, nec ullâ pluviarum inter

intermiſſione,cœlum omne deflueret: præſidiariíque, tempeſtatis denique vehementiâ diuturnitatéq; victi, ſub tecta, vel denſiores arbores,alius aliorſum,dilaberentur. Quo factum eſt, ut in hunc modum, arcis ac mœnium commiſſam ſibi cuſtodiam, non laxarent tantummodo, ſed omnî planè præſidiô nudarent: atque deſererent. Id autem tantò fecerant confidentiùs: quòd, eodem ipſo tempore Meſſeniorum imperator, *Ariſtomenes*, Ejræ quidē præſens, ſed è gravi vulnere, quod à Lacedæmoniis excurſoribus acceperat,decumbens;ipſe per ſe,more,legéque receptâ, circumire ſtationes excubiáſq; prohibebatur: cæteri verò, quibus ſuas ille partes delegârat,incurioſiùs agerent, & officio ſuo deeſſent. Hoc ergo tempus, tam infeſtum horridúmque nimbîs, cùm paſtori Spartano peropportunum, ad repetendum prolongādúmq; cubile vetitum, obtigiſſe videretur: militibus è contrario ſatìs eſſe magna cauſſa, cur & ipſi ſua regrederentur in domicilia, credebatur. Quo factum eſt; ut, quo noctis articulô, *bubulcus* Lacedæmonius, in thalamo *Meſſeniæ*, medióq; turpitudinis ſuæ volutabro,vel maximè, bacchabatur: adulteræ *maritus*,

Ruina Meſſeniorum.

ritus, amorum uxoris, ad id usque temporis, surdâ cæcáque simplicitate, nescius, ac securus; peccantibus superveniret: insertáq; casæ suæ foribus clave, tumultuosiùs (ab imbre scilicet madens, ac siccari cupiens) introrumperet. Sensit, ex ipso statim primo pedum, & anhelitûs, familiari sibi sonitu, sui conjugis reditum obscœna mulier: lectulóq; desiliens, &; *Ohe! Periimus uterque, nisi latueris!* succlamans: *mœchum* quidem in secretissimum, cubilíq; proximum, angulum retrudit: ipsa verò, veste se raptim succingens, & in omnem diffiсta, plusquam unquam antehac, familiaritatem atque blanditias, in occursum viri, *mulier nequam* effunditur: reditúmque tam insperatum, per improbissimam assentationem sibi gaudens, & illi gratulans; madorem vestium, ac totius corporis, meretriciô lamentô miseratur: ac denique; *Quænam tam insolens eum caussa, solitô maturiùs, à statione manumisisset, ante diluculum aliâs redire nunquam suetum?* interrogat. Hîc vir, nullius arbitri veritus aures latentes, vocis ac sermonis eâ claritate, quæ pariter à *mœcho* quoque, post fores abstrusô, negotio nullo percipi valeret, & intelligi; caussam tam intempestivi

præ-

præproperíq; reditûs uxorem, ex ordine docet: *de pluviarum improbo, continentéq; defluxu; de mœnibus, operimentô tecti destitutis; de Ducis Aristomenis, ob vulnus, absentia decubitúque; de vigilum deniq; cunctorum dilapsu, nudatâq; tunc, qua parte debilior, occupatúq; facilior esset, præsidiîs consuetîs arce.* Quæ cuncta, cùm is mulieri, sicut erant, recensuisset; requietum ambo concedunt: & fatigationi frigoríque, quod ex imbre jugi conceperat, Messenius, futurorum omnium securus, altùm ac celeriter indormit. At nō pariter sopitus mœchus *Spartanus*; sed, auditô militis rhonchô, de latebris sese proripiens, notissimísq; sibi vestigiîs casulâ dilapsus; ad Lacedæmoniorum, quæ circùm *Ejram* erant, castra contendit: & in ea, mediam adhuc ante noctem, pérvenit. Ibi fortè tunc, absentibus Spartiatarum duobus regibus, is ipse pastoris herus, de quo dictum superiùs est, *Empéramus*, legati jure, rem militarem administrabat. Eo compertô, *pastor*, hôc lęti nuntii pretiô fugæ suæ pœnam redempturus; domini genibus advolvitur. Supplicia se meruisse, cōfitetur; delictíq; sui gratiam sibi fieri precatus, eam, post ingentis, quam adferret, rei pollicitationem, impetrat.

Exponere deinde, quídnam è *Messenio* recèns audierit, orditur; &, in quónam rerum statu tunc *Ejra* sit, eâque totâ residuâ nocte futura manifestè videatur, demonstrat. Fidem ínvenit: & *Empéramo*, ducibúsque, quod vult, persuadet. Clam ergo castrîs, lectissimum quemq; militum, ac centurionum, educunt ac, præeunte *pastore*, sequentibúsq; cæterîs, nihil minùs sentientibus *Ejræîs*, ob aquarum, cœlô decidentium, insanum strepitum; monti primùm, dein & arcis summo jugo, mœnibúsque, viîs licèt asperrimîs, adrepunt: ac, repugnante nemine, scalîs admotîs murum, qua parte visus erat infirmior, exsuperant. Ad summam! sopitîs incolîs, solîsq; præter consuetudinem *canibus* tunc immaniter ululantibus; arcem, & oppidum, & in his duobus, *Messeniam universam*, capiunt. Conclamatur ab hoste; CAPTAM EIRAM! *Occupatam arcem! Spartanorum, & oppidum, & victoriam, esse!* Quæ cùm fierent: *Messenios*, ut in re subita trepidáque, tumultus, & clamor, alios è cubilibus, quippe, somnô stratos; alios è malè vigilatis curis & negotiis, excutiunt. In publicum, & ad muros, arcémque, bellicosissimus quisque rúere; cum iis, quæ sors & casus in manum

Ruina Messeniorum.

manum dederant, telîs: alius alium, *Salváne ſumma res?* interpellare, rogitaréque: clamórem hoſtilem clamore parî retundere: reíque totius facie paſſim fœdâ conclamatâq; deprehensâ, pars *fugam* malle; pars *pugnam*, & aciem: cùm neutrum interim ex voto ſuccederet. Ac ne *fœminæ* quidem, ductricibus uxore Gorgi, ſororéq; Ducis Ariſtomenis, *Hagnágorâ*, quæ conjux erat *Evergétidæ*, Meſſeniorum nobiliſſimi, viriles, in urbe retinendâ, manus operáſque deſtituunt. Contemptô namque diſcrimine propriô, poſthabitíſque puerorum ac puellarum comploratiónibus; corripere ſudes, moliri tegulas, & ſaxa; denique, quidquid eſſet miſſilium, in hoſtem de feneſtris, & ex alto, jaculari: cupere quoq; tectorum in eos culmina devolvere; niſi pleraſque pluviarum aſſidua pertináxq; vis, ac vehementia, ſummas in domos evadere, vel in tectis omnino cōſiſtere, prohiberent. Quod ſolum igitur reliquum iis erat; *armîs* & ipſæ *virilibus* arreptîs; *oſtentare* ſaltem, ſi non ad ſucceſſum plenum perducere, *Martialem*, in alieno ſexu, *virtutem*: ac viris, ore, vel manuū jactatione, vibrationéq; telorum, ad audendum in hoſtes, animos & ſtimulos addere:

Ruina Meſſeniorum.

procùl etiam,& cominus,ut quęque propior erat, aut remotior, per *cœli fulgurantis* malignam lucem, exemplum dimicantis ſui Ducis ponere ſub oculos. Etenim, ad mala cætera capti montis, & arcis, pluviis tandem venti quoque vis atrox,& tonitruum ac fulgurum horror intermiſtus, acceſſerant. Per eam ergo lucem, imperatorem illis *Ariſtomenem*, inter primos pugnam ac prælia ciētem, vocibus ac digitis matronæ commōſtrabant. Nec figmentum id, aut mendacium, erat. *Ariſtomenes* enim, revera, tametſi graviter,utì dictum eſt, ſaucius, & plagâ necdum curationibus ad habitum tolerabilem perductâ; ſimulac,Spartanos *Ejrâ* potitos, intellexit; ægrum lectulô corpus,conatu violentô, proripiens, cum ſuorum fidiſſimis; *Gorgô* filiô; *Théoclò* vate; *Mánticlò*, Théocli filiô; maritóq; ſororis,*Evergétidâ*, medios in hoſtium globos vadit. Ibi, dextrâ lævâque viam ſibi, Spartanorum in agmina, faciens; denſatîs aliquamdiu cædibus, dubitare cogit hoſtes; *Verène*, quam ceperant,*Ejram cepiſſent?* & certè; *Num ſaltem Victores ſeſe ferrent?* Sed, urgentibus ſenſim undique malîs, ac Lacedæmoniorum multitudine longiſſimè Meſſeniorum paucitatem

tatem ſuperante;quin etiam,ſuper hæc, cœlô,nubibus, procellîs, ac fulminibus, paſſim eos exſternantibus,*tanquam,qui mortalibus pariter,& Immortalibus, eſſent inviſi:* nihiloſecius tamen,*Ariſtomenis* eos & verbîs,& factîs, fulcientibus, in tertium uſque diem,tertiámque noctem, pleniſſimè tranſactam, inter imbres, frigora,tonitrus,cœlíq; flammas;inter vulnera,mortes,& vigilias aſſiduas, & inediam,fortiſſimè duravêre Meſſenii: ſemper, inter hæc, victoriæ,quàm exitio,viciniores. Ac, nec exhauſtîs quidem æternâ pugnâ viribus, certamine Meſſenia gens exceſſiſſet: niſi,Théocli, vatis eorum, ſæpiùs repetitâ denuntiatione monitiſq;, *ſuperſtitione* potiùs quadam,quàm *laßitudine*, ſuadente, finiendæ pugnæ conſilium cepiſſet *Ariſtomenes*. Ea *ſuperſtitio*, cujuſmodi fuerit; ex intima Græcarum religionum diſciplinâ,fuerit operæ pretium, paucis referri cognoſcíque: quò tantò magis in aperto,ſic quoque, ſit *Idololatriæ* vanitas, Oraculorúmq; perplexitas. Conſultus,ante complures jam annos,*Apollo Delphicus*,ſuper Meſſeniorum fatis, & exitu; reſponſum jecerat, inſtitutô ſuô, perquam obſcurum, & intricacatum: quódque detorqueri, quovis eventu

rerum,

Ruina Meſſeniorum.

rerum, posset in sensum, interpretantis ingenio flexilem, & accommodatum: *Donec τράγος amnem bibere Neden inciperet; incolumem, nec ultrà, staturam esse rem Messeniam.* Hîs ergo verbîs absterriti, cavere cœperant Messenii; ne quis τράγος, hoc est, *Hircus*, unquam fluenta Nedês attingeret. Id summâ curâ, consequentibus aliquot annîs, ne fieret, advigilabatur. Accidit autem, post hæc; ut *caprificus* arbor, (quam, à Græciæ populis aliis aliter nominari suetam, Messenii, per sermonis abusum, τράγον dicebant) adnata *Nedæ* fluminis extremæ ripæ, non in sublime, stirpium aliarum more, consurgeret; sed, salicum ritu, reclinis, in aquam prona vérgeret; extremísque tandem frondibus profluentem planè contingeret, ac libaret. Id *Théoclus*, Messeniorum augur, ac vates, utì, casu quodam præterambulans, deprehenderat, in Oraculi deflexit mentem: ac, quantùm in *Hircum* antehac, tantùm in *Caprificum* postea, valere TRAGI vocem, contendens; *Exisse jam Messeniæ fatorum urnam, & periisse gentem!* clamitabat: eò, quòd ex flumine *Caprificus* aquari, biberéq;, jam cœpisset. Quod porrò canebat, id timidissimo cuique persuaserat: & in eandem secum

Ruina Messeniorum.

cum conjecturam, etiam *Aristomenem*, virum, ut aliâs meminimus, id genus religionibus supervacuis ad insaniam usque deditum, attraxit. In quo toto tamen negotio Théoclus ingeniosiùs utique, prudentiúsque, facturus fuerat: Si, licèt futurorum nec gnarô, nec cogitante, Phœbô Delphicô, τράγον interpretatus esset *hircosum* illum Spartæ *pastorem*, ac *fœtentem* adulterum: *Messeniam* verò *mœchã*, tanquam lascivientem *capram*, ex *Nedæ* vadis aquantem; & per eam occasionem, ad stupra, de stupris autem, ad *Ejræ* capiendæ successum, progressam. Verùm, quidquid & istud fuerit, & illud: excutienda *superstitiosis* illis mens timida fuerat; & *Oraculi* malevolentia, cœptæ fortitudinis invictâ constantiâ, DIs Inferis etiam invitîs, eludenda. Nunc autem, ex pugnæ medio calore *Théoclus* quidem, responsi Delphici recordatione, turpiter effœminatus; Spartanis se concidendum præbuit. *Aristomenem* autem eò deduxit: ut, eruptione cum reliquiis suæ gentis factâ, fatis tandem indeclinabilibus cederet; eíque bello finem ut imponeret, auctor fuit ac persuasor: quippe virô, sicut alioqui maximæ virtutis atque consilii, sic, in hoc duntaxat, seipso plurimùm infe-

Ruina Messeniorum.

inferiori: quòd huic ſacrificulo, vatíque, nullam non in opinionem & credulitatem emancipatus eſſet. Nam & illud ei jam olim perſuaſerat idem, quem dixi, *Théoclus*; ut nocte quadam, clam oppidanîs omnibus, *Ejrâ* digreſſus, Meſſeniorum operta quædam in hydriæ vaſe Sacra, myſteriáque, deferret in Ithómen montem: ibíque, locô cumprimis abſtrusô devióque, defoderet: eâ mentis inductione, Theoclíq; promiſsís; utì cum *Arcanis* illis, *Ejræ* perituris, pariter & univerſa periret *Meſſenia:* cum ſubtractis autem, ac ſervatis, etiam ipſa ſubtraheretur excidio ſempiterno; certiſſiméq; novas in reſurgẽdi ſpes reſervaretur. Sed hæc priùs acciderant: *Ariſtomenisq;* reſiduam, rei Meſſenię, contra Spartanos ad extremum tuendæ, fiduciam, hôc ipsô, quàm plurimùm enervârant, ac fregerant. Is igitur, ubi mortẽ oppetîſſe *Théoclum*, vaticinii ſui dictîs in nullo retractatîs, videt (ceciderat enim Théoclus, medios in hoſtes immiſſo ſpõtè corpore): quotquot *Ejræ* tunc ſupererant, pugnis inhabiliores, eos in unum conducit: quid ſui ſit conſilii, quid Deorum voluntatis, exponit. *Actum eſſe de ſuprema Meſſeniorum re, fortunis, ſalute; niſi ſedes alibi novas,*

Ruina Meſſeniorum.

novas, antiquis omnibus desertîs, quærant. Id fieri, si, globô cuneòve factô, medios perrumpant hostes, posse. Quibus dictis cùm refragaretur nemo; receptîs in medium agmen fœminis ac liberîs, ad gentis plurimùm imminutæ seminarium, ac posteritatem proferēdam: densa per agmina Spartanorum penetrant: &, *Aristomene ductore*, Gorgô verò Manticlóque, postremos abeuntium ordines curantibus, *Ejrâ* se, simul omnes, ejiciunt. Tum, monte se festinatô demittentes; identidémq; relictas à se *Messeniæ* sedes, multo cum animorum motu, rorantibúsq; fletu genîs, respectantes: Arcadiam versùs universi simùl, iter intendunt. Inter ea mala, vox omnium erat una, detestantium *Ejræ* proditæ, captæq́;, caussas: pastorem, inquam, Spartanum, & mœcham Messeniam. Clamabántque; *Fatum unum, & Trojæ quondam, ac tunc Ejræ, fuisse. Pastorem fuisse Paridem: pastorem, & hunc Lacedæmonium. Helenam, raptu; Messeniam autem adulteram, spontaneô stuprô, suis gentilibus exitio fuisse. Pro quibus tandem meritîs, ex arbore peregrinâ pependisse Lacænam Helenam. Quidnam igitur esse reliquum; quàm, ut, parî pro delicto, pendeat etiam è caprifico sui fluminis hæc adultera Messenia?*

Tales

Ruina Messeniorum.

Tales inter queſtus, ibant *extorres* illi; donec Arcadiæ primos fines, ac Lycæum attigêre nemus. Ibi, *ſicut extrema calamitas amicos falſos indurat, & è contrario ſynceros emollit*; diſſimulantibus tantiſper aliîs, qui circùm erant, opem ferre, populîs: *Arcades* uni ſolíque, pulſis patria *Meſſeniis*, non in occurſum modò catervatim, ſed etiã in complexum ac commiſerationem, haud ſinè mutuis utrimque, largíſque, lacrymîs effunduntur. Ad hæc, & veſtes, frigore confectis, & alimenta vitæ, laſſitudine faméque debilitatis, affatim apportant, & obtrudunt. Quid hac liberalitate majus quis, aut tunc ab *Iſraëlitis* in contribules ſuos; aut nunc, in religionis ſuæ populares à *Chriſtianis*, exſpectaret? Arcadiam quidem, ab *Aſinorum* multitudine, qui ſarcinas ac pondera geſtarent, infamare ſe putavit Antiquitas. Ego verò, tunc *Arcadas* ſupra Græcos iviſſe cunctos laude, contenderim: ut, qui gentis Meſſeniæ commune malum, & onus, in ſua terga, *concordî* pietate, velut *Jumentum omnes unum*, ſuſceperint, ac levârint. Nec his, quæ dixi, benignitatis documentîs contenti: ſuarum etiam urbium *optimates* illis, & ut *ſolatia* calamitatis, & ut itinerum *duces*,

duces, ſubmisêre. mox, & in oppida receptos, & per hoſpitia diviſos, habuêre liberaliter; regionis etiam ſuæ, ſiquibus inter Arcadas habitare cordi foret, parte perhumaniter, in ſedem perpetuam, oblatâ. Verùm, *Meſſeniorum* plerique, niſi, qui circùm *Ejram* ignaviâ deſederant; aut, qui morbîs, ſeniô, rerúmq; penuriâ, longiorum itinerũ difficultatibus pares haud erant; cum Pyliis, ac Methonæis, cæteriſque Meſſeniaci Sinûs accolis, *Cyllênem* primò, portum Elidis, commigrârunt: &, actîs illic hibernis, anni proximè ſequentis primô vere, pars maxima, factîs velîs, in *Italiam* primùm, ad Rheginos; pòſt autem, in *Siciliam*, trajecerunt. ubi, Gorgô Manticlóq, ducibus, re bene geſtâ, Zanclen oppidum, expugnatum, à ſuæ gentis, & conditricis reginæ, vocabulô, *Meſsênen* appellârunt: quæ *Meſſana* nunc eſt. Reliquiæ verò Meſſeniorum cæteræ, per Peloponneſum partim eam, quæ ſociarum urbium ac populorum erat, diſperſæ: partim, quæ circùm Ejram ac fines ejus hæſerant, fugâ diſceſsúq; prohibitæ, vel metu vel ſocordiâ, vel ætatis denique valetudinísve debilitate; *Spartanorum* miſſæ ſub *jugum*, eorum, ex more priſco, *ſervitia-publica* red-

Ruina Meſſeniorum.

duntur: in *Helotárum*, quos vocabant, ordinem conditionémque reſcriptæ. Talem habuit rerum exitum, *bellum Meſſeniacum*; quod ordine ſeriéq; ſuâ fuit, ac dictum eſt, *Secundum*; eventu nihil minùs, quàm *Secundô:* nec *atrocitate* minùs, quàm annorum morâ *diuturnitatéq;*, luctuoſum. Cùm namque, poſt ſublatum è vivis *Ariſtodémum* regem, geri cœptum eſſet, ſub annum, à condito Mundo, ter milleſimum trecenteſimum ſeptuageſimum quintum; ægrè compoſitum tandem eſt ſub annum ter milleſimum, trecenteſimum, octogeſimum ſextum: *fine* quidem eô, *qui plerumq; bellorum, plus nimiò pertinacium, eſſe ſolet, penès infirmiorem partem: ut evaſtarentur agri; redigerentur in ſolitudinem urbes & oppida; cervicibúsq; ſuis jugum acciperet* Meſſeniorum recidiva *Libertas*. Hôc nempe, nec uberiore, quæſtu belligerant, *armatæ* quidem, ſed à *Superſtitionibus* immodicè pendentes, &, ob id ipſum, tandem impotentes, ac futiles, *Iræ*. Semper enim aversô Deô Verô, Deorum fictilium ad opes humana conſilia convertuntur. *In dextra namque militis, gladius; in manu verò Regis-Exercituum,* gladii *ſucceſſus, eſt*.

At nondum interim, etiam *Ariſtomenes*

omni

Ruina Meſſeniorum.

omnî depositâ bellandi cupiditate quiesce-
bat. Hic enim, tametsi victus, & exul; in La-
cedæmonios tamen æternô flagrabat odiô;
quod is terrîs omnibus, ac gentibus, ad quas
cum accedere contigisset, circumferebat. Et
suorum quidem *quingentîs* delectîs, omnium
animosissimîs; adjunctîsq; prçterea gentis Ar-
cadicæ *trecentîs* voluntariîs, & ad omnia bel-
li discrimina semet offerentibus: adoriri, sub
noctis principium, dum Spartiatarum maxi-
ma pars ad *Ejram* adhuc, opibus exhaurien-
dam, occuparetur, urbem *Lacedæmonem*, con-
stituit. Sed, more suo, partim ab extîs victi-
marum, quas, placandis DIs suis, conatui suo
præmiserat, exsternatus; quia minùs læta spō-
debant: partim autem, & ab eo, qui tunc Ar-
cadibus imperabat, si vel maximè duxisset
adversùs Spartam, proditus (dum is per in-
ternuntium, & epistolam, celeriter *Aristomenis*
omne consilium Lacedæmoniis aperit); cœ-
ptô destitit. non destitit autem & *animi de-
cretô*, quoad vita sibi superesset, *semper aliquid
incommodi maliq; Spartanis, vel inferendi, vel
procurandi*. Quâ proinde caussâ, Messenios
cæteros, qui transmarinas quærebant sedes,
prosequi consiliô, Gorgôq; filiô, duce profugis
Ss 2 datô,

Ruina Messeniorum.

datô, quàm *ſequi* comitatu viæ duceréve, maluit. aliquantôque temporis adhuc in Peloponneſo, fidiores inter populos, & hoſpites, non tam *latens*, quàm hoſtes eminus quoq terrens: ſororem primò ſuam, *Hagnágoram* Evergétidæ mariti morte nuptiis alteris patentem; adhæc autem, & *filias* ex ſe *duas*, natu majores, viris, Peloponneſiorum procerū nobiliſſimis, velut in altiſſima Pace, nuptum e locavit. Cùm inter hæc tamen, *Laconici* bel ſemper cogitationibus occupatus, priſcô su *ſuperſtitioſæ* mentis inſtitutô, denuò *Delpho* Apollinis conſulendi cauſsâ, ſe conferret: il lic inter ſacrum aliquantiſper & ſaxum, u ajunt, hærens, animo fluctuabat. Tanden autem, ex *Oráculi*, ſicut interpretabantur mente, *Damagéto Rhodio*, qui regnum tun *Jályſi* tenebat, unius, è tribus Rhodiorum u bibus antiquiſſimis; *filiam*, natu *minimam*, i conjugium petenti, tradidit. Eam auten *Rhodum*, unà cum genero, deducens ipſe, cc mitánſque, poſthæc in Lydiam, ad *Ardy* gentis regem, Sardibus agentem; & indè ta dem in Medos, ad *Phraortem* regem, Ecbát nis degentem, trajicere conſtituit: utriuſqu ſicut ego reor, tyrannorum illorum, in Spa tiat

tiatas concitandorum caufsâ. Quibus dum in curis eft: ad follicitudines, & annofam ætatem, etiam accedente tandem morbô; confectus ad extremum, & oppreffus, vivere defiit: non *ferrô*, ficut quidam *(eee)* memoriæ prodidit, hoftium Lacedæmoniorum; fed, quod Paufanias, temporum illorum geftis aliquantò propior, affirmat, *(fff)* eô, de quo dictum eft, morbô. qui tamen ipfe morbus, fi conjectare liberum fit, *animi* fortaffe, quàm *corporis*, major fuit: exedentibus, opinor, fortiffimi Ducis, *fed* tunc de belli gloria vetere dejecti, *cor*, nocturnîs æquè diurnifque follicitudinibus: & vindictæ, de Lacedæmoniis fumendæ, curîs. Demonftrare certè quidem hoc ipfum lethi genus ærumnofum, fatis eft vifum *Cor* illud ipfum *Ariftomenis*: quod, exenteratô poft mortem corpore, vifceribus extractum; deprehenfum eft, & ut *magnanimi* viri *Pilofum*; *(ggg)* &, ut *cogitationibus confecti*, fortaffe *Canitie* quoque confperfum. Sepulto, tumulus fuperimpofitus eft, *generi* pietate; fplendidus, ac *marmore* confpicuus. quod faxum, *fpectabilius* quoque reddiderant, *Ariftomenis filiæ*, Rhodiorum *reginæ*, crebræ, fuper buftum paternum, *relucentésq*, lacrymę:

Ruina Meffeniorum.

quæ profectò, Spartanorum quoque, super *Aristomenis* morte conceptam, *lætitiam*, affectûs in genitorem tam perseverantis, admiratione *diluissent*.

XVI. Cæterùm, jacebat quidem *Aristomenes*. nondum cum eo jacebat omnis bellandi, *Messeniorum* in pectoribus, *ardor*: qui (tanquam è busto suo *Phœnicem* ferunt redivivum, aut recentem alium, pullulare) sic ex ipsis eorum *excidiis*, adversùm Spartanos, *excisores* suos, valentiùs plerumque resurgebat. Suísmet è *Ruinis* gens inquieta res identidem novas, ac rebelliones, *exstruebat*. Id *Tertium* ordinè fuit, ac dictum est, Messeniacum *Bellum*: cujus tale fuit principium, & occasio. Spartanorum quidam, ad mortem usque, capitalísq; supplicii decretum, deliquerant. Ii, ruptîs & vinculîs, & legibus, ad *Tænarium* Neptuni templum, quod erat in extremo Laconici Sinûs maritimo promontorio, Salutis caussâ, confugerant: & in ara supplices considebant. Eos, nihilosecius, insuper habitîs supplicũ privilegiîs, ac loci priscâ religione, detractos aris, eductósque templô, necari, Lacedæmoniorum *Ephori* mandârant. Itaque necati sunt. verùm, utì temporum tunc illorum,

rum, hominúmq; , ſenſus erat;ob ſpretũ violatúmq; *Neptuni* numen, cujus in tutela *Supplices* illi fuerant, haud impunè. (⊙) Graviſſimô namque bellô ſtatim, ac multorum Græciæ populorum concurſu,vindicandi ſacrilegii cauſsâ, preſsi; quantumvis omnia, pro *Salute* jam, & non pro *gloria*, ſicut olim, facerent: non potuêre tamen urbis ſuæ vel vaſtitatem, Spartani, vel ſupremum excidium, effúgere. Quo proinde tempore, per calamitatis illius opportunitatem, ne Meſſenii quidem, Lacedæmoniorum inveteratiores hoſtes, ſibi defuêre: ſed, ii potiſſimùm, qui tantiſper, ab *Ejræ* captivitate vaſtationéque, ſervitutem,ut dictum eſt,*Helotarum* conditione nominéque,ſub Spartanis ſervierant;conjuratione factâ, *montem Ithómen*, gratam olim ſibi patriam,rurſus occupârunt: occupatúmque, veteris munitionis ſimulacrô quodam, & imitatione, caſtellum, & arcem, ſibi fecerunt. Eô Spartani compertô, *Meſſeniorum* hanc audaciam aliquouſque diſſimulandam ſibi rati; quoad è clade proximâ ſenſim ſeſe recolligerent: ruptæ *Servitutis*, diſtulêre veriùs,quàm cõdonaverunt,ultionem. Verùm, ubi tempus denique viſum eſt,ſuæ dignitatis in in-

Ruina Meſſeniorum.

in integrum reponendæ : sociorum omnibus contractîs auxiliîs , adversùs *Ithómæ* montis insessores, copias educunt : ac, destituentibus licèt eos Atheniensibus, qui primò tamen & ipsi Spartanos adjutum venerant; pertinaciâ nihilominus, ac diuturnitate circumsessionis, perpulerunt ad extremum *Ithomátas:* utì, se suáq; dedentes, certîs, & utcunque tolerabilibus, abeundi conditionibus, universâ, non modò *MESSENIA*, sed etiam *PELOPONNESO*, demigrarent. Ità jam denuò res illis, è *Bello tertio* minùs prosperô, reciderant ad incitas. Sed, iidem Messenii, ceu mortales heroës, Qui, *nihil licèt sperantes, nihil tamen interim desperandum sibi, proponerent*; domô procùl, rerum perditarum repererunt asylum, quod domì nuper amiserant. Athenienses enim, in odium, ut ego reor, invidiámq; Lacedæmoniorum, à quibus tunc abalienârant se; *Messenios*, æternos eorum hostes, non sub tutelam duntaxat, sed in municipii quoque jus, & coloniæ constituendæ facultatem, receperunt : dum eos in oppidum, portúmq; Corinthiaci Sinûs, *Naupactum*, rescribunt; ejectîs indè, propter obsequendi contumaciam, veteribus incolîs, *Locrensibus*, quibus

quibus cognomentum *Ozolis* erat: quorúmque limes agrorum occiduus, Aetoliæ ſtringebat oram. Hîc igitur, è longa fortunarum ſuarum jactatione, *Meſſenii*, tanquam poſt immodicam maris iram feſſæ naves, quietè reſpirabant: benéq; ſe, ſub Athenienſium alîs, habebant; in plurimam etiam ætatem ſeſe ſic habituri: *ſi mortalibus, ambitione turgidis, & ulterioris ſemper potentiæ cupidis, aliquid unquam poſſet eſſe ſatìs.* Non potuit exſaturare Meſſenios *Naupactæa*, cum tranquillitate, felicitas, & opulentia: ſed urebat eorum oculos, *Oeniadûm*, (*hhh*) qui populus Acarnánum erat, urbs, & ager, opulentior: cujus occupandi cauſſam ſe legitimam, probabilémque, confidebant habituros; quòd *Oeniadis*, jam olim, & tunc etiámnum, cum Athenienſibus, patronâ ſibi civitate, malè conveniret. Sed videlicet; *Nulli ſe faciliùs, quàm ſibimetipſi, purgat, excuſátque, dominandi libido. Superi tamen, ac ſucceſſus tandem, vanitatis eam condemnant.* Id, quod hôc locô *Meſſeniis* etiam uſuvénit. Hi namque, felicibus quidem conatûs ſui principiîs, ac progreſsibus, uti ſibi viſi: laceſſitos armîs *Oeniadas*, campîsq; patentibus obviàm ſibi factos, acie fundunt. Eos, qui cladi ſupererant,

 in op-

Ruina Meſſeniorum.

in oppidum ſuum rejiciunt; concluſos obſident, oppugnántq;, ſummîs opibus: donec urbe tandem, per deditionem, potirentur; & ipſi, priſtinis ejectîs in exilium incolîs, victores ſuccederent. Ibi degebant: *alienâ calamitate læti; ſuæ verò priſtinæ ſortis, quod inſolenti felicitati familiariſsimum eſt, obliti.* Verùm, *annua* fuit iſta Meſſeniorum, *nec diuturnior*, hilaritas. Hieme namque paullatim exactâ, gens Acarnánum univerſa, miſeratione tot ſuæ gentis *extorrium* adacta; correptîs armîs, unâ mente manúq; Martem in *Meſſenios*, Oeniadûm ſubſeſſores, movent. Concurritur acie, non in campis, utrimque, ſicut ſuperiore prælió, liberîs, atque patentibus; ſed pro portis ſtatim urbis Oeniadarum: paribus quidem & hinc, & illinc, animîs; ſed multitudine dimicantium, admodum impare: quippe, ſtantibus hinc quidem, ac fortiſſimè certantibus, Acarnanibus, eorúmq; *gente totâ*; parte verò diversâ, *gentis* Meſſeniorum *reliquiîs*. Quia tamen à tergo portas, ac mœnia ſua, tenebant *Meſſenii*, quò minùs, circumiri partibus omnibus, includíque, poſſent; æquali pugnæ ſucceſſu diſceſſum ab utriſque, cum abitu Solis ac diei, fuit. In urbem tunc igitur

Ruina Meſſeniorum.

tur, intrâque tuta mœnium, retrusi *Messenii*; posterâ luce, deincépsq; diu, senserunt obsessores *Acarnânas*, & *Oeniadas*; quos ipsi priùs, acriter obsessos, acriùs etiam & injustiùs, oppugnârant. Quibus etsi, commeatûs penuriam exprobrantibus, astutè superbéq; rerum necessariarum affluxum, abundantiámque, *Messenii* per mendacium jactarent: ad extremum tamen, hoc est, ante *mensem* obsidionis *octavum* penitùs evolutum, *FAME, lethi supremâ lineâ*, subacti sunt. Quam illi tamen ne fateri cogerentur inediam; superbâ dissimulatione nocturnum moliuntur, ex urbe, furtivúmque, discessum. Sed, odorantibus eorum abitum Acarnanibus, ut, qui castra mœnibus quaquaversum ferè circumfuderant; in ipso deprehensi fugæ conatu *Messenii*, subsistere coguntur: *pugnáq;*, medias inter tenebras, *commissâ*, profectionis libertatem, copiámque, sanguine suo, vulneribúsq;, redimere. Quo præliô, tametsi numerum hostium ingentem, jejunîs ipsi viribus, ac dexterîs, trucidâssent: non tamen, sinè *trecentis* suorum vicissim amissîs, ad effugium invenêre viam: ac, medias per Aetolorum terras, amicæ sibi gentis, evasêre demũ in *Naupactũ* suam;

Ruina Messeniorum.

ſuam; locum, & urbem, ab hoſtium incurſu tutiorem. Quanquam autem tunc incommodum illud, quod ex *Oeniadûm* urbis jacturâ *Meſſenii* ceperant, nullâ parte devolvere poſſent in *Spartanos*, quippe, procul tunc admodum abſentes; ſed in ſolos *Acarnânas*, & *Deum*, *ambitionis* illorum ac tyrannidis *ultorem:* in odio tamen Spartanorum, haud ſecus, ac ſi malorum omnium ab illis ſolis origo proficiſceretur, inflexibilî contumaciâ perennaverunt, ſic, ut crederes; *Siquo ſocialis belli præliive caſu*, cui totam intereſſe Peloponneſum Græciámque contingeret, *Meſſeniorum ac Spartiatarum effuſus cruor, unum in rivum confluxiſſet: alterum ab altero, tanquam legibus damnatum ſanguinis-coitum, refugientes, divortium eſſe facturos; ac, diverſum in alveum, ſeceſſuros.* Igitur & poſthæc, cùm bellô, quod *Peloponneſiacum* dictum eſt, frequentes in Achaiam, Laconiámque, cæteráſq; terras hoſtium, incurſiones facerent *Athenienſes:* iſtorum, & copiîs, & opimis plerumque prædîs, receptaculum *Meſſenii* præbuêre *Naupactum* ſuam; non Athenarum magis reverentiâ favoréq;, quàm exſecratione Lacedæmoniorum; ac Spartani nominis inſaturabilî faſtidiô. Cùm item,

M 2. Ruina Meſſeniorum.

item, ad *Sphactéria* (locum, in finibus Elidis, Messeniam versùs, à *mactatîs* illic Heraclidarum victimîs, sic appellatum) Athenienses nacti Spartiatas essent, internecioni perappositos: in ea cæde, carnificináque, sub duce *Comóne* stipendia facientes, præcipuam illis operam navantes, *Messeniorum* è Naupacto *funditores*, ad extinguendum Laconicum omne nomen, *nullum non lapidem moverunt*. Sed tamen; quæ steterat ab Atheniensibus aliquamdiu, Messeniísque, belli sors; in contrariam postea partem inclinata, vicissim Atticos Laconibus, ad *Aegos*, quod vocāt, *flumen*, (*iii*) Lysandrô Spartanorum duce, contrucidandos objecit. Quo prælio commisso; *majore* quidem Spartanorum imperatoris *felicitate*, *quàm virtute*: fractæ tamen res *Atticæ*, comminutæq; spes *Messeniorum*, sunt. Athenienses enim *belli* deinceps *Palmam*; inter omnes Græciæ populos â se præ cæteris diu possessam, concedere Lacedæmoniis adacti: non potuêre tantum postea, quantum antehac, in stratis aliorum fortunis sublevandîs; quippe, suísmet, ægrè tuendis, intenti, ne funditus interirent. *Messenii* verò, tantô rerum suarum fulcrô subsidióq; dejecti; cùm & Atticîs

Ruina Messeniorum.

ticîs carerent auxiliîs, & navalî præterea bellô conflictarentur à Spartanis : nauticô tandem præliô, succubuerunt. Universis autem sub unum idémque tempus, irretiti malis: ac victi mersi, profligatíque; quin &, *Naupactò* radicitus evulsi pulsíque : quotquot ipsorum his cladibus superstites esse potuêre, diversas petiêre terras, atque maria. Pars enim in Siciliam ; pars ad Rhegínos Italos, inter quos eorum aliquando majores, & cognati, consederant, sese receperunt. Plerique demum, Africanô trajectô marî, Libyam, ejúsque regionis indigenas, *Evesperitas* populos, exilió, præ cunctis aliis gentilibus suis, longinquô squalidóque, petierunt. Quibus, per *sabulosa* regionum illarum, *exustáque*, loca, ductor fuit, uti postea Romanis Uticensis *Cato*, sic tunc Messeniis *Comon*; is ipse, qui quondam suis, ad Sphacteria, *funditoribus*, utì dictũ superiùs est, auctor fuerat, & incitator, ad Lacedemonios tempestate *lapidum* obruendos. Ità nimirum *Némesis, inultum nihil relinquit*: sed, vel *in minimis*, vindictæ materiam inveniens; *Saxis*, ubi cætera fortè defuerint, saltem *arenas* rependit. Post multas nihilominus tempestates, & annos, velut exsaturata *Messeniorum* tot malîs,

lis, *Providentia*; rursus erigere cœpit, quos in longum projecerat, ac prostrârat. Incidit enim posthæc, *Leuctricum*, Thebanos inter ac Spartanos, *prælium*: in quo Lacedæmoniorum, plus nimiô paullatim è domitis Atheniensibus inflari cœpti, spiritus, quàm plurimùm contusi dejectíque; Messenii contrà, reducti recreatíq;, sunt. Idipsum autem (nequid suorum successuum eventuúmque, non somniis, aut præsagiis oraculísve, tribueret superstitiosa deliráq; gens) annô priùs integrô, secundùm quietem præsignificatum sibi, *Messenii* contendunt. Et potuit certè (nec inficias eo), Thebanorum perspectîs jam antè consiliîs, ac belli decretô, sicuti sagax est & acuti judicii, conjecturâ Sathanas assequi; præparatam Spartanis cladem, posteáq; consecuturum, è victoria Thebanâ, *Messenicarum* rerum secundiorem exitum, prædivinare. Sive tamen *Messeniorum* commenta fuerunt hæc, post victoriam demum *Leuctricam*, ritu *Poëtarum*, excogitata; sive verè, dolô nequitiáq; *Cacodæmonis*, immissa *Somnia*, quibus fides ejuscemodi prædictionibus, suáq; DIs *falsis*, tanquā *veridicis*, auctoritas constabiliretur: ista censenda sunt; *diabolum* potiùs, auctorem,

rem, quàm genium aliquem castum ac divinum, olentia: quippe, per Deorum fabulosa ministeria; pérque *fœminarum*, haud undequaq; pudicissimam, repræsentationem, & interventum, somniantibus objecta. *Primùm* enim, *Comon* is, de quo narratum superiùs est, *Messeniorum* ad Sphactéria, posteáq; per Africam, *ductor*; videre sibi secundùm quietem visus est, adhuc inter Libyas Evesperítas constitutus; Cum matre se, jam olim vivis exemptâ, sepultâq;, rem habere: matrémq; mox, ab incestu peracto, reviviscentē; in pedes, & munia vitæ solita, restitutam fuisse. *Mulierem* hanc, Vates, super eo Somnio consulti, *Messeniam* interpretabantur *regionem*; quæ, *Comónis* genitrix altrixq; terra, pro *Matre* Duci, patriam olim operâ suâ restituturo, fuisset. Deinde *Messanæ*, Siculorum urbe, toto marî, procul ab Evesperitis divisâ, *sacrificulorum* Herculeorum cuidam, oblata per somnium species *Herculis*; Mánticlum, Théocli filium, *Messenium*, in montem *Ithómen* invitavit, ut illic hospitaretur. *Sic enim, evoluto jam fatorum tristium penso; Jovem velle* juberéq;. *Somnio* talî postridie per *Sacerdotem* exposito; censuêre Conjectores; Sub *Ithómês-hospitio*, plus aliquid,

Ruina Messeniorum.

aliquid, quàm temporis brevis *diverſorium*, latére: ſinéq; controverſia, reditum in *Meſſeniam*, ejúſq; munitiſſimam quondam arcē, *Ithómen*, quæ reſtauranda foret, *Meſſeniis* portendi. Præterea, cùm inter hæc, *Epaminondæ* ductu, Thebani Spartiatas, ad Leuctra, Bœotiæ vicum, juxta Theſpias, ingentî præliô fudiſſent; à qua clade nunquam deinde ſatìs ſe Lacedæmonii reparare valuerunt, aut erigere: *Sathanas*, haud contentus, *idololatrarum* tunc oculos ludificari, Meſſeniorum Ducis *Ariſtomenis*, qui jam pridem apud inferos ſedebat manes, habitum ac ſpeciem aſſumendo; Spartanorúmq; phalangas hoſtiliter, more tempeſtatis, ac fulminis, disjiciendo: ſuper hæc etiam aliâ quadam verſutiâ, *Ritibus* ac cæremoniis *idololatricis*, circumponere venerationem, & auctoritatem apud Græciæ populos, inſtituit. Cùm enim, à prælio confeſtim, *Epaminondas*, ac cæterarum *gentium ſociarum* optimates, dimiſsîs in diverſiſſima terrarum mariúmq; loca, nuntiîs ac legatîs; *Meſſenios*, ubicunque gentium exularent, *Ariſtomenis* in gratiam, memoriámq;, revocarent, ac reducerent in patriam; *utpote, quibus nihil jam magnopere nocere poſſent veteres hoſtes, Lacones, tanquā*

Tt *bellua*,

Ruina Meſſeniorum.

belluæ, nuper dentibus & unguibus exarmatæ: paullò pòst in magna versari dubitatione cœpit *Epaminondas*. Confluentibus enim undiq; terrarum, in quas dispersi se diffuderant, exulibus illîs *Messeniîs*; inprimis autem, ex Italia, Sicilia, Libyáque: quísnam in posterum locus caperet, aut tam *amplus* tantam *multitudinem*, prole quàm plurimùm amplificatam? aut tam *munitus* & præruptus; qui Laconiæ totius *inimicos* insultus *arceret*? Andániam enim, Oechaliámque, prisca regionis suæ propugnacula; tum fortassis, *Ejram* quoque, tanquam infortunata sibi loca, refugiebant ipsi quoque, qui tenuerant ea, *Messenii*. Fluctuanti proinde, varias inter curas, *Thebano Duci*, Genius *Acheruntícus* succurrit; is, inquam, ipse, qui viderat quondam, ac præsens adfuerat, quâ nocte, quóq; noctis tempore, dux *Aristomenes*, de consilio conjectoris ac vatis Théocli, *Messeniorum* operta *mysteria* detulit in *Ithómen* montem, ac defódit. Elapsum interea spatium annorum ingens erat. testis arbitérque, qui defossioni sacrorum adstitisset, nemo supererat; multóq; minùs *Aristomenes* ipse. Quis ergò propriè locus, aut quænam terræ portio, montis tam vasti, tam *in-*

gens

gens secretum celaret,& contineret;ignorabatur à mortalibus universis. Non ignorabatur, à mille reconditorum conscio custodéque *diabolo*. Scelestus hic igitur, primùm *Epaminondæ* se, dormienti, sistit; os habitúmq; referens, *Senis* cujuspiam. Serpebat verò suspicio, *Caucónis* hanc Umbram senilem, magi vatísque, fuisse; cujus sub initia *Ruinæ Messeniacæ* nos meminimus. Is ergò cum infulis, & apparatu sacrificalî cæterô, tanquam ante vigilantis & sentiētis oculos adstans, Ducem hortabatur; *ne dubitaret ullò modò, Messenios in sedes suas reponere. Propitiis, si cogitata perficeret, Dis, & ipsum, & Messenios, usuros: & quidem, Polluce quoque Castoréq;. qui, tametsi læsi quondam ab illis* (de qua re mox infrà trademus) *nunc denique tamen, irâ depositâ, cum Messeniis, eorúmque Fatîs, in gratiam rediissent.* Hæc, cùm *Epaminondæ* quiescenti fatus esset, diffictus ille *Senex*;ad alium mox alterius gentis *ducem*, iisdem tunc in castris agentem, veterator transitum facit. Is *dux Argivorum* erat, *Epiteles* nomine: quem & ipsum sua miserat urbs, non ad pugnam modò contra Lacedæmonios ciendam; sed inprîmis, ad *Messenios*, veteres Argivorum socios, in majorum suo-

rum poſſeſſiones reducendos. *Dormiebat* autẽ & hic.ad quem cùm eodem noctis articulô,quo locutus *Epaminondæ* fuerat , eodémq; prorſus habitu, veniſſet ater ille Genius: éadẽ primùm,quę dixerat *Epaminõdæ*,dixit & *Epiteli*. Quibus deinde,quod Thebano Duci narrare ſuggereréq; prætermiſerat, ſubjecit: *Noct pulsâ, cum prima luce ſeſe ſtrato corriperet: inqu montem Ithômen, cum ſarculis, ac ligonibus, feſti naret. Inventurum illic, unô quidem locô ſurgen tem Smilacem plantam* (kkk); *alterô verò myrtum* (Veneri ſacram arbuſculam) *è regi ne Smilacis ſurgentem. Cùm primùm igitur in h incidiſſet; ſtatim humum, quæ media germinum lorum extenderetur, fodiendo verteret: & ANV indè quampiam eriperet. Anum autem ejuſmo quæ ſupremam exſpectaret opem; æreóq; decumbe in Thalamo, mortiq; proxima, vix ultimum adh vitæ retineret anhelitum. Eam igitur exime fatis; ac Salute donaret.* Hæc effatus ille, ſ *Caucônis* imagine, *genius*, evanuit. At *Epit* dux, expergefactus, primâ, ſicut imperat ſibi fuerat, luce, pergens in montem *Ithôm* egerere terram incipit: exſpectantibúſque ſ mùl cum illo, cunctìs, qui fodientem adju bant; *Ecquis thalamus, aut quænam Anus eſſe*

la

Ruina Meſſeniorum.

la,quæ ſe , ſupremum trahens ſpiritum , oblatura ſcrutantibus foret ? in *hydriam* tandem *æream Epiteles* incidit , ſolerter ex omni parte clauſam,& *opertam.* Eam , cùm plus non inveniret , ulteriore foſſionis labore prætermiſsô, *dux* ad *Epaminondam* Ducem continuò defert: *ſomnióque* , cujus ipſi pars,cum Epaminondæ ſomnio per omnia conſentiens,obveniſſet, enarratô; poſt vota nuncupata, precéſque conceptas,& victimam cæſam,multîs circumſtantibus, *urnam* demum aperit : exſpectánſque,quo pacto fieri poſſet,ut in vaſe tam anguſtô modicóque, *mulier anus*, quantumvis *brevicula*, jaceret ; ac tamdiu , nullius aëris intromiſſi reciprocô meatu refocillata, traheret animam ? aliud indè nihil , quàm *plumbum album*, (*lll*) in tenuiſſimam redactum bracteam, ac librorum in morem *convolutum*,extraxit. In eo volumine, *Magnarum* erant,quas ab origine ferè gentis *Meſſenii* colebant, *Dearum* ritus, ac cæremoniæ ſacrificiorum deſcriptæ. Videlicet, hæc ipſa, quæ defoderat olim *Ariſtomenes*,erant *Operta*,ſicut ſuprà diximus, *Arcana:* Sathanæ nunc verſutiâ, ſuîs è latebris , tanquam annoſa vulpes, protracta,*Stygii*,ſicut dixi,*Venatoris* operâ:quò

Ruina Meſſeniorum.

ſua *Somniorum* quorumlibet vanis obſervationibus infida fides, fucatúsq; veri color, conſtaret; falſitati ſuperinductus. Quis enim non, vel è ſolo nocturnarum imaginum illarum argumentô, materiâve, perſpectum haberet, ac veluti manûs attactu conſtrictum, *Cacodæmonis* ingenium: ut, cujus commẽtum, ac fabula, ferè ſemper aliquid eſſet *mulieroſum*, & *immundum: aut victa videlicet ANVS, aut inceſtu coinquinata MATER?* Hîs igitur talibus inductus *Epaminondas* deliriîs; quod, humanæ rationis lumine colluſtratus, æquè feliciter, ac verò rectiùs, nihilominus feciſſet: in *Meſſeniam* ſuam veteres indigenas, eorúmque poſteritatem, reduxit: urbem, regionis totius caput, ac ſedem, conſtituit; eíque nomen, à prima gentis illius *regina*, MESSENEM indidit. *Ithômes* item arcem ac mœnia, contra Lacedæmoniorum incurſus, inſtauranda curavit. Quarum deinceps urbium ad exemplum, alia quoque *Meſſeniæ* regionis oppida, veterem in ſitum, aut nitorem, reponi cœpta; proceſſu temporum, ipsâ ſui novitate, priſcã terræ faciem reduxerunt. Hęc autem omnia, præſertim verò *Meſſenês* urbis exſtructio, non ſinè Numinum Græcorum invocationibus, ac ſu-

ac ſuperſtitionis antiquæ ſacrificiîs, peragebantur: citatîs, ad preces illas, ac Victimas, *ut volentes eſſent ac propitii*, ſuîs à populis & urbibus, DIs ac Deabus propriîs. Implorabant itaque dementes; Jovem Nemeæum; Jovem Ithomátam; Junonem Argivam; Liberum Patrem; & Apollinem Iſménium: Caſtorem item, ac Pollucem, ac *Magnas*, quas vocabant, *Deas*; Cererem, Perséphonem, ac Cybellen. Ante cæteros autem, Indigetes ſuos *Meſſenii*; reginam *Meßénem*, Polycáonis uxorem; Caucónem magum, ac vatem Eúrytum, Apháreum, Creſphontem, Aépytum: ac, Ducem gentis, *Ariſtomenem*, in vota vocabant. Fortunatíq; ſibi videbantur *cæci mortales* illi; quibus, ex ipſis patriæ ſuæ collapſæ ruderibus, ac ſterquiliniis, tot, quót ipſi ſibi *concepiſſent*, nova Numina, tanquam è fimo *ſcarabæorum examina*, progignerentur. Reverſi porrò priſtinas in ſedes, ac Peloponneſum, *Meſſenii* ſunt, poſtquam *annos* propemodum *trecentos* egiſſent extorres; utì ſuperiùs etiã attigimus: hoc eſt, poſt annum, ab Ejra captâ vaſtatâque, *ducenteſimum octogeſimum ſeptimum* evolutum; *Olympiadis* (ut Pauſanias ſentit) centeſimæ ſecundæ tertiô: Præturam Athenis gerẽte Dyſ-

Ruina Meſſeniorum.

te Dyſcinétô (*mmm*): poſt mundum conditum, annô, ſuprà ter milleſimũ, ſexcenteſimũ, octogeſimô quartô: priùs, quàm Orbi Chriſti natalis illuceſceret, *Trecenteſimô ſexageſimô nonô.* Sed, ut *populorum quorundam, æquè, ſicut Cœlitum & Inferorum, Inimicitias agnoſcamus æternas, & intractabiles:* ità, quanquam, in ſua repoſiti, quieverint aliquantiſper ab armis *Meſſenii*; quietis tamen ſtabilitatem, per *Lacedæmoniorum* malè-domitam *inſolentiam*, non habuerunt. Ab his enim, haud multò poſt Thebanorum è Peloponneſo diſceſſum, metu nimirum hoſtium exſolutîs, denuò laceſſi cœpti ſunt, incurſionibus oppidorum, & arcium; agrorúmq; vaſtatione. Quibus hi tamen, Argivorum & Arcadum fidiſſimâ ſocietate ſuppetiiſque fulti, magnis animîs, ac proſpero plerumq; ſucceſſu, reſtitêre. Manſit interim in *Spartanorum* animis, tanquam dolosô ſepultus cinere malè-ſopitus ignis, immortalis quædam, ſempiternáque, malevolentia; quam non tempora, nõ temporum mutationes ac viciſſitudines, neque Græciæ totius utilitatis reſpectus ac ratio, nec ulla saniorum conſilia, reſtinguere potuerunt: quò minùs *bellum* hoc Meſſeniacum, ordine *Tertium,*

tium, vitiô quoque Lacedæmoniorum, procursu suô fieret *Infinitum.* Ejúsq; malignitatis *Spartiatæ* contestatum satìs, apertissimúmque, dedêre specimen: quo tempore, bellîs fessâ civilibus universâ Gręciâ, quò valentiùs deinceps, ex ipsa populorum omnium concordiâ, retundere vim externam, barbaricámque, possent; in fœdus ac societatem unanimem omnes ubiq; Græci coituros se, pronuntiârunt: ne *Corinthiîs* quidem id abnuẽtibus; qui tamen à mente Lacedęmoniorum, nec momentô quidem, ad id usque temporis, unquam se segregârant. Tunc autem Spartani, Laconésq; cæteri, quò minùs in *fœdus* illud *Oecumenicum* nomina darent, omnes unâ mente pertinaciter abnuêre: caussam opponentes; *Quòd in partem Societatis armorum ac Pacis, Græci, fœderum compositores, etiam Messenios adscripsissent.* Idque sic, ut dixerant, obfirmârunt: lætioribus (proh nefas!) animîs, *totius Peloponnesi Græciæq́; Ruinam*; quàm *Messenicæ gentis*, utcunq; *resurgens caput*, ac fortunas, accepturi. Quapropter, publicæ conjunctionis exsortes Lacedæmonii, *sibi solis & mœrebant*, *& ovabant.* Quod, quid erat aliud; quàm, *indole Timonicâ*, quantum in ipsis

Tt 5 fuit,

Ruina Messeniorum.

fuit, *cum populis omnibus Bellum; ſecum unis autem, agitare velle Pacem?*

XVII. Conjunxit denique tamen, noviſſimîs hiſce, quibus hæc ſcribuntur, temporibus, utriuſque gentis illius, quantulaſcunque reliquias, ſi non *animus*, at *calamitatum* commune *jugum : quippe, geminorum boum* inſtar, quos, unum junctos ad aratrum, ſtimulô fodit ſubſecutor agricola, *Turcicam* ſub *tyrannidem* pariter compactas. In his *Meſſeniorum*, quas dixi, *reliquiis*, eſt hodie *Methóne*, maritima *Meſſeniaci Sinûs* urbs: quam ante trimeſtre ferè, priuſquàm hæc ipſa componeremus, *annô* reparatæ Salutis *milleſimò, ſexcenteſimo, quinquageſimo nono*, claſſis *Adriaticæ*, felix alioqui, curſus, â mari, diebus & inſultibus aliquot adgreſſus, conatúsq; , ſuperſtites illic Chriſtianos, *Mahometanîs* eruere *Lapidicinîs*; ſinè ſucceſſu tentavit: nondum, ut reor, ad ſublevandos incolas illius, ad maturitatem perductâ Numinis miſericordiâ. Quod equidem dolemus interim; &, quoad rerum ille Peloponneſi durabit ſtatus, ſchiſmate religionum turbatus, jurè dolebimus: cùm profectò, *ſic in divinis affectæ, leproſæq; , gentes, tantùm illic à Cælo Salutéq; remotæ ſint futuræ; quantùm*

tùm hìc ab Ecclesiâ recedunt, ac Româ. Sed *Messenii* mihi videntur (nequid dissimulem) ab omnì ferè semper ævô, quiddam in Sacrorum cultu, vel per *immoderantiam* peccâsse, vel per *defectum.* quorum profectò neutrum, non *divinis* tantùm in rebus, sed nec in *humanis* quidem, conveniens est. *MEDIVM* enim, *beati tenent.* Et *Immòdici* quidem *religionum*, fuêre *Messenii:* dum, jam tum ab origine sui nominis, ac Regni, Deorum Dearúmque *multitudinem*, per *Caucònem* Atticum & alios quosdam illatam, ac mox Reginæ *Messénes*, ejúsque mariti, *Polycáonis* Regis, operâ promotam; posteritati suorum universæ consecrârunt. Dum item, hîs non contenti, quos in omnia passim fana dispergerent, fictîs Divîs; *Semideos* insuper, ac *Semideas*, Heroas & Heroïdas, unóque verbo, suómet è corpore stirpéq; progenitos, utriusq; sexûs *Indigetes:* ut quisque talium aliquid in *Messenia* præclari gessisset, aut excogitâsset; *Immortalitati* statim, arísq;, transscribebant. id, quod nos in superioribus hujus *Ruinæ* paginis adnotare, perstringeréque, non prætermittebamus. Dum præterea toties ad *Sathanicum* illud Delphorum *oraculum*; ad *Lebadéam* item, Jovémque *Tropho-*

Trophonium, & ad cætera ventoſorum Græciæ Numinum ſpiracula, conſulendi gratiâ, proficiſcuntur. dum, eorum ex reſponſis, & timent, & terrent: dum perplexa pro claris, ac planis; clara contrà planáque, pro perplexis & intricatis, habent. Dum inſuper, ad exſecranda *Cacodæmonum* imperia, Virgines inſontes aris, hoc eſt, morti, deſtinant: filias interficiunt, & interfectarum uteros ferrô ſcrutantur. dum *tripodum* integras *centurias* furtivè dedicant; materiâ viles, opinionis verò deliriô viliores. Dum item *clypeos* humanitus amittunt; & divinitus reperiunt: eóſque, nunc fixos, nunc refixos, in belli vel *lætum* trahunt, vel *lævum*, omen. Dum *corniculas* ferreas effodiunt (*nnn*); *Hydrias* contrà, fuſas ære, libróſque ſtanneos, infodiunt. dum alia denique ſexcenta faciunt, gerunt, ſtatuunt, puerilibus pueriliora; ſed quibus tamen ingentia ſæpe flagitia, vel miſcebantur, vel ſuccedebant, pro *Sathanæ* votô. Quæ pléraque, cùm, ſuô quæque locô, ſatis jam ſupérq; confixerimus, indignante pro meritis ſtylô: nunc, *generatim* damnâſſe, ſatis habeamus. Hæc ergo peccavêre *Meſſenii*, per *Religionum*, ut diximus, immodicam copiam, & *exceſſum*.

E di-

Ruina Meſſeniorum.

E diverſa verò parte, nec in *neglectu* quidem earum, penitùs ſe præſtiterunt inculpatos. Cujus exemplum, de multis, hoc unum, quod referam, nobis, ad hujus *Ruinæ* calcem ac metam properantibus, ſufficere poteſt, ac debet. Id autẽ eſt tale. Priùs, quàm ad *Stenyclèrum*, oppidum illud, de quo dictum eſt, inter *Laconas Meſſeniòsq;* prẹlium committeretur: Meſſenii duo, *Panormus* alter, alter autem *Gonippus*, Andanienſes, &, ob hoc, ejuſdem cum *Ariſtomene* Duce natalis ſoli; contra Spartanos hoſtilia moverunt. Hi duo, formâ florentes, ac viribus, *adoleſcentes*; etſi non ſanguinis ejuſdem, videri tamen, exteris præſertim, *germani* poterant, & propter oris ac floris haud magnam diſparitatem, &, quòd, cultu præterea ſimillimi, ſimùl à teneris eſſe ſemper, & iiſdem in ſtudiis, ac ſolitis epheborum exercitamentis, exigere virentes annos amabant. Armorum inprimis, ac prædarum, de Laconibus agendarum, quotidianus illis, per excurſionum opportunitatem, uſus erat. Inciderant porrò Spartanis, qui ſub tentoriis adversùm *Meſſenios* agebant, *Caſtoris* ac *Pollucis*, Tyndaridarum *Gemellorum*, anniverſaria celebranda Sacra: quæ nequaquam illis, utpote,

pote,Gemellorum gentilibus civibúſque, ne per armorum quidem tempus, intermittenda videbantur. Sacrificabant igitur; epulas, & choros inibant; ac diem, inter feſta gaudia, mediîs licèt in caſtris, Lacones exigebant; densîs etiam poculîs hilaritatem, ut ſibi fingebant, *ſanctam* accendentes. Haud fefellêre *Meſſenios*, quos diximus, adoleſcentulos, *Panormum* ac *Gonippum*, (quippe, tumultuantes inter feſta gaudia, vociferantésq;) Spartiatæ. Confeſtim igitur initô, malè ſobrios decipiẽdi, conſiliô, Meſſenii juvenes illi, mortales habitus & ora, quoad poſſunt, exuunt; Immortalitatem autem ac Numen induunt. Equîs inſuper uterq; nitidiſſimîs, & qui cœleſti creati ſemine videri poſſent, imponentes ſe: capite quoque, *Dioſcurorum* (†) *fratrum* in morem contectô; tunicîs albis, & chlamydibus oſtrô tinctis, exornati, cum haſtis, manu vibratîs, & alacrî, divinúmq; quidpiam præ ſe ferente, vultu, viciniæ caſtrorum hoſtilium adequitant. Eos ut primùm, tam compoſitè ſpecioséque, ſe vorsùm, venientes, conſpexêre Lacedæmonii: nimirùm, hinc quidem mentibus, ab recenti *Cáſtorum* religione memoriáque, ſuperſtitioni promptiſſimîs; illinc autem,

& lar,

& largiore *Baccho*, *credulitatis omnis efficaci promotore*, madefactîs: ficut, ad menfas fecundas, ac finem, *prandio* perductô (*ooo*), poculorum certamen novum, varióʃq; luſus, inierant; relictîs ilicet omnibus, *Gemellorum*, ut putabant, *Deorum* in occurſum, inermes effunduntur, ac diſcincti. Gaudióq; lacrymantibus oculîs, ac poſitis humi genibus, eos adorantes; Cœleſtium ad ſe deſcenſum, ac dignationem, ſibi gratulantur: DIs vota nuncupant, ac preces concipiunt: in omne denique venerationis effuſi genus, adſtrati ſolo jacent. Ibi tum igitur *Gonippus* & *Panormus*, in medium Spartiatarum *adorantium* agmen recepti; quod unicum quæſierant, expediunt, effectúmq; dant. DEOS enim puncto temporis exuti; *Meſſenios* autem, & internecinos *hoſtes*, induti: Spartiatarum in corpora capitáque, ferocium equorum ungulîs, inſiliunt: eorúmque, partim ſtratorum adhuc, partim ſurgere connitentium, ſed armîs deſtitutorum, ora corporáq; lanceis adverſîs fodiunt. Expoſtulantes autem, ac Deorum hominúmque fidem, quæ nuſquam erat, implorantes, Lacedæmonios diſſipant; ac disjectos æquè manentéſque, ſauciant, trucidant; ingentíque macta-

Ruina Meſſeniorum.

mactatos ſtrage, relinquunt in ſanguine, miſtô vinô, natantes. Ipſi verò, quaſi re præclarè geſtâ, tumentes, ac gloriabundi, revertuntur *Andániam*.

Id ab his Meſſeniis, *PER INIVRIAM deſpectúmq; Sacrificiorum*, quæ *Dioſcúris* fiebant, *actum eſſe*, Pauſanias exclamat; ídque, *perſuaſioni mentis ſuæ*, quâ *Cáſtoras* verè *Deos* credebat, haud inconvenienter. Addítque, *perſuaſum illius tunc ætatis hominibus fuiſſe*; *Quæcunque poſt id temporis in Meſſenios incubuerint bell clades, & calamitates; eas, irâ Cáſtorum offenſoſorum, & culpâ Panormi, Gonippique, proveniſſe* Crediderim Ego quoq; (qui *Chriſtianus* ſum tamen; & non, uti Pauſanias, multorum Numinum cultor): crediderim, inquam, non *Gemellos* quidem *Deos*, qui DI ſanè non erant ſed *Divinitatem* tamen, *iratam* ex eo tempore Meſſeniis *cunctis* fuiſſe; quo tempore tam inſolenter in Sacra ſe, contumelioséque Meſſenii *duo* Juvenes ingeſsêre. *Credebant* enim hi profectò, ſicut omnis cætera Peloponneſus, & Græcia; *Caſtorem* ac *Pollucem*, inter *Sidera* relatos, *Deorum*, præſertim *Indigetum* auxiſſe multitudinem: &, à navigantibus, eorum *Numina* ſalubriter implorari. nam id, ſ

non

non adducerentur, ut ſibi perſuaderent: eò, quòd, illos eſſe Deos, nequaquam adhuc *vidiſſent*; quídnam erat cauſſæ, cur vel *Jovem* exiſtimarent eſſe *Deum*; vel Apollinem; aut Martem, Mercurium, Neptunum: &ità, parî modô, cæteros univerſos? Quorum ſanè neminem unum plus, aut ſæpius, quàm *Gemellos*, oculis ſuis uſurpârant: ut proinde credulitatis plures majoréſque cauſſas, quàm in *Geminis* illis *Ledæ filiis*, haberent. Suſtuliſſent igitur è medio, cunctam ex æquo *Divinitatem*, ſeu *vera* foret illa, ſeu *falſa*: quoniam neque DEUM *verum* quiſquam *vidit* unquam *mortalis oculus* (ppp): & *Divinitas, quantò certior nudiórque, tantò minùs conſpectibus* eſt *corporeis* obvia. Sive perſuaſerint ergò Panormus & Gonippus ſibi; Deos eſſe, *Caſtoras*: ſive Deum omnino neminem pluris, quàm *Somnium*, ac *figmentum*, æſtimârint; conſtricti tenentur, ac Rei. TAM enim eſt IMPIUS, qui NULLUM; quàm, quiſquis OMNEM, cenſet eſſe DEUM. Opinantes igitur, *nullam* eſſe *Divinitatem*, ſemetipſos ATHEOS profitebantur. exiſtimantes autem, in GEMELLIS Ledæis eam eſſe; nec tamen pluris fungô, vel alliîs, æſtimandam: IMPIOS ac Deteſtabiles

Ruina Meſſeniorum.

ſeſe, vitiô ſuímet *Erroris*, conſtituebant. *DEVS enim* (quod divinus Paulus ait) impunè *NON IRRIDETVR.* (*qqq*) At verò Deus, etiã *Verus, irridetur*, in DIs, quantumvis *falsîs:* quotieſcunq;, profanæ mentis *impietate* laſciviente, dum nec hi, nec illi, nec alius quiſquam alibi, Divinum habere quidquam exiſtimatur; *omnis*, ex æquo, *Divinitas* eradicatur è natura rerum: nec jam de Caſtore Pollucéque (qui DI ſanè non *erant*, & DI tamen *credebantur*) ſed, de contemptu *Sacris* illatô, de cuncta, cujuſcunq; demum Numinis, exauctorandâ majeſtate, decernitur, ac fixum habetur. *Sacrificabat* Peloponneſus, & Græcia, *Caſtoribus. Malè!* ſinè dubio; ſi me, ſi Chriſtianos, ſi cæteros, de Divinitate rectè ſentiẽtes, interrogâſſent. Errabant enim, ac delirabant; nomen *Incommunicabile Dei*, filiis *adulteræ* Ledæ tribuendo: Caſtoribus, inquam, Tartari jam olim, & infelicis Acheruntis, incolis. E contrario verò, *non ſacrificabat* alius quiſpiam: immò, contemnebat, diſturbabat, conculcabat, tam *ſacra*, quàm *ſacrificantes*; ut hi, de quibus loquor, duo *Meſſenii:* cùm interim, ſacrificandum eſſe DIs illis, in animum inducerent. Iterum igitur, *non malè tantùm*, ſed *pejùs*

Ruina Meſſeniorum.

pejùs etiam, ac majore cum ſacrilegio, res agebatur. Nam, & illi *priores*, exuere ſuum debebant, de Divinitate futili, delirium: & iſti *poſteriores*, agere contrà, quàm animô conceptum haberent, niſi depoſitô priùs errore, non debebant. (*rrr*) Quoties autem adversùs id, quod mente cõbibiſſent, imbibitúmq; retinebant, ſtante ſententiâ Judicii veteris, agerent; delinquebant: *Quoniam*, Paulo teſte, Gentium Doctore, *quidquid nõ eſt ex fide*, (ſeu, quod idem eſt hôc loco, quidquid eſt contra *Conſcientiæ* prudens, pro rerum præſenti conditione, conſilium, ac decretum) *peccatum eſt* (*sss*). & id, etiam in homine, DIs, ac Deorum cæremoniis, addictô. Quapropter, demus ſanè, (quod omnino dandum eſt) ut perſuaſerint *Idololatræ* ſibi; *Plures eſſe Deos, pro multitudine, diverſitatéq;, rerum humanarum, qui mortalibus premia, vel ſupplicia, pro meritis, decernerent*: & in hoc ipſo tamen aberrârint (ut aberrârunt, ſinè controverſia) pereruditè tamẽ, &, utì *Theologum* decebat, ſententiæ ſuæ planâ, brevî, Scholaſticâque cenſurâ, reſpondet *Leßius* (*ttt*), quod præſentem ad rem faciat. Cujus proinde dicta, nemo refugerit, ad verbum *propemodum*, ac ſyllabam, adnumerari:

Ruina Meſſeniorum.

rari : dum ait, *Perſuaſionem quidem* Idololatrarum, *in PARTICVLARI* ſinè dubio *fuiſſe falſam;quà nempe ſibi fingebant, hos, vel illos, fuiſſe Numina,curaréq; res humanas : non tamen fuiſſe falſam* GENERATIM, *quatenus ſentiebant, ALIQVOD ESSE NVMEN;cui res humanæ ſint curæ, quódque bene,vel ſequius factorum, exigat rationem. Vnde, quando, vel metu Numinis offendendi, vel affectu, placendi DIs, abſtinebant à malo, vel boni quidpiam præſtabant : impulſos eos fuiſſe, non vi Perſuaſionis, quà fallebatur illa de TALI Numine ; ſed, quà verum dictabat, de Divinitate Numinéve, generatim. Solùm enim* (inquit ulteriùs) *errabant,in RE SVBIECTA; tribuentes rationem Numinis, ac Providentiæ, rebus, aut perſonis illis, quibus quàm minimùm, ac penitùs non, oportebat: & eam in illis venerantes. Non tollebant igitur* (ait porrò) *rationem ipſam FORMALEM Numinis; ſed, eam ſtatuebant.*

Hæc igitur, ſuper hac re, *Leonardi Leſſii*, quam adduxi, mens eſt. Tales ergo ſaltem ſi ſe prẹſtitiſſent *Andanienſes* illi, quos produximus, *adoleſcentes*; ac nō potiùs, *omnis*, ut apparet, *Divinitatis* contemptores : nunquam illi tam inſidiosè, vafréque, crudelitérq; , vel Numen *Gemellorum*, vel eorum *Sacra*, cæremoniás-

moniásque, sub cultoribus suis, tractâssent. Digni proinde, quibus, ubi *falsi* DI seipsos ulcisci non possent, *Divinitas* tamen *Vera*, *generatim* spreta, quomodolibet indignaretur. Universim denique, quod suprà dixi, *Messenii* merebantur omnes, qui plecterentur: utpote, quibus, pro varietate rerum ac temporum, aut *nullus* esset, aut *immodicus*, DEUS: & in omni sylvæ sonantis folio, pavor, ac *Juppiter*, & innumeri *Tonantes*.

O, ter igitur, ac quater, &, quoties non est numerare, sanctam, ac felicem te, beatámq;, *Christiana*, tot jam Sæculorum, *Religio!* quæ, tui Solis exortu, cunctas *Idolomaniæ* tenebras, ac Vespertiliones, sepelîsti! Tu, secus, ac Spartanos, & Messenios, suę docuerant leges, & opiniones, mortalitatem instituis, in *unius*, ejusque *verissimi* DEI, cultu: *Dearúmq;*, ne nomen quidem, inter Sacra recipis. Tu, fúgere vanas quasdam animi, de *Superis*, persuasiones jubes. tu, proscribi divinationes, auguria, sortilegia, captationes ominum, ac deliria Somniorum, præcipis. Tu, consuli *Dæmonum* Oracula; tu, mortuorum è spectris, exquiri futuros rerum eventus; tu, pecudum cæsarum è fibris, & extis, erui bellorum Pa-

Ruina Messeniorum.

cíſque ſucceſſus, vetas. Tu, victimas hoſtiáſque fieri, pro piaculis hominum, homines; in deteſtandis habes. Tu, DEUM timeri, vis; at ſobriô temperatóque metu, *Nequid plus*. à *Signis* autem *cœleſtibus*; *(u n u)* à Solis ac Lunæ circulis; à pallore ruboréve Siderum; à concurſu divortióq; ſtellarum, earúmque, varias in formas ſe componente, ſitu, *pueriliter* trepidari, caves. Tu tonitrus, æquè *lævos* ac *dextros*, in nugis habes, & puerorum terriculis: tu volucrum, oſcinúmque, tripudia ſoliſtima, paſtiones, ac jejunia, volatus atque cantus, & auguria, conſpuis. tu *Theſſalicarum* pariter, & *Hetruſcarum*, artium univerſarum, nec mentionem quidem, niſi tanquam *exſecrandam*, admittis. E diverſo verò, bonas nos artes, rectíque ſtudia, jubes amplecti; ſectari virtutes; averſari vitia; ſervare fœdus hoſpitale; ſanctam habere fidem amicitiæ; ſuum cujque jus, non reddere modò, ſed inconcuſſum inviolatúmq; tueri; facultates *alienas* non affectare; delatas autem ad nos fortuitò, *comperti juris domino* reſtituere: privatæ verò libidinis impulſu, vim aut injuriam nobis illatam, non perſequi; ſed legibus permittere: nullius, auctoritate propriâ, ſangui-

ſanguinem, aut vitam, effundere: *nullas inimicitias, in vita mortali, facere, per contumaciam, immortales*: in concordiam, & ſinè fuco mentis, & ſinè diuturna cunctatione, redire: nuptias, ac thori maritalis fidem, habere reverenter, & intemeratè: *recedere* demum, non *à malo* duntaxat, ſed *ab omni* quoque *ſpecie* ſimulacróve *mali*: cogitare, dicere, factîs exſequi, (quod Paulus, & in Paulo Chriſtus, præſcribunt) *quæcunq; ſunt pudica, quæcunque vera, quæcunque juſta, quæcunque ſancta, quæcunque* pulcritudine virtutis *amabilia*; *quæcunque bonæ probatæq; famæ: ſiqua virtus, ſiqua laus diſciplinæ, caſtigatæq; morum inſtitutionis.* (*xxx*) Hæc igitur, *Eccleſiæ* veræ, prę cœtibus *Idololatrarum*, décora tanta contemplanti, mihi, lætitiîs libet omnibus incedere. Juvat, gratulari Deo, Chriſtóque, Superíſque, talium tantorúmq; bonorum auctoribus: & in illas, *barbari* licèt, *veridici* tamen in hoc, *vatis* Balaámi, voces admirationis erumpere; *Quam pulcra tabernacula tua, Jacob! & tentoria militum tuorum, Iſraël! Sicut valles nemoroſæ; ſicut horti, juxta fluvios, irrigui; ſicut umbracula, quæ fixit Deus; ſicut excelſæ* Syriæ Palæſtinæq; *Cedri, ſuper amnium ripas*: (*yyy*) ità ſacraria templáq; tua ſunt

Ruina Meſſeniorum.

ô gens *Christianorum*; ità mysteriorum tuorum arces, propugnacula, basilicæ, populorúmque cœtus. talis, ad castissima peragenda, *sine cruore, sacrificia*, multitudinum tuarum confluxus, & *Oceanus, est*. Istinc ergo, quid mirandum habet, excesse *Sathanæ* regnum? florere Pacis, ac Sanctitatis, Imperium? nullámq; Christianæ gentis, & Orthodoxæ, duorum triúmve Sæculorum esse, perennaréque, *Ruinam?* quin, & ipsa quoque, quantumcunque turbulenta, *bella*, tranquillitate tandem optabilî componi? *redireq́; Pacē mortalibus*; *si priùs redeant ad frugem, mentémq; meliorem, mortales?* Caussa celerioris malorum omnium medicinæ, redivivæq́; felicitatis, est in promptu. *Non est enim*, ut apud Messenios, ac Spartiatas erat; *non est*, inquam, *idolum in Jacob*; *nec Simulacrum*, Divinitatem mentiens, *in Israële* nostro mysticô. *(zzz)* Quocirca *DEVS*, exércituum omnium supremus Imperator, *cum eo versatur: & clangor victoriæ Regis, in illo*, (*Aaaa*) castra percellit adversariorum. At *Messeniis*, è diverso, *Lacedæmoniisque, quantò plus DEORVM, tantò propitii COELI minus, erat*: &, ubi multa *fictilia* numina, multum invicem *fragilitatis*, ac ruinarum.

AVCTO-

Ruina Messeniorum.

AVCTORES.

(A) *Jacobus Cappellus, in annum mundi 3257. Joathani 16. Vrbis Conditæ undecimum.* (b) *Carolus Stephanus, ex antiquioribus, V.* Peloponnesus. (c) *Idem Stephanus, Verbo, Achaia. Quo loco, triplicem distinguit Achaiam: quarum Prima tamen extra omnem est Peloponnesi oram, ac tractum: ideòque huc non spectat.* (d) *Sophianus, in sua Græcia.* (e) *Carolus Stephanus, V.* Olympia urbs: *quam esse, refert, haud ità procul Elide Pisáque sitam; de quibus urbibus dictum est Ruinarum Decade 3. in Olympionicis.* (e) *Potuit nihilominus verè dici,* Sub Ithóma *fuisse structam Messénen urbem: etiamsi, sicut à Sophiano ponitur, collocaretur ad Panisum amnem; quem & Pamisum aliqui nominant. Verè namque,* sub *Ithomæ montis radicibus, etsi longiusculè, Messéne, nullâ [ut reor] aliâ, singulariter memorabili, urbe interjectâ, sita fuit: Colónis, & Troezéne Messenicâ, urbibus, utrimque laterum tenus constitutis: viâ verò mediâ, ab oppidis, celebrioris paullò nominis, vacante. Verba porrò Pausaniæ, lib. 4.* τῶν Μεσσηνιακῶν, *ista sunt.* περὶ δὲ τῆς μάχης, ἣν Θηβαῖοι, πρὸς Λακεδαιμονίους ἐμαχέσαντο ἐν Λεύ-

Ruina Messeniorum.

κτίσεις, καὶ τοῦ οἰκισμοῦ Μεσσήνης, τῆς ἐφ' ἡμῶν ὑπὸ τῇ Ἰθώμῃ, πόλιν οὐδεμίαν πω κληθῆναι πρότερον δοκῶ Μεσσήνην. *Vbi nequaquam Pausanias inficias it; In Exilio Messeniorum, Zanclen [utì suo tempore dicetur infrà] Siciliæ urbem, Meßénen, & à posteris deinde Messanam [utì hodie quoque vocatur] appellatam fuisse, à pulsis Peloponnesò Messeniis. Ista enim Meßéne, Messanáve, non intrà Messeniam regionem, & Peloponnesum, erat: de quibus solis terris Pausanias loquitur; sed extra eas, ac mari, satìs spaciosò, sejuncta. Quod autem, super hoc, è Pausania observo, è voce* οἰκισμοῦ, *id nimirum est; in quo controversiæ locari sedes potest. Interpretatus est Romulus Amasæus, vir, utriusque linguæ peritißimus;* Antequam Thebani ad Leuctra prælium cum Lacedæmoniis commisissent; atque indè Messénen, quæ hac etiam ætate extat, condidissent. &c. *Ità quidem* Amasæus, *& ei inhærentes, transtulêre Pausaniæ sententiam. Sed, si Scapulam ex Polluce audiamus; si & alios nonnullos, Græcè Latinéque doctos: dictio,* οἰκισμός, *non hanc nobis versionem, sed paullò, fortaßéq; multò, diversam, afferet. Significat enim,* actionem ædificationis, *aut* deductionis coloniæ, *ad* inhabitandum *locum [etiam* subinde *jam antehac ædificatum.] Ædificatam*

Ruina Messeniorum.

ficatam autem, Thebani Ducis auspiciis, Messenen urbem fuisse, suo loco dicturus sum, in postremis hujus Ruinæ paginis. Quòd autem addit Pausanias, ὑπὸ τῇ Ἰθώμῃ; *id significare potest, & id, quod suprà posui, de loco, non admodum remotò: & jurisdictionem, quam, quisquis Messeniis postea præerat, in Ithómes arce, ceu Præfecturæ supremæ sede, exercebat, etiam in ipsius urbis Messénès habitatores. Atque ità salvum nihilosecius est, quod dixi: Messénen urbem, multò pòst,* surgere *cœpisse; quàm Messenia regio, populúsq; Messenius, jam esset. Vnde verò nominis sui originem, hæc ipsa regio, & gens, ante urbem Messenem, coloniámque Messeniacam deductam, traxerit: in corpore præsentis Ruinæ, non multò post hæc, dicetur.* (f) Lélegum *nomen varii quondam populi tenuêre: de quibus, vide Carolum Stephanum, in Lexico Historico-Poëtico. ubi, miror, nullam Laconum fieri mentionem: cùm, Pausaniæ saltem, clarissima sint, de illis, verba; libri Quarti statim initiò.* Ἀποθανόντος Λέλεγος, ὃς ἐβασίλευσεν ἐν τῇ νῦν Λακωνικῇ, τότε δὲ ἀπ' ἐκείνου Λελεγία καλουμένη. &c. (g) *Sic exponit Romulus Amasæus, illud Pausaniæ:* ταύτην τὴν χώραν, ἔρημον οὖσαν. (h) *Amasæus passim hæc Sacra vocat,* Magnarum Dearũ Initia. *Pausaniæ verba sunt;* παρὰ ταύτην τὴν

τὴν Μεσσήνην τὰ ὄργια κομίζων τῶν μεγάλων θεῶν, Καύκων ἦλθεν. *Intelliguntur autem vocabulo* θεός, *apud Platonem, aliósque Græciæ cultißimos scriptores, etiam* fœminæ Deæ: & *in genitivo plurali utrique sexui Casus* θεῶν *convenit. At nequis dubitet, de* θεαῖς *fœminis hic sermonem esse; epigrammate quoque proximô* Deas *Pausanias eas vocat, non* DEOS: *cùm Dativo* θεαῖσιν *utitur. Intelligit porrò hic auctor, per* Magnarum Dearum Initia, *seu* Orgia, *Cereris Eleusiniæ, filiæque illius, à Plutone raptæ, Proserpinæ, inquam, Sacra sollemnia; mulieribus omnibus admodum religiosè coli & obiri solita: quæ* Thesmophória *vulgò dicebantur. Apud Aristophanem quoque, eorum reperio mentionem, in Pluto statim, Actu seu Dramate quarto, Scenâ quarta. ubi* γραῦς, *fingens sibi Somnia, de Juvene, quasi ipsam depereunte;*

Μυστηρίοις δὲ τοῖς μεγάλοις ὀχουμένην
Ἐπὶ τῆς ἁμάξης, ὅτε προσέβλεψέν μέ τις·
Ἐτυπτόμην, διὰ τοῦθ' ὅλην τὴν ἡμέραν.
Οὕτω σφόδρα ζηλότυπος ὁ νεανίσκος ἦν. *hoc est:*

Magnîs *verò* mysteriîs [*ubi,* Magna illa Cereris Sacra, *Nicodemus Frischlinus interpretatur*] vectã
Super currum, quando quis intuebatur me,
Verberabar [*ab eo juvene*] propter id, toto die.
Sic efflictim Zelotypus erat adolescens hic.

Quo

Ruina Messeniorum.

Quo loco observes, matronas ad illa sacra pilentis vehi solitas. Porrò suspicatus est nonnemo; ad Magnarum Dearum *Sacra, pertinere quoque* Magnæ Deûm matris *cultum, & sollemnia. Sed hæc sanè* Eleusinia *non erant: verùm* Pessinuntia *potiùs, &* Idæa. *Quòd autem Pausanias, hæc* magnarum Dearum sacra, *appellat* Ὄργια; *quo tamen vocabulò vulgò* Patris Liberi *sacra insigniuntur: per* κατάχρησιν *nonnemini dictum videtur. Etsi sanè apud Lucianum Sophistam, De Saltatione,* τὰ Ὄργια, *sint,* omnia Secretiora, *paullóq;* magìs arcana, Sacra; *cujusmodi erant Cereris: & apud Scapulam;* Omnium Deorum Sacra, *ac mysteria.* (i) Clenum, *etiam Amasæus vertit: & in epigrammate quodam* Κλεινοῖο *legitur, genitivus poëticus, pro* κλεινοῦ. *Quem hunc ipsum esse* Clenum, *de quo loquimur; indicio est, patronymicum, illi adjunctum, quo dicitur Phliades. ait enim,*

Φλυάδεω Κλεινοῖο γόνυ Καυκωνιάδαο.

Pausanias tamen, clarîs verbîs, in ipso suæ historiæ contextu, eum appellat Κελαινὸν τοῦ Φλυοῦ. *quam proinde scribendi rationem & mihi, teneri, placuit.* (k) *Ait enim Amasæus;* Messénen, *reginam, post deportata ad eam à Caucóne* Magnarum Dearum Sacra Operta, ab eodem ipso fuisse

fuiſſe Initiatam: *utique, ad myſteria illa* ſacerdotali *ritu obeunda.* (l) *Chœrius ſaltus (Græcè,* Χοίρελος νάπη, *dictus) eſt ille, quem ſuperiùs* Porcinum *dixi, in deſcriptione Meſſeniæ regionis. Et hunc olim Gereniam fuiſſe* (Γερηνίαν) *affirmat libri quarti principiò Pauſanias.* (m) *Fatetur Pauſanias; Se, poſt diligens in eam rem collatum ſtudium, reperire tamen nullo modò potuiſſe,* οἵτινες παῖδες Πολυκάωνι ἐγένοντο ἐκ Μεσσήνης: *hoc eſt,* quinam Filii, ſeu liberi, nati eſſent Polycáoni, *Meſſeniorum regi,* è Meſséne, *uxore ſuâ.* (n) ἐς γενεὰς πέντε, *ait Pauſanias. quod Romulus vertit,* ætates: *alius,* Generationes. (o) *De fraude, qua Creſphontes, ac Temenus, circa Situlam, ac ſortes, uſi ſunt; vide, ſi lubet, Pauſaniam ipſum, in Meſſeniacis, longè poſt initium. Res, ad ſummam Ruinæ Meſſeniacæ, parùm confert, aut ſpectat; idcóque nec operæ, cur hîc exſcribatur.* (p) *Sapientiæ libro, cap. 14. v. 27.* (q) *Sic Pauſanias (qui pene ſolus exactè, & ex profeſſo, res Meſſeniacas eſt proſecutus; ideòque frequentiùs nobis ad teſtimonium vocandus) habet.* Τήλεκλον Ἀρχελάου, τοῦ Ἀγησιλάου, *&c. Romulus autem vertit;* Téleclum, Archéladæ filium, &c. *non, ut debebat,* Archelai. (r) *Sic etiam Cappellus vertit, in annum mundi* 3257. (s) *Ità Amaſæus interpretatur. At*

At Pausaniæ verba, μετεῖχον δὲ αὐτοῦ (*scilicet* ἱεροῦ) μόνοι Δωριέων, οἵ τε Μεσσήνιοι, καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι,. *paullùm ab Amasæanis diversa sunt: & hunc habent sensum.* Participabant autem hoc delubrum, ex Doriensibus, soli Messenii, ac Lacedæmonii. (t) *Prædam Messenios tunc, ex ista Lacedæmoniorum cæde, reportâsse; argumento sunt, Amasæi, Interpretis Pausaniani, hæc verba: quibus negat, Lacedæmonios* unquam res suas, *post hæc ità gesta*, repetîsse, *more, læsorum in suo jure. Pausanias autem hæc habet.* Λακεδαιμονίους δὲ, συνειδότας, ὡς ἄρξαιεν ἀδικίας, τοῦ φόνου σφᾶς τοῦ Τηλέκλου δίκας οὐκ ἀπαιτῆσαι. *Quæ verba, diversum quid, ab Amasæi verbis, habent, ac sonant. Probabile tamen est, quod Amasæus conjectat: cui propterea & ego inhæsi.* (*) *Alcámenem, Pausanias filium facit Télecli. ait enim lib. 4. pag. 114. editionis Francoford. in fol.* ὕστερον, βασιλεύοντος ἐν Λακεδαίμονι Ἀλκαμένους, τοῦ Τηλέκλου. *Aut igitur, à cæde Telecli, non* exactum *est* fermè sæculum unum; *ut tamen Romulus vertit vocem* γενεάν, *quam Pausanias posuit: aut, si* fermè Sæculum *intercessit, inter Telecli mortem, à Messeniis ei illatam, & inter tragœdiam sequentem Polycharis, (ut planè veriùs asseritur; quia Crœsi, Lydorum regis, tunc imperium vigebat): Alcamenes,*nepos *Tele-*

Telecli, non filius *immediatè, fuit. Aut denique,* duo *fuerunt Telecli; genitor, inquam, & filius; ac primi Telecli nepos, Alcámenes.* (u) *Theopompi progeniem vide, Pausaniæ libro 4. editionis Basileensis, pag. 114. versu 26. in fol. Fuisse verò Spartanorum reges, in populi potiùs, & Ephororum, quàm suâ, potestate; multa docent paßim apud auctores exempla. Apud Cornelium certè Nepotem, in vita Pausaniæ, Lacedæmoniorum, non Ducis tantùm, & imperatoris, sed etiam Regis; ista sunt auctoris verba.* Legibus eorum, cuivis Ephoro licere, Regem in vincula conjicere. *Item, apud eundem, titulò,* De Regibus diversis, *legimus;* Agesilaum, Regem Lacedæmone fuisse, NOMINE, non POTESTATE: sicut & cæteros Spartæ Reges. *In vita quoque hujus ipsius Agesilai, tradit idem Cornelius; Eum,* cùm animo meditaretur, proficisci in Persas, & ipsum (*Persidis*) regem adoriri; nuntium *accepisse* domô, Ephororum jussu: ne dubitaret, *instante alio bello novo,* redire in *Peloponnesum.* Eúmque tantâ modestiâ dicto audientem fuisse jussis magistratuum absentium; ut, si privatus (*& non rex*) in comitio esset Spartæ: gloriosiúsq; multò sibi duxisse; si institutis patriæ paruisset, quàm si bellô Asiam superâsset. (x) *Hoc loco,*

Ruina Messeniorum.

loco, vel malâ fide (pace dixerim viri doctissimi!) vulgatus interpres R. A. versatus est: vel, quod credere maluerim, depravatum in codicem incidit; dum translatorem agit, ac sic vertit. In Messeniis verò (*regnante*) Antiochô, Androclis filiô, Phintæ nepote; utriusque populi simultas, in apertum bellum erupit. *At Græcus auctor* Reges *revera* dividit; *duósque ex uno, quem interpres fecit, reges facit. Ait enim Pausanias:* Μεσσηνίων δὲ [βασιλευόντων] Ἀντιόχου, καὶ [*pro quo* καὶ, *translator fortasse legit,* τοῦ] Ἀνδροκλέους, τοῦ Φίντα, ἐξήρθη τὸ ἐς ἀλλήλους μῖσος. *pag. 114. vers. 27. & 28. Vbi clarè vides, Regnâsse tunc* Antiochum *apud Messenios*; & Androclem, *Phintæ filium: qui, diu Teleclo superstes, postea fatô tandem suo functus; successorem, in regia potestate, reliquit Androclem filium. Quæ utique ab Interpretis verbis, ac sensu, plurimùm recedunt: aut hic potiùs ab illis. evertuntúrque hæc postea per ea, quæ sequuntur, de Androclis & Antigoni certaminibus; in cædem usque exardescentibus. Quo fit, ut, qui subinde solis credere coguntur Translatoribus; eò, quòd primævîs destituti sint fontibus: in limosas foveas, & uligines, pæne necessariò, nullâ suâ, sed ductorum, culpâ incidant. Cùm autem jam scripsissem hæc; delatus sum & in Friderici*

Ruina Messeniorum.

derici Sylburgii emendationes Pausanianas: deprehendique, etiam ab illo σφάλμα *istud Interpretis antiquioris, versione meliore fuisse castigatum. Quòd autem nihilominus, utrumque Regum illorum Messeniacorum, tam Androclem, inquam, quàm Antiochum, in corpore versionis Sylburgius faciat* Phintæ filios: *dubito, num rectè? partim, quia de Androcle solo satìs exponitur illud,* τοῦ φίντα: *ideóque semicóli dispunctionem, inter Antiochi, & Androclis nomina, non inutiliter Latinus versor quispiam interposuerit. partim, quia parùm credibile sit; Duos simùl fratres, eodem tempore, & annô, fuisse Reges Messeniorum (ut tamen Antiochus tunc, & Androcles, erant): eosdémque mox tam barbaricìs inter se armìs cõcurrisse.* (y) *Non solùm* Hospitiô *susceptum fuisse, sed & in intimam* familiaritatem *admissum, Evæphnum, à Polychare; docent verba, quæ hic Spartanis postea, in sua Expostulatione, proposuit, libro 4. Pausan. pag. 115. vers. 4. & seqq.* καταπεληθυμένος δὲ, οἷα ὑπὸ Εὐαίφνου πεπονθὼς εἴη, ὃν αὐτὸς ξένον ἐπιήσατο, καὶ πρὸ πάντων Λακεδαιμονίων ἐπίστευσεν. (z) *Interpres Pausaniæ vulgatus, transfert;* Ad pœnas confúgit: suppléxque, id sibi ut ignosceret, tum Polycharen ipsum, tum ejus filios, rogabat. *At Pausaniæ verba sunt;* Πολλὰ μὲν

αὐτὴν

αὐτὸν Πολυχάρην, πολλὰ δὲ καὶ τὸ Πολυχάρους τὸν παῖδα, ἱκέτευεν. &c. *ubi videas*, Unius *solius*, *haud* plurium, *fieri mentionem* Filiorum.

(Aa) Amphictyonicum *hoc concilium, ab Amphictyone, Héleni filiò, institutum;* Judices *habebat, qui & ipsi nominabantur* Amphictyones. *Dionys. Halicarnasséus, l. 14. Strabo, l. 9. Budæus, Erasmus in Chiliadibus, & alii, apud Carolum Stephanum.* (bb) *Philippo namque, Macedonum regi, à se per litteras postulanti, quod ipsis displicebat, reposuerunt (ut in Laconicis Plutarchus tradit)* περὶ ὧν ἔγραψας, οὔ. *Hæc Spartanæ gravitatis, ad Regem, tota erat Epistola. Vide Plutarchum, in Laconicis Apophthegmatibus. de aliis quoque generis ejusdem concisis responsis.* (cc) ὑδάτων πηγὰς εἶχεν ἀφθόνους, *ait Pausanias, libro 4. pag. 116. vers. 4. Amasæus autem vertit;* Circumfluens aquarum perennium copia. *id, quod obvius quisque, de rivis, & amnibus, radicem collis ambientibus, interpretaretur; sed fortasse falsò.* (dd) *Id sibi vult phrasis Pausaniæ;* εἰς τὸν πάντα πόλεμον ὁρμητήριον ἐπιτήδειον. *versu 5. paginæ modò laudatæ 116.* (ee) *Verba Pausaniæ hòc locô sunt;* καὶ ἦν γὰρ ἐν τῇ Μεσσηνίᾳ χωρίον, ἄλλως μὲν, ἐς ἀγῶνα ἐπιτήδειον, χαράδρα δὲ περιεβέβλητο αὐτοῦ βαθεῖα. *Quam vocem* χαράδρα, *non*

Ruina Messeniorum.

raro Pausanias idem repetit. Eam Amasæus trāsfert, Alveum. *At aliis, est* χαράδρα, *etiam* Sulcus: Cavitas *item, à torrente facta. Aliis,* Vorago, *seu* Hiatus ingens, *ex* Terræmotu *rupti diductique soli. Postremam omnium harum tot significationum, ego censui, hoc loco cæteris anteponendam: quia torrentem illic, aut fluvium, adeóque* Alveum aquarum, *nullum, in Chorographicis Græciæ tabulis meis reperiebam. Quòd autem,* Campum illū, Alveô illô profundo divisum, *Romulus dicit; vereor, ut id satìs ad Pausaniæ mētem dicatur: utpote, qui plus non afferat, quàm;* Ante campum illum, voraginem profundam jacuisse: *seu naturâ jam, seu manu, excavatam, ac fossionibus. Dicit enim,* περιεβέβλητο, *non* ἐνεβέβλητο. (ff) *Hanc, de Argivis & Arcadibus, exprobrationem, Pausanias superiùs, alio loco, cùm de belli Messeniaci caussis agit, adducit: pag. 115. vers. 17. &c.* προφέροντες μέν σφισι τὰ Ἀρκάδων *&c.* (gg) *Pausanias;* Καὶ οὐδὲν ἐλευθερωτέρους τῶν εἱλώτων. *Erant autem* εἱλῶται, *seu, ut alii,* εἵλωτες *(dicitur enim,* ὁ εἵλως, εἵλωτος, *&,* ὁ εἱλώτης, ου. *utrumque cum aspiratione; quam tamen Latinorum nonnulli, qui Elótas & Ilotas subinde, pro Helótis, & Hilotis, pronuntiant, omittunt; sed sinè caussâ): erant, inquam, hi, Lacedæmonio-*

rum

rum (utì Carolus Stephanus, aliique plures, observant) publica mancipia : id eſt [*inquit ipſe*] miniſtri publici, ut, Apparitores, lictoréſque; qui Theſſalis Peneſtæ, Latinis Lorarii-publici, dicebantur: quandóq; & Brutiani. *Helotarum porrò, apud Spartanos, hæc origo fuit, vel rei, vel nominis.* Cùm diu [*inquit Joan. Scapula*] & infeſtîs animîs, Lacedæmonii oppugnarent Helos, urbem Peloponneſi, ipſis vicinã; quoſcunq; indè caperent, in Servitutem ſibi redigebant: &, retentô gentis nomine, εἵλωτας vocabant, non δούλους, in majorem ipſorum contumeliam. Alii tamen, quævis mancipia ſic ab illis appellata volunt, in contumeliam Helotarum; quibuſcum ſemper eis bella erant, ac diſſidia. *Hæc Scapula de* Helotis. *Vtebantur autem eorum operâ Spartiatæ* [*ut Plutarchus in Lycurgo ait*] *in exercenda terrâ, in reddi-tibus agrorum ac fructuum pendendîs : in bellis item; ut colligitur ex Thucydidis libro 4. in quibus ſi fortiter feciſſent, manumittebantur tandem. De* Helotis, *eorúmque improbitate multâ, etiam in* Arcadia Comitiſſæ Pembrochianæ, *apud Philippum Sydnæum, ſcriptorem Anglicanum, l. 1. reperias, Editionis Merianæ paginâ 43. 46. 51. 52. 54. 55. &c. uſque 58.* (hh) *In Phormione, Actu 4. Scenâ 4.*

Ruina Meſſeniorum.

nâ 4. (ii) *Ecclesiastici.2.vers.15.* (kk) *Lucæ 12. v.5.* (ll) *libro 4.reg.cap.7. à v.3.&c.* (mm) *Obsessam à Lacedæmoniis fuisse, perarctéque pressam, Ithómen, Pausaniæ docent apertissima verba. pag. 124.* ἐπηνάγκαζε γὰρ [τοὺς ἐν Ἰθώμῃ Μεσσηνίους] ἡ πολιορκία, καὶ οὐχ ἥκιστα, ὁ λιμὸς, καὶ τὸ ἀπ' αὐτοῦ δέος, μὴ καὶ προδιαφθαρῶσιν ὑπὸ ἐνδείας. *Vbi vides, De ingenti fame agi, ex obsidione ortâ; ut metus esset, ne penuriâ penitùs præconsumerentur obsessi, priusquam concurrendum esset hosti.* (nn) *De P.Scipione, Africano Majore, Tit. Livius, libro 6.Decadis 3.hæc verba refert.* His miraculis [*putà, matris suæ, Draconi concumbentis, & ex eo coitu P.Scipionem concipientis*] nunquam ab eo elusa fides est: quin, potiùs aucta, arte quadam, neque abnuendi tale quidquam, nec palàm affirmandi. *De Alexandro quoque Magno Q.Curtius testatur libro 4.cap.7.* Jovis Ammonis [*qui Arietis cornutâ specie colebatur*] filium se, non solùm appellari passum esse, sed etiam jussisse. (oo) *Suetonius Tranquillus, in vita illius, capite 94.* (pp) *De hoc, vide Martinum Del Rio, libro 2. disquisitionum Magicarum, Quæstione 15. num.4. à §.* Quid igitur. (qq) *Cornel. Nepos, in Agesilao, post medium.* (rr) *Pausanias, libro 4.* παρεσκεύαζον, ὡς μάχην συνάψοντες, ἐπὶ τῷ κα-

λυμένῳ, Κάπρου σήματι. *Et infrà.* τὸ δὲ χωρίον τοῦτο Κάπρου Σῆμα, ἔστι μὲν ἐν Στενυκλήρῳ τῆς Μεσσηνίας. *pag. 126. post initium, & ,ad medium. Cave verò,* Κάπρου, *vertas*, Capri, [*quod in Chiliadibus tamen Erasmus fecit; notatus idcirco, eo nomine, ab Ioachimo Camerario, in Lexico*] *sed*, Apri, *hoc est*, Porci sylvestris. (ss) *Sic enim in eum canebant Messeniæ mulieres. quod ego tamen*, fragmẽtum *potiùs*, *quàm* integrum carmen, *ex ipso initii modo, connexione destitutò, esse credo.*

Ἔς τε μέσον πεδίον Στενυκλήριον, ἔς τ' ὄρος ἄκρον.

Εἵπετ' Ἀριστομένης τοῖς Λακεδαιμονίοις.

(tt) *Græca Pausaniæ phrasis* [βληθεὶς ἀκοντίῳ τὸν γλουτόν] *in caussa est, cur alii verterint*, In alteram natium: *alii*, In femur; *alii*, In Coxam, & Rotunditatem, *in vertebris coxarum constitutam. Ego secutus id sum, quod, propiùs fidem erat, accidisse* Aristomeni; *aviditate*, regiæ *patrandæ* cædis, *etiam nonnullos hostium prætervecto: & idcirco, locum vulneri, etiam in aversa corporis parte, præbenti.* (uu) *Pausanias in Plurali numero ponit: cùm*, τὰς ἐν Καρύαις παρθένους διελόχησε, *dicit, libro 4.* Carya *quoque, in Singulari numero, Civitas erat Peloponnesi; quæ, Persis hostibus, contra reliquam Græciam, proditoriè ad-*

juncta, totius postmodum Græciæ consensu subversa est: ut Vitruvius ait, apud Carolum Stephanum. Carya *item, Parva Laconiæ regio est, Stephano: quæ éadem &* Carœa. *Sed hujus loci,* Caryum, *&* Caryæ, *oppidum est.* (xx) *S. Hieronymus, etiam Carolo Stephano id affirmante, Verb.* Aristomenes. *Vbi, pro eo, quòd* Atheniensem *eum dicat,* Andaniensem *tu substitue. Quòd autem,* Duodecim, *referat,* Virgines *ab eo raptas, nocturna Sacra, quæ vocari solerent* Lacinthina, *celebrare aggressas: in hoc à Pausania differt, tam quoad* tempus, *quàm quoad* numerum, [*quem is, intrà solas* Duodecim *non restringit*] *quàm denique, & quoad* nomen Sacrificiorum, *quæ etiam S. Hieronymus, adversùs Jovinianum, ait fuisse* Hyacinthia, *Laconibus familiaria, in honorem pueri* Hyacinthi: *quem Apollo, disci jactu, interfecit.* (yy) *Ità* Sacra Cerealia *Græcis nominabantur: quòd* Cereri *fierent, quæ* θεσμοφόρος, *id est,* Legum latrix, *habebatur: eò, quòd Sanctiones,* ritúsque Sacrorum non-scriptos, *prima mortalibus tradidisse crederetur.* (zz) *Ità expressè Pausanias tradit anni numerum, cùm ait;* τρίτῳ δὲ ἔτει τοῦ πολέμου [*subaudi, quemadmodum res ipsa poscit,* δευτέρου: *nam, de* Tertio *bello, ejúsque principiis, dicetur inferiùs.*] *Vnde, perperam Amasæus, & alii,*

Ruina Messeniorum.

& alii, verterunt, Eodem annô, *&c. cùm clarè, diversum, ab anno prioris facti, annum istum, Pausanias indicet: innuátque, Aristomenem ante Tertium* Secundi Belli *annum, Spartanîs à mulieribus fuisse captum.*

(Aaa) *Carolus Stephanus, Verbô*, Amyclæ. (bbb) P*ausanias enim ait*; ἐκβάλλουσι δὲ ἐνταῦθα, οὓς ἂν ἐπὶ μεγίστοις τιμωρῶνται. (ccc) Triduum *illic exegisse*, *donec in* vulpem *Aristomenes incideret, nonnulli vertunt, è* P*ausania. Sed utique*, præter casam, (*quod dicimus*) fugientes: *hoc est*, *extrà* P*ausaniæ mentem: qui dicit*; τρίτη δὲ ὕστερον ἡμέρα ψόφου τε αἰσθάνεται: *significans*, Biduô eum sic jacuisse; die verò Tertiô demum, sensisse strepitum. (ddd) *Distinguit enim* P*ausanias telum*, *quo Aristomenes se vindicavit, ab eo telo, quo Virgo nexus illius, ac vincula, resciderat: quando, huic quidem*, ἐγχειρίδιον, pugionem; *illi verò* ξίφος, ensem, *gladium*, *attribuit.* (eee) *Carol. Stephanus, V.* Aristomenes. (fff) *Verba enim illius sunt.* ἀλλὰ γὰρ πρότερον τούτων (*id est*; *priusquam is in Lydiam, ac Mediam, iret*; *sicut initiô decreverat*) συνέπεσεν ἀποθανεῖν αὐτῷ νοσήσαντι. (ggg) *De corde* Pil*oso, Carol. Stephanus, V.* Aristomenes. (Θ) *Sive propter supplices, asylô suô, contra Conscientiæ propriæ di-*

ctamen, avulsos, & interfectos; sive caussis aliis quibuscunque, physicis, aut ethicis, Lacedæmonii sint afflicti, plexique: non concordant auctores. Jacobus enim Cappellus (ut cæteros omittam) pag. 163. colum. 2. culpam vastatæ Spartæ confert universam, in bellandi libidinem insatiabilem. Sethus autem Calvisius, & σκαλιγερίζοντες, in horrendum quendam terræ motum: quo Spartam quatiẽte, tectorum domuúmq; miserabili ruinâ, Spartiatarum viginti millia sint obtrita. Quidquid id fuerit; certum est, stragis tunc, & corruentium ædium, & concisorum in acie civium, juventutisque, magnitudinem fuisse tantam: ut urbem, tot quondam familiarum millibus frequentem, tunc autem exhaustam; supplere denuò restitueréq; Lacedæmoniorum servi jussi permissiq; sint: quibus uxores suas, turpiter prostitutas, heri proprii, nefariâ cæci dementiâ, ceu concubinas pro tempore legitimas, & [si Superis placet] honestas pellices, collocaverunt; ut, ex iis natam, dominorum mancipiorúmq; promiscuô studiò, pubem militarem, ceu posteritatis Martiæ novum seminarium, educerent, & amplificarent. Sic porrò generatos, quò discernerent, ac secluderent, à liberis, prorsus ingenuis; Parthénias appellârunt: quasi natos [ut opinor] eorum more ritúque, quorum mater, cùm nuberet, virginitatem

pro-

Ruina Messeniorum.

profitebatur; cùm revera Virgo non esset. Vnde per Ironiam & antiphrasin παρθένιοι *dicebantur [ut in Anthologia Græcorum epigrammatum reperies] perinde, sicut illi Spartanarum spurii*, παρθενίαι; *quasi minimè* παρθενότοκοι, *seu, Virginibus orti.* (hhh) *Ità legendum; non autem, ut nonnulli transferunt, Oeneadûm. Ait enim* Pausanias. ἠπίςαντο γὰρ, Οἰνιάδας Ἀκαρνάνων, γῆν τε ἔχοντας ἀγαθήν. *&c.* (iii) Aegos Potamos, *vertunt Amasæus* & *Sylburgius.* Pausaniæ *verbum est*, ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς *factam esse pugnam illam, & cladem. Cornelius autem Nepos, in Lysandro, simpliciter dicit;* Apud Aegos flumen: *quasi dicas,* Ad amnem capræ. *Nam* αἲξ, αἰγὸς, *capram, &* ποταμὸς, οῦ, *flumen, notant.* (kkk) Hederam Ciliciam, *vertit Sylburgius. Cùm verò varia sint illius plantæ* [σμίλακος] *genera;* majora, *inquam, abietum instar, ac* minora: *& aliæ quidem plantarum istarum, Arbores sint, ac proceræ satìs; aliæ verò humiliores, ac fruticibus similiores, quàm arboribus, ut videre est apud Camaldulensem, V.* Smilax; Pausanias *plus non dixit, quàm,* ἔνθα δὴ τῆς Ἰθώμης εὗρε πεφυκυῖαν σμίλακα, καὶ μυρσίνην, *&c. nihil, in alterutram partem, determinando; cujúsnam generis* smilax *illa fuerit. Quare,* Plantam *simpliciter mihi ponere, potiùs,*

quàm,

Ruina Messeniorum.

quàm, Arborem, *placuit.* (lll) *Hoc* Plumbum Album, *quod Romulus & Sylburgius vertunt, dicere simpliciùs, unô vocabulo*, Stannum *possemus. nam Græcè ὁ κασσίτερος, quâ dictione Pausanias est hoc loco usus*, stannum *est. unde Theódotus ille Melissenus*, P*seudopatriarcha Constantinopolitanus, à Leone Armeno in Sedem illam intrusus, dictus fuit* Cassíteras, *quasi* Stannarius: *ut annotavit è Cæsare Baronio Henricus Spondanus, in annum Christi 814.* (mmm) Dysnicétum, *auctor quidam in Annalibus suis editionis Vbianæ, nominat: non*, Dyscinétum. *Sed disertè Pausanias*, Δυσκινήτου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, *habet.* (nnn) *Quod factum esse, ab hominibus, Messeniacæ regionis incolis, Pausanias, libro 4. testatur: ubi & originem nominis* Coróne [*quæ & ipsa Messeniæ regionis erat, & hodie est, urbs, haud incelebris*] *exponit.* [†] Dioscúrî, *aut, per subjunctivæ vocalis in diphthongo extrusionem*, Dióscori *dicuntur, Castor ac Pollux: quia Jovis & Ledæ filii vulgò existimati.* κόρος *enim*, & κοῦρος, filius & juvenculus. *etsi* Scopas *quoque significent, quibus pavimenta verruntur.* ζεύς *autem*, διός, *ut notissimum est*, Jovem *notat.* (ooo) *Ait enim liquidò Græcus auctor, quem semper adducimus, quoniam in hac Ruina solum unicum habemus exactissi-*

actissimum enarratorem; Λακεδαιμονίων, ἤδη πρὸς πόνον, καὶ παιδείας, τετραμμένων, μετὰ τὸ ἄριστον. (ppp) *Exodi 33. v. 20. & in Evangelio S. Ioan. cap. 1. v. 18.* (qqq) *Ad Galatas 6. v. 8.* (rrr) *Ità Comitangulus, in 1. 2. Doctoris Angelici. tradit, De Conscientiâ Dubia, & Erronea, disp. 8. sect. 2. & 5. cum aliis, quos laudat, Doctoribus.* (sss) *Roman. 14. v. ult. Quæ S. Pauli verba, de* Conscientia, *homini, quidnam agendum omittendúmve sit, prudenter,* pro hîc & nunc (*ut loquuntur*) *dictante, intelligenda esse; non Theologis duntaxat, & Commentatoribus, in eam ipsam Epistolam, orthodoxis, receptum est: sed planissimè, ex ipso patet contextu: quantumvis ea heterodoxi,* de Fide *sua* nudâ *ac* Speciali, *more suo* detortè, nec ad rem, *interpretentur.* (ttt) *Libro 1. de Providentia Numinis, num. 151.* (uuu) *Jeremiæ 10. v. 2.* (xxx) *ad Philippens. 4. v. 8.* (yyy) *Lege Numerorum caput 24. à v. 5.* (zzz) *Hi sunt*, Christiani Orthodoxi; *de quibus ait S. Paulus, ad Galat. 6. vers. 16.* Pax, super Israël Dei (*quem scilicet populum* Deus, *pro veris Israëlitis, & corde Circumcisis; non autem* homines soli, *habent*). *Ad Romanos item cap. 9. v. 6.* Non enim omnes, qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitæ. *& infrà.* Non, qui filii Carnis, ii sunt filii Dei; sed, qui filii

Ruina Messeniorum.

filii ſunt Promiſſionis (*id eſt*, veri Fideles, *&* *Chriſti ſanam religionẽ amplexi.*) *Ad Philippenſ. item,cap.3.v.3.* Nos enim ſumus Circumciſio, qui Spiritu ſervimus Deo (*adeóq;,*myſticô ſenſu,*Circumciſio,& Iſraëlitæ,ſumus*) & gloriamur, in Chriſto Jeſu,& non in Carne, fiduciam habentes. *Ad Corinthios quoque, epiſt.1.c.10.v.18. idipſum innuit;nos* Chriſtianos *videlicet* , Iſraëlitas *eſſe* myſticos: *dum eis* Carnales, *ac litterales,* Iſraëlitas,*velut* ἀντιμάχους,*&* *contrariò prorſus modò*, *non* ſecundùm Spiritum, *procedentes in Sacrificiis ſuis* Legalibus (*ut vocant*) *opponit ex adverſo.* Videte (*clamat*) Iſraël, ſecundùm CARNEM! *id eſt,* Carnales; *& verè quidem præputiô minutos,* Iſraëlitas: *non autem perinde* corde circumciſos,*ac* Spiritu. (Aaaa)

Libro Numerorum cap.23. verſ.21.

PARTIS I.

DECADIS IV.

FINIS.

